
6
28-C
5

BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
19 II
27

Adm. Rev.do P. Mutio Vitellesco

Praeposito Gnali Soc.tis Jesu

offert [illegible]

in obsequij sui tesseram,


Siluester Petra Sancta

Dom. Prof. Rom. Soc. Jesu

VITA ROBERTI BELLARMINI POLITIANI


E SOCIETATE IESV
S. R. E. PRESBYTERI CARDINALIS
ARCHIEPISCOPI CAPVÆ
FIDEI PROPVGNATORIS

A IACOBO FVLIGATTO Soc. IESV
Italicè primùm ſcripta:
A SILVESTRO PETRA SANCTA eiuſdem Soc.
Latinè reddita, & aucta, atque in hac ſecundâ editione à mendis primæ repurgata.






ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXI.





VRBANO VIII.
PONTIFICI
OPTIMO MAXIMO.



LINGVAE Italorum duæ: ex quibus altera, vbi re & nomine floret, Te, BEATISSIME PATER, ſuſcepit ad vitam atque ad lucem; altera, orta in Latio, ſed neminem latens, Te innutriuit ad famam pariter & ad gloriam. Veluti ſorores ambæ ſunt: quæ ex eâdem Gente, quippe filiæ Multitudinis, prodierunt. Latina, natu maior & Primogenita, iure natiuitatis præcepit Imperium ancillantis ei Orbis



Terrarum vniuersi. Italica, natu minor, & ideò mansura tantùm in secundis heredibus, sua inter conclauia vocem tenuit. Quòd si est ausa interdum extrà iactare sonum: obiectæ Alpes, vltra quas non protulit Imperij reuerentiam, vocem reciprocare & reddere, tamquam rude saxum; non audire aut exequi, tamquam seruitium obediens, insueuerunt. Hinc sæpenumerò minorem maior, soror sororem adiuuat; &, quod contractiùs vna profert, hoc altera productiori euulgat sono. Interpretationem hanc germanæ suæ minoris, en Latina promit in ea mundi loca, in quæ Sol promit diem: vt BELLARMINI Vita, quam exprimit, vbique

que cum Sole luceat. Debet verò, BEATISSIME PATER, Maiestas luminis Tui primam ei vocem dare. Etenim eius icta radiis, sonum viuentis & spirantis reddet feliciùs multò, quàm illa saxea olim effigies: quin imò pulchris adeò nitoribus extingui obscuritas in eâ videbitur, & collustrari ratio dicendi, quæ ex se non æquat virtutum præstantissimarum gloriam. Fecit hoc ante me ille, qui vitam hanc primùm Italicè scripsit; professus, virum doctrinâ ac pietate insignem, & commodatum à Deo Sacerdotibus Magnis, vt in eo intueri faciem virtutis possent, Tibi dicari iure sanè quàm optimo: quia Pontificatu MAXIMVS, forma es vi-

tæ iuxtà & doctrinæ integerrimæ. Addidit etiam credere ſe, ipſum BELLARMINVM inter ſidera iam, vbi viuit eius Cælo recepta mens, obſeruantiam hanc in Scriptore rerum ſuârum adprobare, conſenſu quodam delectabili, antiquæ ſuæ in hæc aduerſum Te obſequia propenſionis; & iudicare, imaginem rerum à ſe geſtarum ſtatui non debuiſſe, niſi ad iubar luminis Tui. Sic ille. Neque aliter nobis integrum eſt facere, qui de BELLARMINO nouimus, quàm non vno nomine ſit Tuus. Sed illud inprimis ei ſit egregium, quòd Scriptorem Te rerum ſuarum habiturus erat, & non habuit; tantummodò quia dignus inuentus es, in quem, tamquam in Mundi

CA-

CAPVT, ij, per quos Cælum eligit, ſuffragia ſcripſerint ſummi & ſanctiſſimi Principatus. Fuiſſet glorioſum, ſi vt ſponte propoſueras, ſcripſiſſes de BELLARMINO, in eâ, in quâ tum eras, morum & Purpuræ dignitate. Sed eſt glorioſius, quòd impeditus ita fueris; fuerintque impedimenta PEDIBVS, Mundi oſcula; MANIBVS, Cæli largitiones; ORI, reſponſa & oracula veri; ANIMO, DEVS & partium eius procuratio. Dignus interim BELLARMINVS prædicabitur, quem deſcripſiſſes viuentem in Terris; niſi creatus fuiſſes Vnus ille & ſupremus, qui EVM, ſicut & inſignes quaſque animas Piorum, adſcribere poſſis Æternitati, & Cælo. Patere igi-

 tur,

tur, BELLARMINVM, rurſus Poſteritati narratum, ad Te redire, tamquam ad deſtinatum AVCTOREM ſuum. Sed ſi eum prodire minore gloriâ vides; intellige, defuiſſe illi elocutionem Tuam: melleam quam ſi non dicerem, equidem ignorarem APES TVAS. Vale; ſucceſſores habiturus, ſi noſtra valebunt vota, quàm ſeriſſimos. Leodij, XV. Kalend. Octobris, M. DC. XXVI.

SANCTITATIS TVAE

Pedum ad oſcula demiſſiſſimè prouolutus

Siluester Petra Sancta
è Societate IESV.

LE-

LECTORI.

ERAM *Coloniæ Agrippinæ, Ciuitate affine meâ, & consanguineâ Romanis omnibus; neque ita pridem traduxerat illò me secum ex Italiâ* PETRVS ALOYSIVS CARAFA, VRBANI VIII. *Pont. Max. Legatus, & vir, qui à familiâ, ab ingenio, à morum nobilitate Princeps, sic ea temperat, vt cunctis humanitatem præbeat loco auctoritatis: cùm litteræ perferuntur* MVTII VITELLESCI *Societatis* IESV *Præpositi Generalis, monentque horaria vt spatia occupato de die quæ mihi supererunt, Vitæ* ROBERTI CARD. BELLARMINI *Italicè scriptæ darem, quò Latinè eam redderem. Monita hæc, vti me acriùs vrgent, quàm aperta imperia, statim animum induxere, ne imperium detrectarem. Accessere litteræ etiam Jacobi Fuligatti, Historiæ huius Auctoris, rogaruntque, tum vt verterem quæ edidit, tum vt adderem, si quæ addenda scirem; & huic Socio*

atque Amico esse obsequens debui. Cœpi itaque præeuntem sequi; & his ille verbis in aditu narrationis præit:

Historia ROBERTI BELLARMINI CARDINALIS, *quem mirabitur præsens ætas, & posteritas omnis, requirebat illa quidem è numero Scriptorum æui sui præstantem aliquem, cuius calamus exprimeret ornatiùs famam, & figuram animi dignam conscientiâ generis humani. Sed quia volumen Operis elaborati, multos solet in annos premi; statui ego (cùm ita decernerent ij, qui apud me volunt & iubent) coagmenta hæc narrationum edere, tametsi ea rudi operâ committerem; tum quòd intelligerem, locum me non præcipere ijs, qui scribere vellent Historiam, sed præbere paratam vnde sumerent; tum verò, vt hac celeritate scriptionis, aliorum accensa studia, quasi flammam alerem. Et mihi sanè extersit omnem curam & metum cogitatio, quòd* BELLARMINI *res gestæ, plenæ cuiusdam conuenientissimæ simplicitatis, & Christianæ prudentiæ, in candore apertæ dictionis,*

ctionis, & cui ars fucum additura non timeretur, haud poterunt à simplicitate hac dictionis, iacturam pati venerationis illius, quam promerentur. Quin imò in hunc modum erit vnicuique compertum, haud fuisse consilium texere hîc panegyricam laudationem; nihilque citra fidem Historiæ adferri: quam notam veri, quo pacto assequi potuerim, iam indicabo.

Primò neminem putem esse adeò hebetem, qui non æstimet, quàm temerarium foret, figmentis exscribere virum inspecti coloris; & qui ferè perpetuò vixit Romæ, hoc est, in Ciuitate, in quâ Mundi pars quæuis suos oculos habet. Dum enim supersunt innumeri cuiusuis conditionis, ordinis, & principatus, qui eius consuetudine interiori vsi sunt; profectò nulla mendacio securitas; sed contrà aut pudor esset, aut metus. Ab his itaque ore tenus, & per syngraphas, quæ de BELLARMINO *ipsi cognouerant, accepi. Multum prætereà conduxit, in epistolarum secreto reconditorio inuentus earum numerus; & ex his*

pars

pars magna ipsius Cardinalis manu, quæ pòst ab amanuensi describebantur. Verùm ante omnia iuuit narratiuncula breuis, quam Cardinalis ipse de rebus à se gestis composuit; non tamen sponte, sed consilio & tantùm non auctoritate alterius.

MVTIVS VITELLESCVS, *qui nunc Societati præest vniuersæ, ex veteri familiaritate, quadam die ad Cardinalem* BELLARMINVM *venit meditatus: & cùm significasset, habere se quod ab eo amicè peteret, & ferè muneris loco; annuente Cardinali, Vellem, inquit, vitæ tuæ summam ab infantiâ, & per ætatem reliquam, scripto complectereris. Cardinalis abnuit statim, ratus haud congruere menti optimæ, linguâ & calamo ire in laudes proprias; & res gestas non benè ab iis referri, à quibus geruntur.* MVTIVS *contrà, Existimas, inquit, posse tuum in Historiâ nostræ Societatis præteriri nomen; dum alij tot, haud perinde celebres, in eâ sunt tam præclaro & illustri loco? Iam (neque hoc inficias ibis) quanta erit varietas opinionum, si res gestæ à te,*

à te, debuerint per coniecturas ab aliis indagari? At si tu scripseris, qui tuos mores nosti; facilè intelligitur, quo loco sit futura veritas. Neque verò promptum consilium aliud est, quàm (nisi scribere malis) vt alius excipiat, quæ tibi ad hanc diem contigerunt. Hoc itaque age; & circa res, ad quas oporteat singillatim animum aduertas, interrogabit hic ordo materiæ, quem attuli dispositum à Scriptore historiarum nostrarum. *Cardinalis* BELLARMINVS *(vt erat miti vir ingenio tractabilique) conditionem non tam probauit, quàm accepit. Itaque incitatus etiam ab Andreâ Eudæmon Ioanne familiari suo, Commentarium de vitâ suâ, à pueritiâ, summatim composuit. Quò tamen tacitè insinuaret, minimè inductum se fiduciâ morum, aut arrogantiâ, res proprias narraße, nullum præscripsit narrationi nomen: sed à littera N. solitariè sic cœpit.* N. natus est anno Domini M. D. XLII. *Deinde ad finem addidit:* Hæc scripsit N. rogatus ab Amico & Fratre, anno M. DC. XIII. mense Iunio.

nio. De virtutibus ſuis nihil dixit, quia neſcit, an vllam verè habeat. De vitiis tacuit, quia non ſunt digna quæ ſcribantur; & vtinam de libro Dei deleta inueniantur in die Iudicij! Amen. Oret pro me.

Poſtremò habui Commentarios publicos tres, formatos ad Tribunalia Vrbis Romæ, Capuæ, & Politiani; atque in eis, teſtes ampliùs octoginta, iurati affirmarunt multa & præcipua de vitâ ipſius. Quare non ego incerta, aut leuiùs credita de eo adſeram: ſed comperta & explorata, & familiaria oculis eorum, qui eadem teſtificantur.

Hæc libuit præfari, ante initium Vitæ Cardinalis BELLARMINI. *Quæ ſi te, Lector, ad virtutem inſtruet, hoc velim, hoc precor, vt laudes referas in Deum, cuius beneficio ſplendere inter Eccleſiæ lumina viſus eſt* BELLARMINVS: *qui, ſi doctrinam ſpectes, aut æquauit ſapientiſſimorum famam, aut exceſſit; ſi ſpectes ſanctimoniam, peræquè in eâ excelluit.*

Sed

Sed si quæ peccabit historia, condones ea Lector: cumque operis consilium dederit dumtaxat studium publicæ vtilitatis, & ne præsenti incuriâ extingui sequentis æui memoria videretur, liber hic, vt spero, professione hac aut commendandus erit, aut excusandus: æstimandus verò saltem ex materiæ nobilitate; quoniam est Vita Viri ferè tantum eminentis, quantum eminere Virtus potest.



IN-

INDEX CAPITVM

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

** Theo-

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

CAP.

LIBRI QVINTI.

LIBRI SEXTI.

CAP.

LIBRI SEPTIMI.

ROBERTVS
CARDINALIS
BELLARMINVS
E
SOCIETATE IESV.

Anagramma.

L'VTERI
ERRORES
AC ASTVTIAS
CALVINI
OMNES DELEBIS.

VITÆ

ROBERTVS CARDINALIS
BELLARMINVS POLITIANVS
SOCIETATIS IESV
EX MARCELLI II. PONT. MAX. SORORE NATVS.

VITÆ ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI E SOCIETATE IESV

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.



Patria, & Parentes eius.

HONOREM nominis, quem ambitione plurimi, morum commendatione pauci petunt, adeptus est feliciter ROBERTVS BELLARMINVS, homo virtuti simillimus. Et ideò superstes quidem erit ex solâ præstantiâ suâ, in scriptis iis, quorum reliquit ingentia post se volumina; & manebunt perpetuæ virtutes eius, atque res gestæ in recordatione hominum. Sed quia diffusus latè odor vitæ eius innocentis iuxtà, ac plenæ virtutum per omnia genera, Orbem



terrarum vniuerſum in admirationem ſui conuertit; adeò vt optauerint non pauci cognoſcere clariùs, quæ Bellarmino fuerit conſuetudo morum, dum interfuit rebus humanis: conueniens fuerit eius Vitam litteris tradere; quæ litteræ cùm ſint vna cuſtodia fidelis memoriæ rerum præteritarum, efficient, vt qui haud dubiè æternitate temporum & gloriæ fruitur in cælo, non fraudetur in terris laude & famâ rerum; & vt ad imitationem exemplaris excogitatiſſimi, multis hoc pacto ſtimuli ſubdantur.

Patria Roberti Bellarmini fuit Politianum, vrbs amœna ſitu, & clementiſſimi cæli. Eadem, numero nobilium familiarum quæ illic incolunt, ex illuſtribus Etruriæ ciuitatibus, tametſi tot capita laudum recenſere poſſit, quot capita ciuium excelſiſſimorum anteactis ſæculis ex eâ floruerunt: gloriari præſertim poterit, habuiſſe ſe in hac poſtremâ ætate Cardinales quatuor, & vnum Pontificem Maximum; ſi menſuram æſtimes rectè factorum, planè Heroës omnes, & omnes vtilitati publicæ natos.

Inter hos fuit Ioannes Riccius Cardinalis Montis Politiani. Is primùm, ſedente PAVLO III. in Alexandri Farneſij Cardinalis Aulâ, hoc eſt in litterarum & virtutum hoſpitio, deprehenſus vir cõſilij magni, neque

vll•

vllo vitio, ſed contrà virtutibus ſummis; ab eodem Pontifice in communibus negotiis ad Principes varios Legatus miſſus eſt, auctoritate, conſtantiâ, famâ clarus; & ab IVLIO III. Pontifice inter Purpuratos adlectus, ſummiſque honoribus egregiè vſus, non modò eximium ſpecimen conſilij, animique, & laudis non vulgaris viuens dedit; ſed excedens è viuis, Vrbi grande deſiderium ſui reliquit, tranſmiſitque per obitum ad nos documentum magnum: videlicet, rem nullam magis debere cordi eſſe, inter Aulæ negotia, & ſæculi curas, quàm obſequium circa Religionem, ac Deum.

Idem quoque Summus Pontifex IVLIVS ex hac Patriâ euocauit ad Purpuram Robertum de Nobilibus Sororis ſuæ filium, cùm eſſet natus annos non ampliùs tredecim. Is animo etiam, quàm cognomento & gente nobilior, multò modeſtiâ poſt purpuram, quàm purpurâ ipsâ venerabiliorem ſe reddidit: ex quo bona naturæ omnia, vitia fortunæ vel ætatis nulla, ſummam verò virtutem præ ſe ferens, admirationi adeò fuit, vt eum Diuis ſimillimum iuuenem cuncti iudicarent; accedente conſenſu Orbis terrarum ad vocem illam Reginaldi Poli Cardinalis, quâ ipſum, nobile ſacri Senatus decus, ſupremiq; Ordinis ſpeculum illuſtre, nominauit. Et ego

quidem puto, perrarò humanos oculos vidisse in eâ ætate virtutis ita præcoces fructus; non modò, quia ipsius, tametsi iuuenis, virtus nullius amplissimi honoris fastigium non æquabat, verùm etiam, quia adeò inuicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemptorque honorum & diuitiarum fuit; vt pertentauerit omnia, studio abdicandi se Purpurâ, quò deinde in Societatem IESV nomen daret. Sed repentè omnis in eo vigor iuuentæ elanguit: cumque esset ætas annorum septemdecim, flos ipse, adolescens in omnium virtutum exempla genitus, animam cælestem Cęlo reddidit. Etsi verò vix inchoato in spatio ereptus est, virtutis longum ęuum expleuit *placita Deo anima illius*; ac per id, quod interuallo tam breui egit, quantus euasurus esset, ostendit.

Adsimili virtute, quamquam dissimili ætate, fuit Franciscus Maria Taurusius, vnus inter illustres Socios S. Philippi Nerij, & inter primos lapides fundati atq; amplificati Cœtus venerabilis, quod Oratorium in Vrbe appellatur; & cuius piæ institutionis Roma cum gaudio fructus hodieque vberes percipit. Vir erat animi interritus, & in re gerêdâ miræ firmitatis, singularisque prudentię. Quapropter cùm esset claro apud omnes rumore, per virtutes insignes, & vitam tanto institutore dignam,

gnam, CLEMENS VIII. ei primò Archiepiscopatum Auenionensem, deinde contulit & Purpuram. In quo gradu versatus diu famâ integrâ, & optimâ; tandem homo antiquâ virtute ac fide, iam grauior annis, decreuit abscedere Purpuræ muneribus (tametsi in corpore affecto vigeret vis animi, consilijq́;) ac se retulit in Oratorium ad Socios: vbi vitæ postremum actum, plaudente Româ, clausit, cùm peruenisset ad annum ætatis tertium supra octogesimum.

Sed supra ceteros Politianum illustrauit MARCELLVS CERVINVS, Pontifex sanè Maximus, & Sanctissimus; qui spem excitauerat, fore vt nutantem Christianam Rempublicam humeris suis sustentaret, introduceretque & stabiliret illius delectam atque constitutam formam. Romæ verò magna sperabatur per eum repurgatio: futurum enim videbatur, si eius vnius Præsidis nutu, quasi animâ & mente regeretur, vt mores pristini reuerterent; & egesto quidquid turbidum, restitueretur vis legibus, Religioni veneratio, Supremoque Senatui maiestas: adeò ille sapientiâ suâ, atque solertiâ, perturbatum ordinare Ecclesiæ statum ante eam diem, in sacro Tridenti Concilio conatus fuerat. Sed grandia consilia perducere destinatum ad finem nequiuit, repentino obitu sublatus; cum

ingenti luctu non Vrbis modò, & circumiacentium Italiæ populorum, ſed externarum nationum etiam, quæ indoluêre grauiter, atque vltra morem lamentatæ ſunt, ſeſe eo priuari altero & vigeſimo die, quàm Pontifex delectus fuerat: tanta inſederat animis perſuaſio Viri, viſu atque auditu iuxtà venerabilis. Nihilominùs ſuper fundamenta exiſtimationis magnæ, quæ poſuit animus ille tam capax ſupremi regiminis, viuet, quamdiu fama & æternitas erunt: diceturque, verâ eius cum laude, Pontificatum diutiùs tenuiſſe alios; neminem, ſi publicum luctum atque opinionem ſpectes, glorioſiùs reliquiſſe.

Ex huius Sanctiſſimi Pontificis Sorore natus eſt Robertus Bellarminus, ſanguine non degeneri: eique Cælum cùm vellet cumulatè omnia ſua lumina elargiri, deeſſe non permiſit lucem ſtirpis; vt inde etiam micare poſſet inter illos, qui hanc ſcintillam iactant. Oſtendunt hoc veteres & prænobiles familiæ, quas complexa eſt affinitate ſuâ Bellarmina Gens, paribus coniugijs domi foriſque. Ideoque Regi Britanniæ contemnenti humilitatem ſuam, tamquam genere obſcuro natus eſſet, reſcribere potuit, nec falsò; ſe Progenitores habuiſſe, Ciues quidem priuatos, ſed honeſto loco, ſed probos; & præterea Auunculum MARCELLVM II. Pontificem,

à cu-

à cuius laudibus ne inimici quidem cessarunt. Nam Theodorus Bibliander, fidei maculâ Lutheranus, in tabulis Chronologicis, vbi series Pontificum ordinat, sic habet: *Sedit anno* M. D. LV. MARCELLVS II. *Vir sanctus, & doctus*. Sed pòst Bellarminus addens, quàm pendat minimi titulum vacuæ nobilitatis, nisi virtus eam impleat; affirmauit, se, tametsi non stirpis antiquæ, sed pudendis parentibus atque auis esset, dummodò non desideraret Religionem optimam, & pietatem in eis, paratum non verecundari ob genus. Nam sanctus Petrus, inquit, piscatorem egit, sanctus Paulus tabernaculorum opificem, & Deus ipse filium fabri; qui etiam elegit homines abiectissimorum natalium, vt confunderet Principes Mundi. Verè enim dum nullum fastiditur genus, in quo enituerit virtus, gloria Ecclesiæ crescet, vt semper creuit.

Monet hic locus, vt etiam pauca de virtutibus dicãtur, quibus Roberti vterque Parens excelluit. Nam sicut gloria Patris est Filius sapiens; ita vicissim sæpenumerò patrum virtus, domestica per exempla, ducitur ad filios, & cum lacte ab eis promiscuè hauritur.

Vincentius Bellarminus eius Pater fuit, qui ad senium vsque, Vir exempli recti, inter Ciues nobilis habitus est; & cui ab ingenio per omnia stabili ac veraci, inerat studium maius

operis honesti, quàm prolixi sermonis. Consulatu, ac ceteris honoribus perfunctus, ita semper pro causâ ciuitatis ostendit se Virum acrem, & inspectæ virtutis; vt pro familiâ suâ id egerit perpetuò, quò eam ditaret virtutum, quàm opum largiore patrimonio. E Parentibus eius, sic quidem vir; sed ne quis sexus à laude cessaret, ecce & matris virtus. Hæc appellabatur Cynthia Ceruina, MARCELLI II. Soror germana, & femina inprimis pia: quæ, vt ex Bellarmino accepimus, Societatem IESV agnouit primùm à Paschasio Broet, viro Religioso, & vno inter S. Ignatij primos nouem commilites. Is aliquando aduersâ tentatus valetudine, contulerat se, non procul inde, ad salubres aquas; & moratus obiter in Politiano, causam pietatis intereà non dimiserat. Ergo dum insisteret is pia colloquia serere, Cynthia inter alios, vt incensa erat erga pietatem ac Deum, accedere & colloqui sæpiùs, ab eoque regi; quò in vitæ semitâ alacriùs & tutiùs progrederetur. Atque hinc de eius viri laudibus referre multa, tamquam de eo, qui calleret egregiè disciplinam animæ; & tum vehementer affici erga nostrum Ordinem cœpit. Hac de re habeo Epistolam eius, ad Alexandrum Ceruinum fratrem, prid. Idus Ianuar. an. M. D. LVI. datam; in quâ petebat, liceret eius cum ve-

niâ

niâ proficiſci ad Laureti locum, inſignem venerabilemq́ue, ob ſanctiſſimam Ædem Virginis Genitricis, & ſacrata omnia Dei veſtigijs humana miſerantis. Eius verò peregrinationis ſe eſſe ex voto ream, aiebat; & cupere ibi expiare animam, cæleſtique epulo reficere apud Religioſos Clericos nouæ formæ, ac laudatiſſimæ, (ſic enim appellat viros Societatis) qui Pœnitentibus aures Laureti dabant. Dein, quòd intelligeret ad iter ſumptus eſſe neceſſarios, & hoc poſſe in familiæ damnum euadere; rem addidit, quæ indicio ſit eius moderationis: nam, *Te ne animi angant*, inquit, *cogitatæ expenſæ, & difficultates viæ; noſti me paruo contentam eſſe, & odiſſe pompas: ſatis habeo, ſi à voto alienus non fueris*. Scripſit hæc vno anno, antequam Societas in Vrbe Politianâ domicilium ſtatueret: nam deinceps in Templo noſtro ſacras Exomologeſim & Synaxim, doctrinamq́ue animæ, audiendis iuxtà rebus cæleſtibus atque agendis apta, perpetuò frequentauit; & fructus magni argumento ſit eius in Deum vehemens charitas. Etenim oblita ferè, à naturâ ſe matrē eſſe, nihil magis optauit, quàm vt quotquot pepererat mares (erant autem numero quinque) in noſtrum Ordinem aggregarentur vniuerſi.

Modeſtiâ ſingulari fuit, & honorum tem-

perans, atque pomparum: ſumptus ei pro opibus, & ornatus pro copiâ, ſumma votorum erant. Item vt contineret ſe domi; &, excepto quòd in Templis, aut nuſquam eſſet, aut raro alibi: familiæque inſiſtens educationi, filios perinde inſtitutos haberet. Idcircò non tantummodò narrata de aliis, ſed ſpectata in ſe documenta virtutum ſubiiciebat oculis paruulorum, ſalubriaque in loco addebat monita; quò ita timor Domini ſanctus altè in eorum animos deſcenderet, pieque perpauefaceret, redderetque eos erga Deum venerabundos. Docebat frequentare myſteria Religionis, ad normam vtique moris ſui; vtpote quæ ad Sacerdotis aures afferret aſſiduè præparatum animum: deinde ſacram ad menſam accederet; & manè ſtatim, cùm diluculaſſet, ſenſus ad ſe omnes colligeret, ne extra animam irent; quò diuina poſſet tranquillè meditari, & Conditori ſuo dedicare primam lucem. His verò exercitationibus mentis adiungebat vocis obſequia, ſupplicationeſque; ſic diei ſpatia diſtribuens, vt à Deo principium eſſet ſemper, nec familiæ tamen procurationem negligeret: vſque adeò virilibus curis vitia feminarum, nihil muliebre præter corpus retinens, exuerat. Ad hæc, quoniam didicerat illas preces optimas cenſeri, quibus comes ieiunium eſt, & delectari Deum eroga-

erogationibus piis; quàm erat erga pauperes liberali commiſeratione, illis largè ſubueniendo, tantò erga ſeipſam durior & ſeuerior, corpus macerando cibi abſtinentiâ inuſitatâ, corrumpendoque ætatem crebris & aſperrimis afflictationibus. Harum rerum teſtis Robertus noſter, & Camilla filia: quæ ſuperſtes adhuc, dum hæc narro, affirmat, interfuiſſe aliquando ſe, nec tamen conſultò, in conclaui, quod erat in vltimis ædibus, cùm introiuit eò Genitrix: vbi minimè conſcia latere quemquam, flagris ſe verberauit tam vehemèns, vt attonitæ ſimilis Camilla hæreret; incerta animi, indicaret ſe, quò Cynthia deſiſteret; an latebras protraheret, ne quoquo modo peccaret in Matrem tam piam. Iudicauit ex hoc, nec leui coniecturâ, ſolitam ſimilibus exemplis in ſe ſæuire; propterea quòd ſæpè, abſque aliâ cauſâ, abderet ſe in id conclaue, veluti remotis arbitris operatura doloris & pœnitentiæ ſacris. Sed res non alia magis promit virtutem animi, quàm fortuna varians, nunc aduerſis, nunc ſecundis, ſi ſuſcipitur moderatè: & præſertim in improſperis, aut ſubitâ ruinâ, retinere vultum primum, res eſt ſupra communem laudem. Multò ſe omnium fortunatiſſimam viderat, ac ſitam in ſummâ orbitæ parte; quando per Nuntium omnia læta, & Cardinalem tituli Sanctæ Crucis,

Crucis, germanum fratrem, Romæ inauguratum esse Pontificem audierat. Contrà, qui est circulus præceps humanarum rerum, conuersione factâ, agnouit reuolutam se ad imum, cùm felicitas ea subitò, & ferè vix nata consenuit. Quia verò genus quoddam infortunij durissimi est, infelicem euadere, postquam semel se quis oblectauerit gustu felicitatis; quàm stante ac ne inter ea quidem præcipitia nutanti animo fortunam vtramq; tolerauerit; & quàm æquabili vultu manserit in hac imagine tristium & lætorum, non ego meliùs exprimam, quàm verbis Epistolæ eius ad Alexandrum fratrem.

Ad litteras nuntias creati Pontificis; *Datæ mihi abs te*, inquit, *litteræ, xj. Kal. Maij, attulêre consolationem, & lætitiam illam, in quam officia sororis me inuitare debuerunt: non modò quia gaudium illud accepi, quod est commune nobis, & Orbi terrarum, vnà nobiscum exultanti; verùm etiam, quia tu vales prosperrimè: pro quâ ego re grates Deo adhuc maiores reddidi: nec mihi ad vota reliqui est aliud, nisi vt præsentes vos omnes videam. Officiorum ratio à me habenda, sicut & monita, quibus à te instruor, mihi percara fuerunt; neque quidquam ita impensè velim, atque vt ea geram, quæ tibi laudi sint, & honorifica Summo Pontifici, ac Deo. Noui de te similia: & has censeo esse partes*

tes

tes Christiani animi secunda metuentis: quibus modum imponere, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ, prudentis pectoris, & meritò felicis est. Quare meo intenta muneri & honori, pro dignitate Summi Pontificis ac tuâ hoc enitar, vt æstimem ego ipsa me, quantum satis est, quantum opus est: eruntq́ue mensura decorum meorum consilium prudens & ratio; sicuti scribis. Et verò, vt non nisi honesta tentem, monent proles numerosior ac vitæ lassitudo. Hæc habet initiò; paulò pòst addit: *Quoniam Deus hoc beneficio me cumulauit, vt habuerim aditum ad Summi Pontificis beneuolentiam, ac ad tuam, & vt possimus diuinæ Maiestati, in statu rerum auctiori, deseruire; his amplissimis donis ne indigna sim, dedi operam, & porrò datura sum; curaboq́ue familiæ nostræ ornamenta virtutum illarum, quæ per obitum amitti non solent.* Indicant hæc, quàm intùs esset ei animus modestè situs; & idcircò audita non fuit à virtute discors, quando domus suæ obscura sensit: donum in viris etiam inuentu rarum. Et fortassis, vt erat dilecta Deo, munere aliquo singulari præmunita est, quò minùs eam feriret dolor; dum intelligeret, fratris repentino obitu, se gentemque suam deiectam Principatu, & factam fortunæ pariter ac familiæ tantam inclinationem. Quo tam magno icta, simul publico familiarique luctu, etsi

etsi mœrere etiam ipsa debuit, quia soror erat; ita sui compos fuit, vt aliqua solatia inuenire, & præbere Alexandri fratris ægro animo (quod difficillimum in luctu est) intereà potuerit. Etenim codicillos consolatorios ei misit, afflictum ex recenti casu adhortans, vt accepto vulneri, consilio & prudentiâ mederetur; & vt Deo ita disponenti submitteret animos, seque ad eius voluntatem totum fingeret formaretque. Scripsit quippe, se venire ærumnarum sociam, vti gaudiorum fuerat: malle, vt fortuna se, quàm virtus deserat: nec familiæ suæ vltimum damnum esse, virtutis præmium amittere; modò sit virtus in eâ superstes. Denique inter ærumnas, remedium ægrimoniæ optimum esse, fiduciam in Deum; sub cuius tutelâ nemo metuat orbitatem.

Mater igitur tam laudati moris, & Principatu fratris adepta nihil, nisi luctum, & bonam famam, meritò ab suomet prudentissimo filio appellatur sanctissima femina. Quæ cùm attigisset ætatis annum circiter vndequinquagesimum, perque molestias vitæ varias, & corporis afflictationes spontè obitas, in morbum aquæ intercutis incurrisset; ex eo morbo decedens, in Cælum, vti sperandum est, migrauit, anno Sal. M. D. LXXVI. grandi vtique exemplo, ne se in felicitate mulieres

extra

extra virtutis cogitationem putent; cùm ferè faciliùs aduersam, quàm secundam fortunam rexerit. Sed quod in rem nostram est, femina sanè felicis vteri, & magni Cardinalis Bellarmini fortunata parens, cuius educationi debemus acceptum referre primum illum florem innocentiæ, morumque lectissimorum, ex quo ætas nostra fructus gloriæ tam vberes habuit.

CAPVT II.

Natiuitas eius, & Innocens infantia.

HOC pacto è parentibus nobilitate & Christianâ pietate claris, Vincentio Bellarmino, ac Cynthiâ Ceruinâ, sub Pontifice PAVLO III. è gente Farnesiâ, atque in Etruriâ Duce Cosmo è gente Mediceâ, anno Sal. M. D. XLII. die IV. Octobris, quæ dies Ecclesiæ vniuersæ lætissima est, ob celebritatem S. Francisci de Assisio, in Vrbe Politianâ natus est Robertus Franciscus Romulus Bellarminus (nam hoc triplex nomen è lustrali fonte retulit) fratrum quidem natu tertius, sed rerum maximarum destinatione primus. Et quamquam inter vsitatas appellationes, tantùm Roberti nomen adhæsit illi perpetuum, propterea quòd fuerat à Roberto

Puccio

Puccio Florentino Cardinali è ſacro fonte ſuſceptus; tamen quamdiu vixit, ſub Seraphici Patriarchæ S. Franciſci tutelâ manſit, eiuſque virtutes referre nixus eſt exemplis omnibus. In ſinu optimorum parentum educatus puer minutulus, annos illuſtratæ mentis vix attigerat, cùm edidit argumenta, quibus futura magnitudo eius, & eximia probitas ſperari, animaduertique poſſet. Nec erat, qui non iudicaret, inter Dei manus opifices mentium humanarum, ſortitum eum eſſe animam bonam, & in quâ propè Adamus non peccaſſet: quod de S. Bonauenturâ olim dictum eſt. Religionis pietatiſque erat, vel tum à pueris, quàm voluptatum & nugarum appetentior: nam puerilia, quibus ætati moram faceret ſexennis, aut ſeptennis, fuêre tantùm ea, quæ indicarent ipſius ad res Eccleſiaſticas procliuitatem. Quæ Sacerdotes pro aris, vel pro ſuggeſtu in Templis agerent, ea domi cuncta referebat; narrauitque ipſemet, ſe nondum maturâ pueritiâ, deſumpto ſcamno, ex aliquo fortè conclaui, eoque inuerſo, ſæpè vſum eſſe tamquam ſuggeſtu. Ex eo enim, exſtans pectore tenus, cum amiculo lineo, de acerbiſſimis Chriſti Domini cruciatibus, mœſtiſſimâque eius nece, concionabundus verba faciebat: & delectabatur intereà, ſuprà quàm dici poteſt, pia Genitrix indole

indole illâ tam probâ; tantoque ſtudioſiùs Dei metum inijciendum rebatur in animam eius, ita vt ad cor vſque peruaderet, ne mens deerrare illecebrâ vllâ perpelleretur à ſemitâ rectâ mandatorum Dei.

Cura præcipua fuit, vitam pueri ſic inſtituere, vt non illam dedecoraret conſuetudo parium, habita ſine delectu: itaque eos, qui teneris annis infundunt ementiti nominis libertatem atque licentiam, & qui ſunt certa pernicies indolis honeſtæ, ipſi omnibus modis ignorandos voluit. Quâ in parte obſequens Matri Robertus, ſolitus erat ſeria & iocos celebrare cum fratribus dumtaxat natu maioribus, & cum aliquot patritijs pueris; in quibus, quoad ætas ferret, inchoatio ſapientiæ cerneretur, & culpæ metus. Fuit prætereà in dictis ſuis, vel ab infantiâ, tam verax, vt non meminerit ſibi excidiſſe mendacium, aut excuſationibus, & ineptiis vmquam ſe veritati latebras obtendiſſe.

Puerilibus leuiuſculis moribus ſic abſtinuit, vt Camilla ſoror, viſum ab ſe Robertum neget nouennem aut decennem luſitare, & excurrere temerè; quod fit inter eius ætatis pueros. Contrà in re potiùs omni ſuſpici, & commendari ſolitum à ſapientiâ; adeò vt, excepto quòd annorum experimenta deerant, cetera prudens aut eſſet, aut videretur; erat-

qúe propterea, quaquà incederet, cunctis venerationi. Constant hæc famâ publicâ in Politiano etiam nunc, & iuramento confirmantur ab his qui ipsum nôrunt, hodieqúe viuunt.

Vincentius Paciuchellius, in Templo maximo ibidem Canonicus, annorum trium & octoginta, affirmat, cùm Robertus ad canendi ludum accederet, tum silere solitos, & adigi ad modestiam condiscipulos eius omnes; qui scirent eum tristari animo, si obgarrire vel adstrepere quemquam inaudiret; quia mallet, in ea quæ docerentur, singulos meditari, & exerceri. Quemadmodum de Bernardino Senensi perhibent, cùm rumor ferret ipsum adesse, iuuenes quoque vitæ fluxioris honestiora locutos, & licentiam posuisse. Signo dein Crucis se palàm communiens, musicos libellos accipiebat, exploraturus an fortè inessent voces obscœnæ; quales aliqui contra virtutis harmoniam intereà canunt, artemqúe pulcherrimam indignissimè deprauant. Ergo Sirenas has improbas deuitaturus, flagitantibus vocem, negabat se, quæ forent huiusmodi, cantaturum; quia honestati vitam cum voce pariter consecrârat.

Sed, quod excedit ferè omnem fidem, morum ea grauitas, quæ exprimebat venerationem quamdam, & metum, condiebatur con-

consuetudine agendi tam dulci, tam leni, vt inuisus nemini, ad colloquia inuitaretur à plurimis, amaretur ab omnibus. Vultus ei plenus hilaritatis; sed in quam laxabatur veriùs, quàm soluebatur, innocenter lepidus; & ijs facetijs vti solitus, quæ placerent maximè, neminemque læderent: atque has lineas amabilitatis expoliuit ad senium vsque. Micantem toto ex ore lætitiam obnubere, risum in cachinnos effundere; supprimere, vel in oculis lenitatem, vel in vultu virgineum ruborem, illamque purpuram honestatis, ex quâ incertum, venerationis plus referret an amoris, viderunt eum domestici numquam. Atque ex his indicijs virtutis non vsitatæ credibilia fiunt, quæ de eius ceterâ institutione traduntur. Aures properæ aduersum imperia promptiùs parebant, quàm iubebatur; etiam si foret ipse, vti fit interdum, imperante maior. Et cùm extitisset turbarum origo domi numquam, dici vix potest, quàm facilè controuersias aliorum sedaret, si quæ inter familiares oborirentur. Interdictum sibi spontè voluit lusibus quibuscumque mali generis, & temporis fallendi causâ captabat ea solùm otia, quæ consuetudo patriæ, & mos familiæ, velut anniuersaria permitteret pararetque; cùm Autumni tempore nobiles quique ciuium, siue satietate vrbis, siue amœnitate ipsâ

inuitati, ſolent cum familiâ totâ rus adire, atque vſurpare libertatem.

Hîc Robertus ruſticari, aucupium ſequi, luſitare cum auiculis, vel (quæ fuit ipſius voluptas prima) compoſitis cantibus, plectrique modulatis ſonis releuare animum, ac eo laxamenti genere tantùm vti, cui probi & ingenui aſſueuerant; anteuertens conſilij maturitate, quæ in eam rem cathedræ Sapientum docuerunt.

Sed quis poſſit diuini Spiritûs beatos impetus morari, cùm ille animi habenas regit? Sæpè concionabundus, cùm ſuggeſti copia ruri non eſſet, opportunam aliquam in arborem ſe collocauit; vt diceret è ſuperiori loco ad eos qui ſecum ruri agerent; viſaque tunc eſt, ſi vmquam aliàs, ea arbor ſanè bonos fructus facere. Siquidem adeò ardens Orator aliquando fuit, vt ſacræ virgines quædam, affines ipſius, quæ interfuerant loquenti de voluntarijs pœnis corporis, deque cetero mundi neglectu, priuſquam ipſe indidem ſe reduceret, tactæ animo prorſus fuerint; neſcio ex ratione ipſâ dicendi, an quia ſcirent ipſum ore ſimul & factis ad perſuaſionem loqui. Nota quippe res inter familiares erat, Robertum de nocte, cùm vt ſtuderet, tum verò vt preces ad Deum funderet, ſurgere ſolitum; ad quem finem, vt lumen accenderet, ignem ipſemet

aridâ


aridâ materie concipiebat, è silice fauillam excutiens.

Nota erant perinde quotidiana, quæ obibat, exercitia pietatis; cùm sacrificio interesset adæquè, atque si è numero Cælitum foret; cùm horarias preces Beatissimæ Virginis venerabundus legeret, eiusdemque imploraret nomen per illustres titulos, quas Litanias vocant; cùm in Templo, propè ad paternas ædes, visitaret augustissimum Sacramentum, in quo sub simulacro panis interest rebus humanis Deus; cùm domi secretus oraret, demitteretque per filum adductos precarios globulos, qui numerant in Virgine, aut singuli vitæ annos, aut deni virtutum Rosas.

Addit Vincentius idem, cùm ex musicæ ludo ad Gymnasium Societatis IESV deduceret pium iuuenem, in eo viæ tractu, summum Templum & Ædem alteram S. Francisci numquam eum præterijsse, quin sacri loci admonitu intrò supplex iret, atque in preces genua submitteret. Testificatur quoque, ieiunia maxima Cineralium, Aduentûs Domini, & peruigilia Sanctorum, in eâ ætatulâ sanctè ipsum custodiuisse.

Accidit aliquando, cùm ad diem Lunæ redijsset anniuersaria celebritas diuinorum Natalium, vt Robertus deliberatum habuerit, die Solis inediam ferre perinde, ac si pri-

 diani



diani ieiunij lege ille dies obſtringeretur. Quod quia non fuit conceſſum, pro Eccleſiæ more; ſocij per iocum anſam arripuêre ipſum ludificandi, quaſi ieiunium violaſſet. Tum verò id ægrè paſſus eſt, non quòd eam rem ioco ſenóve ſibi exprobrarent ſocij, ſed quòd inductus fuiſſet in falſam perſuaſionem, parùm ſuæ pietati conſonam. Neque priùs deſijt ſeipſum incuſare, quàm facti ſecurus redderetur: adeò nobili conſcientiâ, iam tum à puero, aſſueuerat noxæ vmbram etiam exhorreſcere.

Omnia hæc, ſi iuſtiùs expendantur, ſatis indicant, Robertum æſtimari poſſe vas electionis, vel tum ab infantiâ, longè Deo gratiſſimum; quod de Baſilio Magno dixit ſanctiſſimus eius frater Gregorius Nyſſenus. Siquidem de illo opinantur plurimi, quam è fonte luſtrali innocentiam primam extulit, retuliſſe ſecum eamdem ad Superos, vt dicetur ſuo loco grauibus coniecturis. Quod etſi donum Dei cumulatiſſimum eſt; laudem ſummam tamen meretur ſolers cuſtodia theſauri cæleſtis.

CA-

CAPVT III.

Docilitas eius; & studia, tum in litteris, tum in pietate.

IAm æterna Sapientia, quia Robertum destinauerat Ecclesiæ suæ præceptorem magnum, statuerat sibi in eius pectore domicilium & sedem: eiusdemque innocentem animam, ad capiendos disciplinarum satus, velut purum solum, castimonià præparauerat. Sed & ingenium ei dederat sane maximum, & quantæcumque doctrinæ capax; memoriam verò celerem, atque perpetuam. Ita cùm integrá eius, nullisque prauitatibus detorta mens, cœpit se litteris dare, & arripere primùm artes honestas; euenit facilè, sicut Deo cordi erat, iuuenisque euasit verè indolis magnæ. Quæ exsplenduerant in puero, corporis animique dotes, sic emicuerunt repentè; vt qui inter condiscipulos erat ætate minor, primò æquales, dein superiores, postremò semet atque ætatem suam anteiret: nec tam assiduitati & labori studiorum, quàm ingenio acri eminentique progressus ille tam felix adscribebatur.

Tenuit ipsum, & delectauit, super Auctores alios, Virgilius Poëta: cuius lectitâdis carminibus sæpe noctes vigiles traduxit; eoque

factum, vt, cùm res deinde poſceret, ſatis indulgente genio, poëmata Latinè plura Virgiliano numero ac lege, atque Italicè Odas, honeſtas, & probis amicas moribus, libenter nec vllo labore compoſuerit. Omnium verò, quos cecinit, verſuum primi, & ceu primitiæ, Virginitati dedicati, notis litterarum per initia ita deſcendebant, vt ἀκρόστιχις fieret, in quâ vox hæc, VIRGINITAS, exprimeretur. In hoc ſcribendi genere, magnam ſæpè laudem adeptus eſt; & tum præcipuè, quando poëmata duo, non excepta dictante aliquo, ſed ſua recitauit. Alterum luctus paſtoritius fuit, quo funus Roberti de Nobilibus Cardinalis proſecutus eſt: alterum elegia ad Abbatem de Nobilibus, Cardinalis fratrem: ambo digna poëmata frequentiore panegyri; cùm nemo non obſtupeſceret, in adoleſcentulo ſexdecim annorum tantam ingenij & carminis felicitatem.

Poſt hoc tempus deliberauerat, heroïco carmine iuſti voluminis, difficultates complecti, quibus ei ſperatus aditus in Religioſum Ordinem præpediebatur: ſed verecundiam non tulit calami fluëtis in propriam laudem; ideò nec opus abſoluit, & flammis, quod inchoauerat, extinxit. Iam quia per ætatem reliquam Poëſi delectatus eſt, quæ de hoc reperi, ſubdam. Tam Florentiæ ac in Monte Re-

Regali, quando ibi Humaniora docuit, quàm posteà Romæ ac Lutetiæ Parisiorum, nactus est occasiones varias laxandi animum in poëticos numeros: sed è copiâ metrorum multò sanè vberrimâ, extat tantummodò, quod scimus, Sapphicum carmen Florentiæ de Spiritu sancto emodulatum, cui initium;

Spiritus celsi Dominator axis.

idque typis editum fuit, ipso planè inscio, ac sine Auctoris nomine, inter versus illustrium Poëtarum: & prætereà Ode de sancta Mariâ Magdalenâ; quam cecinit ad æmulationem, cum Siluio Antoniano Cardinali, viro perelegantis ingenij, & extemporalis carminis vate percelebri. Iusserat certamen CLEMENS Pontifex, animi causâ, in Tusculano; & is dum, quæ conati ambo, cognosceret Arbiter, palmam Bellarmino tribuit; statuique iussit inter Hymnos sacros Breuiarij Romani ab se recogniti Oden eius, cui est exordium;

Pater superni luminis.

tametsi haud in eum finem composita fuerit. Verùm ætas, & moles grauior negotiorum in ipso hanc illecebram sensim imminuit. In epistolâ enim scriptâ viro prænobili à quo Latinas Odas nescio quas acceperat, *Quando viridis*, inquit, *erat iuuentus, eram voluptatis huius auidissimus, & scripsi versus innumeros, maiorem partem heroicos, ac de re-*



graui. In aliâ tamen epiſtolâ, cùm tranſmiſſa ei fuiſſent poëmata quædam ſatis prolixi operis, à Paſtore animarum, qui prope hæreticos habitaret, conſcripta; temperare ſibi non potuit, quin Eccleſiaſticâ libertate hæc reſcriberet perilluſtri viro, à quo redditæ cum iis litteræ fuerant: *Quantum me ſtudio pio erga Sacerdotem, quem commendas, accendit initium litterarum tuarum; tantumdem deferuere cæpi in exitu illarum, propter carmina litteris addita. Nam ſi mihi non vacat, ſcriptionem legere tam vanam, & genij adeò vltra morem euntis; quâ ratione potuit tantum otij ſuppetere, vt illam componeret, homini, cui negotium eſt procurationis animarum, penè inter hæreticos, vicinaſq; eorum prauitates? Saltem, ſi metro ſacro vſus eſſet, ſubderetq; flammam animis ad pietatem in Deum, operæ iacturam, & temporis non omnino feciſſet.* Ex his palàm fit etiam, Robertum Bellarminum ita iuuenilibus annis dulcedine poëſeos mulcere animum conſueuiſſe, vt procul fuerit à corruptelâ eorum, qui ingeniis magnis malè vſi, defluere in commenta laſciuiæ ſolent, cum detrimento temporis malè deperditi, & quod grauius eſt, cum clade animæ acceptâ primùm, dein illatâ, non abſque Ciuitatum publico damno.

Ad eam laudem poëſeos, addidit & alterum

rum eloquentiæ decus: fuit enim comptæ facundiæ, in eâq; tum excelluit, cùm ad gymnasium Societatis contulit se, vt disceret pietatem simul, & liberas artes. Pietatem indicarunt multa. octauo quoq; die expiaturus, si quid peccauerat animus, vt Sacram Eucharistiam sumeret, se ad illa diu præparabat. Ad primam lucem somno excîtus, statim, mente per auroram diffusâ in cælestium rerum contemplatione, cum Deo agere (quod Nazianzenus sigillum vocat rerum interdiu gerendarum) nec intermittere exercitia reliqua pietatis. Atque hæ fuerunt artes, quibus inter incerta rerum humanarum, tenax propositi, visus est ad Deum adhærescere semper, tamquam ad auctorem statûs & firmitudinis suæ.

Assecutus iam inter æquales, quà doctrinæ laude, quà comi probitate, fuerat, vt notis ignotisque carus esset, & (quod mirum est) acuebat in iis venerationem amor. Erat porrò eius consuetudo agendi ingeniosior, & flexa semper ad hilaritatem: miscere sermonibus tamen non nisi ea solebat, quæ vel facerent, ad liberalia studia, vel ad disciplinam animæ. Quòd si immodicæ linguæ aliqui fortè quid ineptè garrirent, statim deriuare ipse dexterrimè sermonem aliò. Imò, quia nôrant increpare solitum eos, qui non verecund-

cundarentur ea dicere,quibus mentem ſuam, aureſque ſociorum polluerent; non congreſſum eius modò, ſed conſpectum etiam videbantur, creſcente cum annis obſequio, venerari.

Eò demum res venerat, vt intereſſe recuſaret,ſicubi ſocij conuenirent, quò ientacula cœnámve vnà celebrarent, aut nugarentur, & perſtreperent ludibundi:ſicuti fit,quando, vel Parentes,vel Magiſtri morum abſunt.Inuitarunt ſæpiùs: at Robertus excuſare ſe; tamquam adeſſe nequiret ſaluâ religione. Rogatus etiam eſt à Fratre natu maximo,cui ciuile videbatur miſceri voluptatibus ſociorum,quorum præſertim eadem ætas, & nobilitas; imò & monitus, ne dignum redderet ſe,cum ſuâ religione,odio. Sed Roberto alia morum via: negauit conſtantiùs, quàm fert iuuenum conditio; neque illos mores ex ſuâ præſentiâ penſi plus accipere voluit. Suaſor erat potiùs, mutarent gaudia; irentque ad Templum aliquod, aut ad Iconem Virginis Deiparæ,votiuâ frequentatione populi venerabilem, & in hanc ſententiam ſæpenumerò ſocios induxit.

Parte ex aliâ,nihil illi tam gratum, quàm inuitari ad conuentus cœtuſque ſodalium, qui deuouent ſe Virgini Genitrici. Inter hos referebat hanc laudem, vt inueniretur nemo,

qui

qui ab eo ſedulitate non vinceretur. Cùm verò eſſet inſpectus ardor eius, & nota facultas publicè diſſerendi; Præfectus primæ Sodalitatis mandauit, exhiberet in munere dicendi ſibi vicariam vocem, Fer. V. Cœnæ Domini. Paruit Robertus, & inſtitutus ad hoc à Patribus Societatis, dixit oris tam grato & tam dulci ſono, itaq; ad flectendum animos temperato, vt Primores ceteri deinceps rogauerint ſæpè, ne ſolatio tam pio ipſorum aures fraudaret; tametſi dicturus interdum, vt Orator extemporaneus. Quibus dum annueret, loquens verecundâ cum grauitate, afferebat breuia, & quæ affectum elicerent: prorſus iuxta quem modum, in piâ commentatione, inſtituebatur ab eo, qui cathedram habet inter innocentes animas, & corda docet. Et ſic, vel à primis annis, veluti alter Daniel, quos in notitiam ſui, hos & in venerationem ſenſim adducebat.

Neque verò tantummodò, dum eſſet harum piarum exercitationum ſectator domi, comes in publico, eoque apud bonos omnes laudatus, credendus eſt à Spiritu ſancto motus fuiſſe, vt linguæ ſonos exereret; ſed etiam cùm infantulus prædiceret, qualis euaſurus eſſet. Narrauit ipſe interdum, ſe tamquam puerili leuitate (dum in Templo intereſſet cõcioni, ſpectator veriùs, quàm auditor) Matri dixiſſe

dixisse sæpiùs: An tu, Domina, non vides Præsulem me, & Ecclesiæ Cardinalem esse factum? Cui cùm illa manu silentium faceret, pergebat puer, ei indicare sacros Doctores, quorum è tholo imagines eminebant; addens, Tamquam vnus eorum vtique, ego aliquando ero. Et voluit fortasse Deus (iam inde ab initio præparans eius animos) vt priùs quàm pueritiam exueret, suæ imaginem quamdam venturæ magnitudinis vaticinaretur.

CAPVT IV.

Adspirat ad Societatem IESV, *& in eam admittitur; post edita, annum integrum, constantiæ varia experimenta.*

ITa geniti, ita educati, cùm primùm adoleuit ætas, Parens, vt eius ingenium illustre, animumq; variis temperatum virtutibus, instrueret maioribus disciplinis, Patauium ei fore studiorum idoneam sedem putauit; vbi, vnà cum Riccardo Ceruino consobrino, dederet se facultatibus grauioribus. Ad eum finem à Cosmo Etrusco Duce est impetrata potestas, vt studiorum causâ extra Etruriam iret: nec supererat cura maior, quàm vt iuueni admodum, daretur ex amicorum numero, qui iter eius regeret. Reperi hoc in epistolâ

lâ ad Alexandrum Ceruinum, qui, quando ex notis occurreret nemo, diſpoſuerat comitem ei adiungere virum aliquem ex Societate IESV, ſi fortè illò profectionem quiſpiam præpararet. Neque enim voluiſſet ipſum credere cuiuis, ob altam indolem animi: tametſi de virtute eius ſecurus propè, diceret intereà: Robertus de melioribus progredietur ſemper ad optima; ſicut etiam nunc agit, quia Deum timet.

Verùm, dum ea Parens agitabat, atque, vt nobilitas ferè auida eſt excellentiæ, auebat filium erudiri artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur; de Roberto Dei prouidentia, cuius lege immobilis rerum humanarum ordo ſeritur, interim alia diſponebat. Quadam die cogitabundus apud ſe, & cum corde agens, vt de vitâ certi aliquid ſtatueret, ſenſit emergere deſiderium vehemens, tranquillitatem adipiſcendi; & pacem illam, quæ exſuperat omnem ſenſum. Ideò res humanas omnes veluti cogens in conſpectum animæ, ſuperque eas meditatus, intellexit facilè, ſi eis inſiſteret, fore in lubrico pedem; & in lapſus grauiores ea ſeruari, quæ ſublimiùs attolluntur. Quare cum Prophetâ, magno ſenſu iterare illud: *Quis dabit mihi pennas, vt columbæ? volabo, & requieſcam.* & in hæc mentem altè defigens, ita ipſemet ſecum,

cum, *Fastus*, inquit, *quo imaginarios honores suos Mundus alit, & in terris quidquid admirere summum, cùm pro basi vitam humanam habeat, non stabit diu, nec ad ætatem longiorem, quàm vita ipsa: quin imò, fortunæ, opes, dignitates, quàm illæ sæpè, non expectato funere, valedicunt? Quòd si ad funus vsque moram faciunt, haud comites vltra sepulchrum eunt. Nam, quia fundamentum ruit, corruunt ædium partes quoque, & earum ornamenta. Quare si Poëtarum aliquis vitam, quam viuimus, somnium vnius vmbræ nominauit; quantò vmbrâ somnióve tenuior, gloriæ humanæ pompa censenda est, quæ vitâ citiùs difflatur & vanescit?*

Iniecta hæc diuinitùs mens, facilè perpulit, vt fastidiente animo respueret species honorum; magna, sed mera nomina: ex quo prodiit admiratio, quâ in ceterâ vitâ dein obstupuit, progressum eò cæcitatis hominum genus, vt credant, se adstruere securitati, quidquid mole imaginariâ imponunt torrenti rapido subterlabentis humanæ vitæ; & vt ideò perinde viuant, ac si fines mortalitatis iam essent egressi. *Non tu Roberte, non es*, dicebat iterùm, *ad mores sæculi huius: erige te, Deumq́; Ducem sequere, qui tibi mentem hanc, & consilia saniora submittit. Non tu forsitan vides, quàm multa pericula ambitiosi subeant, vt perueniant ad grandius periculum? Non tu aspicis,*

quàm

quàm breui luce appareat, & statim pereat, quidquid polliceri Mundus potest? Nónne res vitæ huius, si aliquãdo gustui sunt dulces, amarum ad satietatem vsque aggerunt? Dignitas quæuis & purpura, cùm magis splendet, sicut rosa marcescit; & relinquit de se, præter sentes ac spinas, nihil. Quantum coniicere possum, non tu in terris reperies locum securiorem, quàm septa Religionis; vbi, dum pronum in omnia mala atque in luxuriam fluens sæculum suas procellas agit, sepositus animus viuat sibi vni, ac Deo. Portus hic solus occurrit: cetera, otium ipsum, ipsam tranquillitatem rêre fœdam tempestatem, ac naufragium certum. Tabula, in quam si te coniicias, fluctus insanos deuitabis; atque enabis facilè, est fiducia in Deum. Conclude itaque: sapientiam esse (omissis ambitione & voluptate, fallacibus auctoribus) consecrare seipsum suaq; omnia Deo; quem sequentibus semper prospera eueniunt, aduersa spernentibus. Post hanc victoriam sui, quæ non præclara modò, sed etiam perpetua fuit; certum habuit, per ingressum Religionis, detrahere animo omnem spem & cupidinem gloriæ: quæ tamen à sapientibus etiam nouissima exuitur. Ideò nihil tum illi reliquum fuit, quàm vt in delectum iret Ordinis alicuius, in quo odorari florem disciplinæ posset, omnisque exempli intueri documenta; & præcipuè, in verâ cog-

nitione rerum, intelligere, quid ſalubre ſit & frugiferum, quod ſequatur; quid fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitet. Has conditiones reperit in Societate IESV, cui vtiq; prima tum ætas vim integri caloris miniſtrabat ad vitam virtutis; quam profitebatur nouo inſtituto, ſed moribus antiquis: eaque inprimis placuit, quoniam dignitates quaſcumque (ſuam operam citra honores ac titulos Pontifici deferens) ſacramento recuſaret. Idcircò ſuapte ſponte de eâ ſolus (mentem, haud dubiè, illuſtrante Cælo) deliberauit. Ratus tamen, in his quæ ad inſtitutionem animæ ſpectant, clarè periculoſum eſſe, de ſuâ vnius ſententiâ rem gerere; ſtatuit copiam diuinæ vocis, & ſibi cælitus iniectæ mentis, Præceptori ſuo, Religioſo Societatis IESV, communicare. Is erat Vincentius Sgariglia, oriundus ex Aſculo Piceno, vir probus, & beneuolentiæ merito erga Robertum, atque adeò pietate erga Deum inſignis. Itaque hominem adit, & vbi datum eſt ſpatium ſermoni, remotis arbitris eum hoc ordine interrogationibus variis pertentat. Primùm ei aperit, quæ ad illum diem celata aliis, Cælo vni patuerant, quæque ipſe ſecum ac ſolitudo diſtinxerant. Dein ſciſcitatur, quàm viueret contentus in Societate. Rogat verò, ne veluti nimis curioſo ſuccenſeat; quippe cùm ea dumtaxat

pete-

peteret ſtudio rei ſtabilis ineundæ. Poſtremò, *Cùm in hanc fiduciam*, inquit, *inuitet me charitas illa, quâ me exemplis plurimis planeq; amas, per communẽ ſalutem, & per* IESV *viſcera oro quæſóque, ne mihi eſſe obſcurum velis, ſi qua ſub habitu iſto pericula lateant, quæ à ſuſcepto conſilio auertere me poſſint, aut retardare ad aras Numinis feſtinantem animum; vt ibi ſentiat, ſe victimam interfici omnibus gloriæ nominibus, ac viuere ſingulariter Deo.* Sermo prudens Adoleſcentis peperit Præceptori admirationem primò, deinde & venerationem: & facilè coniectare potuit, fore, vt ędificium, cuius tum fundamenta moliebatur, exurgeret ad faſtigium vſque cum gloriâ; abſque eo quod ab re imperfectâ deberet ludibrio eſſe. Sed ad poſtulationem eius; *Aut me*, inquit, *amor ſuſcepti Ordinis fallit, aut meâ ſorte magis contentus nuſquam viuere potuiſſem. Vt optaueram, ita inueni, nullaq; pro me vitæ ratio, nec melior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuiſſet.* Pòſt addidit iuueni monita, & conſilia, quibus rem probiùs & maturiùs exequeretur.

Robertus igitur, de diuinâ voluntate non iam anceps, eorum ſe Religioni deſtinauit, quorum ſuſpicere pietatem, & haurire mores cum doctrinâ pridem cœperat. Hoc eodem tempore rumor diſſipari cœptus eſt, Riccar-

dum Ceruinum, qui Patauij studiorum causâ morabatur, Societatem IESV cogitare, ac flagitare etiam vt in eam aggregaretur. Inducebatur verò & ipse, quoniam cogitaret vitam hominis nebulæ similem esse; debereque numerari inter vilia honores, diuitias inter laqueos; denique reuocari à sapientibus ad lutum, & ad limum, quæ prima vulgus habet. Grata ea res, vt quæ maximè Roberto vmquam fuit; qui cum moribus notis communicaturum se vota & consilia, postquam is reuertisset Patauio, animaduertebat. Interim precibus, & sponte susceptis asperitatibus, negotium suum Numini commendans, ad Iacobum Laynium, qui ab excessu sancti IGNATII conditoris vniuersæ Societati præerat, litteras misit; vt ab ipso, tamquam à supremo duce, in eam IESV Christi militiam adsciscerertur. Nec responsum diu expectauit; Laynius porrò, (vt qui vellet Robertum id quàm mollissimâ viâ consequi) quod flagitauerat concessit: sed eâ conditione, si in deliberationem illam vterque Parens consentiret. Interim vbi manauit hæc quoque de Roberto fama, perculit, suprà quàm credi potest, cognatos omnes; sed Parentem inprimis, qui venerat in persuasionem, fore vt ea vis morum & indoles filij, in spem geniti eius fortunæ reparandæ quam amiserant, familiam

liam procumbentem ſubleuaret. At ægrimonia illa Patris conſtanti filio vocem non ademit, quâ impetrare ab eo abeundi veniam admiteretur. Rogauit itaque impense, ſineret exequi ſe, quod Auctore Deo ſuſceperat, néve voluntati diuinæ moram faceret. Pater contrà, tamquam cæleſti voce iuſſo, reſiſtere ſe nolle: ſed quia feſtinatio improuida eſt & cæca, hoc velle tantùm, vt fieret periculum conſtantiæ: ſe deliberaſſe propterea non aſſentiri, niſi priùs anno exacto. Et hoc ipſe pro Roberto, quemadmodum Alexander Ceruinus pro Riccardo, quem Patauio reuocauit, à Præpoſito Generali obtinuerat. Is tamen eis indulgebat, vt annus datus domi familiaribus tentamentis, ad Tyrocinium primus foret.

Ægrè eam temporis finitionem tulerunt iuuenes, qui paribus ſtudijs, in glorioſi contemptus ſocietatem incendebantur. Tamen quòd tentationem eam eſſe intelligerent perſeuerantiæ ſuæ, & vtilem quidem perinde, atque ſi inter Societatis candidatos probârentur, ea res magnâ ex parte moleſtiam hanc animi deterſit. Erat verò alter alteri ſolatio; præſertim, quia eis integrum relinquebatur, vt in virtute ſe, ſicuti pridem, exercerent: cùm gemini Parentes (vt erant ambo haud intacti religione animi) opportunitatem ad id quantulam-

tulamcumque filijs darent. Imò, vt magis ſuarum rerum eſſent, omiſsâ vrbe, ceſſerant in villam Ceruinorum, quæ *Viuo* nominatur: ibiq́ue, vt Muſas mitiores, animi causâ, interim excolerent, Alexander Ceruinus Parens, & Familiæ caput, tamquam ſtudiorum etiam moderator, per imaginem quamdam Academiæ, explanabat Virgilij Georgica; Riccardus filius Græcè Ariſtotelis libros de Poëſi; Herennius huius frater, qui Protonotarius Apoſtolicus, & vtriuſque Signaturæ Referendarius obijt, Demoſthenis Orationem de Coronâ; & Robertus noſter Orationem M. Tullij Ciceronis pro Milone. Omnes verò in horum ſtudiorum exercitationibus adiuuare inuicem, & pro ſe quiſque illuſtrationes ſuas, lumenq́ue ingenij ac doctrinæ in commune conferre. At Robertus (vt in eo viuum Religioſæ vitæ ſemen, ad quam adornabat ſe, radices ſparſim & profundè egerat) parum decens ratus eam clementem vitam ducere, & nihil aliud, quàm datis amœnitatibus frui, niſi alijs prodeſſet; inſtitit, operi futuro præludens, feſtis & religioſis diebus paganos eius viciniæ in templo inſtituere, & oratione aptâ ſimpliciq́ue, poſtquam Doctrinam Chriſti, & capita Fidei quæ ſunt creditu neceſſaria, explicauerat, eoſdem adhortari ad pietatem & ad timorem Do-

Domini: tam erat ardens etiam tum in procuratione animarum.

In his occupationibus, & experimentis, tandem circumegit se annus, pro flagranti desiderio eorum vtique longissimus, eoque in spatio edidit Robertus constantiæ specimen varium; præsertim, dum ad delectum Religiosæ familiæ plures proponebantur, & ante alias eximius Ordo Prædicatorum, ex quo viri sapientiæ sanctimoniæque laude conspicui sæpè in Ecclesiasticas dignitates euehuntur, pręmia virtuti, & honestè susceptis laboribus. Sed iam tum Robertus tantus erat, vt posset earum desideria contemnere; elegeratque Societatem vel ideò, quia eâ religione artibusque viuit, vt obseptum ei sit ad honorem iter.

Iam quia, vt dixi, ceperant finem annus & suspiria, dictus profectioni dies aderat, quo cum Riccardo Robertus Romam voti compos iret; cùm certandum ei fuit, vt se à lacrymis atque à complexu carorum auelleret. Conuenerant affines, quique arctiori eum contingebant gradu; & tum in eorum conspectu, vbi maturum visum est exequi quod parauerat, genua posuit, Patremque, Genitricem, ac Auiam orauit, vt abeunti, manu in crucem adductâ, benè precarentur. Spectaculum hoc dici non potest, quantopere

 affli-

afflixerit ſingulorum animos. Aderant aliqui contentis & tumentibus, plures manantibus oculis: neque aliter adſpici venerans illa pietas, & modeſtia decens poterat; cùm lamentarentur omnes, relinqui familiam in tenebris, & per ſpeciẽ occaſus ſubduci eum, quem habuerant vti lumen oculorum ſuorum. Sed & Vincentium Patrem non ætas, non pudor cohibuit, quin tormenta pectoris, & ſuas ipſe pœnas fateretur. Perfunctus vltimis amplexibus, vti nequibat exuere animum patris, in hæc verba prorupit: En familiæ noſtræ omnis procumbit ſpes: vnus abit ille per quem exurgeret, & qui compenſare memoriam Auunculi ſolus poſſet. Sed, vt cæca hominum conſilia ſunt; pòſt, æternâ deſtinatione Numinis, factum eſt, vt & Robertus in ſpecioſos titulos indueretur, à quibus abhorrebat, & familiæ magnorum decorum ornamenta, vel iis præſidiis creſcerẽt, in quibus fuerat anteà deſperatio, cùm nemo ignoret, Bellarminum fuiſſe cooptatum à CLEMENTE VIII. Pontifice inter purpuratos Patres, propterea quòd digna res purpurâ, digna ſupremo Eccleſiæ Senatu ea mens viſa eſt, quæ iuxta præſcriptum ſui Ordinis, ſcribendis Controuerſiarum voluminibus aduerſus Hæreſes, opinionem ſibi egregiam excitauerat. Atque ita, abitu eius, præſidium
domui

domui afflictæ non fuit ademptum; quandoquidem eam præstantiâ suâ deinde restituit. Et voluit fortasse Deus, neque in hac vitâ inhonoratam relinqui, aut sine præmio, præclaram illam eius cupiditatem procul ab honoribus viuendi.

Sic Abrahamo par ac geminus, dum sequitur Deum, vnà cum fratre, & dulci comite Riccardo, è patriâ, atque à domesticis digressus est, vt nostræ Societati nomen daret; vbi annixurum pro se quemque sciret, vt expleret ei parentum patriæque desiderium.

Romam incolumis perueniens, inter Tyrones admissus est, XII. Kalend. Octobris, anno M. D. LX. qui dies peruigilium est S. Matthæi Apostoli. Excepti ambo sunt, veluti primitiæ sacræ Collegij Politiani: in quâ Ciuitate, quoniam triennio pòst, criminibus confictis, tantam in inuidiam adducta Societas fuit, vt excedere debuerit; donec innocentia suppressa efferret tandem se, vno è criminatoribus in letali morbo (ex quo & obiit) suum errorem agnoscente; sicuti gemebundus, coram idoneis testibus, id quod falsò sparserat, reuocauit; ea res ansam dedit Scriptori Historiarum nostræ Societatis, laudandi arcana consilia Dei, qui excessu quodam immensæ bonitatis suæ, videtur exprimere interdum ea quæ optima, ex his quæ deterri-

ma. Nam, *Hunc habuit exitum*, inquit, *Collegium Montis Politiani, ſeptem propè annis, inter difficultates maximas, haud planè fruſtrà ſuſtentatum. Ex multis laboribus, vias mihi inenarrabiles diuinæ prouidentiæ contemplanti, commodum extitiſſe illud præ ceteris non pœnitendum videtur, quòd per eam ſtationem Deus Robertum Bellarminum, ad Societatis totiuſq́; Eccleſiæ vſum tantum ac decus, in lucem protulit.* Nec minori luce fortaſſis Societatem illuſtrare potuiſſet Riccardus Ceruinus, ingenij præſtantis ac vitæ integerrimæ laude ignotus nemini, ex quo & à Roberto noſtro ſanctus iuuenis eſt appellatus; niſi quadriennio pòſt, in Collegio Lauretano fuiſſet, agens in flore ipſo virium, extinctus, maiore Societatis damno, quàm ſuo.



VITÆ ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Res ab eo gestæ in Religioso Tyrocinio, & Philosophiæ studia.



DMISSO inter Tyrones maius gaudium fuit, quàm quod vniuersum animus caperet; tantaque lætitia oborta, vt cęlitum vitam adeptus sibi videretur. Quare, quasi anhelans ad nouam stirpem, esse optauit IGNATIO iam similior, quàm sibi. Certus etiam, opus exegisse se supremo Regi apprimè gratum; vt superfundenti se Deo totum dicaret pectus, spontè statuit, per vota voluntariæ Obedientiæ, Castitatis, & Pau-

Paupertatis, velut funiculo triplici, qui difficilè rumpitur, arctissimè cum Christo se Cruci eius colligare, ne fluctuaret abreptus æstu humanarum illecebrarum: idque primâ die suæ admissionis lætus, nec vmquam aliàs diuinis gaudiis cumulatior fecit. Moratus, decem non ampliùs dies, est in eo secessu, quod primum Tyrocinium appellatur; in quo, quia locus est nutrimentorum animæ, meditatu Cælestium rerum, aliisque exercitationibus ad vitam interiorem aptis, mirificè aluit se, & per sacram exomologesim à noxis omnibus ætatis anteactæ animum repurgauit. Pòst accitus in consuetudinem aliorum, vestituque & cetero habitu Religionis ornatus, cùm non ignoraret, vestem mutari faciliùs multò quàm mentem, nihil habuit potius aut prius, quàm vt, sicut exteriùs corpus, ita interiùs animum Religionis cultu sensim indueret. Exinde, quod esset domi vilis ministerij, exequi; vascula in culinâ purè præparare, atque eluere, lances tergere, adferre aptareque cęsim ligna, insternere in triclinio mensas, domum euerrere. Æstimauit enim plurimi Nouitius prudens occasionem hanc, vt perfectionis turrim à fundamento auspicaretur humilitatis.

Dies quatuor & decem vix ipse inter Tyrones egerat, cùm in Romanum Collegium

ad

ad ſtudia miſſus eſt; nec diutiùs inter candidatos fuit, ſiue ita temporum ea ferret ætas, ſiue quia domeſtica experiméta, quæ annum integrum obierat penes Parentem, ad Religioſæ vitæ prçludia illi fuerant abundè. Ceterùm eſt ſatis in Societate cautum, ne Tyrones, ex vmbratili diſciplinâ, ante tempus in aciem & pugnam exeant: vt eorum nondum adulta virtus, & ad callidi hoſtis plerumque ſubdolas artes cæca, ſaltem ſit tuta interim ſtatione & loco. Habetur tamen pro re compertâ, Robertum, ex quo in Academiâ Romanâ degere primùm cœpit, ſemel atq; iterùm quotannis (quod iuniores omnes in Societate agunt) ſua vota repetere ſolitum fuiſſe; ne virtus, tametſi initiis valida, ſpatio langueſceret. Sed qui æſtimat, quantum in ſui abdicatione, quantum in vſu ſupplicandi cótemplandiq́ue diuinas res profeciſſet (quæ duo ſunt vertex imus & ſummus, in quibus vita interior tota verſatur) temporis contracti exiguitatem dicet aſſiduitate operum fuiſſe compenſatam. Poſſem huius rei documenta plura, ſed vnum dumtaxat adfero, ex epiſtolâ eius, non ita multò pòſt ex Monte Regali ſcriptâ ad P. Polancum, qui Societatis vniuerſæ tum erat à ſecretis. Libens verò de epiſtolâ hac memini, quia continet capita quædam clara prouidentiæ ſingularis Dei;

vt

vt capite proximo dicam; & quia oſtendit, quales Robertus inieciſſet frænos inferioris animæ partibus, vt faciliùs eas regeret, Deoq; moderanti redderet obſequentes. *Ea, inquit, tantùm peragere cupio, ad quæ obedientiæ ſanctior me & melior voluntas destinauit: etiam ſi iuberet, vt perpetuò docerem Rhetoricam, aut in minore etiam gradu ipſam Latinitatis infantiam. Hoc in animum induxi, quo die in Societate ſanctâ primùm fui; hoc ſtabiliui, Româ cùm decederem; hoc hodieq; ſtabile ac ratum volo. Quin & à ſanctâ obedientiâ ſi quidpiam pro me petiero, ſiue vt mutem locum, ſiue vt aliud impetrem; etiam ab hac die à Præpoſito Generali efflagito, ne fortè indulgeat eo nomine, quòd morem mihi geſtum velit: ſed quia citra preces meas, iuxta rectiſſimam obedientiæ normam, concedi debet quod petij. Etenim doloris etiam cum ſenſu malim non errare, quàm errare voti compos. Quamquam omnino non erro, dum pareo.* Hæc in epiſtolâ ipſe. Atque hi fuêre progreſſus eius, pro acquiſitione pacis illius, cuius Deum è cælo ſponſorem habent ij, qui nec animo magni, & corde mites, tonitrua pauent ſermonum eius.

Quoad ſtudia litterarum, Magiſtro vſus Petro Parrâ Hiſpano, viro in primis docto & pio, Philoſophiæ triennale ſpatium abſoluit ſummâ cum laude; maiorique ingenij felicitate,

tate, quàm labore: nam id temporis valetudines eum variæ, & letales afflixerunt. Primo anno pænè ad mortem veterno graui ſopitus eſt; & tandem excitatus, morbi reliquias diu tulit. Tentatus eſt capitis grauedine per annum inſequentem totum. Anno tertio diſtillationibus è capite vitiato in præcordia defluentibus, ob tuſſim aſſiduam, & quæ perpetuò ingraueſceret, eò redactus eſt, vt eſſet Medicorum opinio cõſtans, ipſum in phthiſim decidiſſe. Ægritudines hæ ſolent interdum afflictare animos, corpora dum hebetant (quæ inter hæc duo eſt dolorum ſocietas) perque eas ægreſcit ſæpè mens, ac tentatur modis miris: cùm res propè nulla magis angat animi hominem cupidum laboris honeſti, dum adoleſcit, & dum eſt ſanguis integer, quàm ſi intueatur, vim ſuam omnem, & primum florem, valetudine lentâ odiosâque contabefieri miſerè, & tamquam ab vrente nebulâ conſumi. Innaſcuntur intereà curæ deſpondentes animum: vſus rarior circa munia pietatis, infrequens abdicatio veteris hominis; denique eius generis multa: nempe foris captare ſolatium extra veſtibulum animæ; & Religioſi viri retinere habitum, virtutem exuere. Sed Robertus, quia non, vt euaderet vir opinione magnus, aut ſummæ litteraturæ, ſed vt ſanctus fieret, dederat ſe in familiam

miliam ac domum Dei; ęſtimabat æquè plurimi aduerſam atque ſecundam valetudinem, nec per eas nutantis naturæ viciſſitudines patiebatur vllatenus labefactari conſtantiam ſuam. Imò factus exinde certior, breues dies hominis eſſe ſuper terram, inſtitit adproperare in ſemitâ quam inierat; virtutumque pretia, ne viaticum in viâ deficeret, cumulare.

Sed & hoc in primis egit, vt voluntati Dei committeret ſe; eiuſque veluti Parentis in vlnas ſe coniiciens, vſurpabat illud: *In manibus tuis tempora mea*. Fiducia ea non fuit pœnitenda: nam paulò pòſt, vt ſubdam infrà, conualuit; & exacto ſpatio ſtudiorum, ex condiſcipulis nemo viſus eſt illi ingenio aut doctrinâ par: adeò in vtroque genere palmam tulit. Etſi enim ad ſtudia illa minus virium ipſe quàm animi attulerat; tamen quidquid viribus deerat, ingenij præſtantia largè ſubminiſtrauit. Teſtes Magiſtri eius, & Primores Collegij; qui vti ſunt Iudices ingeniorum, eum delegêre, vt publicè de vniuersâ Philoſophiâ diſputaret primus. Prætereà delectu habito inter duodenos eius pares, qui, vti more tunc fiebat, ad gradum Magiſterij promouerentur; Roberto vni hoc honoris ergô detulerunt, vt controuerſiam exponeret de vi ac poteſtate animæ, refelleretque, quæ contrà

trà meditatò afferrent ipſimet Academiæ Profeſſores. Id verò præſtitit egregiè; tametſi abſque Præſide vllo, in ſapientiæ laude ſolus foret.

CAPVT II.

Humaniora & Rhetoricam docet Florentiæ, ac in Monte Regali; Theologiam audit Patauij.

ADoleſcens, in quem natura dotes, virtus mores contulerant ſuos, debuiſſet, præſertim dum ita affectus erat, liberaliùs ac benigniùs coli. Sed ſiue morbi genus ex parte ignoraretur, arctareturque domus, plus iuſto, numero Sociorum; ſiue perſuaſio foret, profuturam ei varietatem ipſam docendi, & in Etruriâ quidem, propter affine cælum, familiaremque aërem; decreuêre Præſides eius, vt Florentiam proficiſceretur ad ſtudia Humaniora iuuentuti tradenda. Ipſe, apud quem celeriora propè omnia imperio erant, non inſtitit æſtimare, quale ſibi naſci detrimentum poſſet, ſi mitteretur tenuis valetudine ad labores magnos. Imò ratus non obtemperantis eſſe, quid poſſit conſiderare, ſed imperantis; ſe ſtatim itineri dedit, & digna pronitas ea fuit, cui Deus gratificaretur. In itinere cùm de ratiunculâ nummorum (quam ob cauſam

ignoro) repentè supereſſet nihil; ad Deum ſe confert curatorem ærarij ſui: & ecce vir nobilis, natione Hiſpanus, vltrò non petenti erogat, quantum opus erat, vt iter abſolueret. Florentiam peruênit, quaſſatus de viâ, & facie ſubpallidâ, ita vt qui adſpicerent, ad valetudinarium, non ad labores eum deſtinarent. Medicus adeſt, explorat valetudinem, experitur ſi quo modo poſſit ea ſedari medicamentis: ſed curæ maior eſt induſtria, quàm felicitas; nec ſalubribus remedijs, hærens diu venis lenta febris, extrahi potuit. Inde ſiniſtra de eo arbitria, quæ nec ipſum Robertum celari diu potuerunt. Inerat ei ſtimulatio ingens ad labores, in obſequium Numinis, obeundos. Ideò conſcius benignitatis Dei, qui à corpore etiam depoſito abſtergere extremam tabem indubiè poteſt, quâdã die Templum adit, fiduciâque magnâ proiectus ante Aram conteſtatur, tunc ſe mori non magnoperè velle: ſed orare imò valetudinem, quâ peruiuere poſſit, & ſe laboribus frangere, augereque acceſſione ſui famulatus gloriam Diuinæ Maieſtatis. Impetrauit quę precatus eſt, & veluti ſenſiſſet auditas preces, redijt inde lætus, ac breuî meliùs habere cœpit. Reſtitutus eſt itaque ori color, & toti corpori priſtina incolumitas; refectique ſunt ſimul cum corpore ſpiritus illi, ex quibus ingenium ipſi
adeò

adeò pronum ad omnia fuit, vt tamen natum ad id vnum diceres, quodcumque ageret. Ergo iam à morbo liber, veluti renouatus flos, & seipso melior ac præstantior, gratias reddidit Deo Liberatori, atque ad obsequium eius exhibuit se in laboribus suscipiendis strenuum, & numquam cessantem, imitatoremque negotiosum illius, qui de se, *In laboribus*, inquit, *à iuuentute meâ.* Verè enim ab adolescentiâ ad metam vsque vltimi senij, semper laboribus ætatem præcessit, & annos rebus gestis anteiuit. Sub initia docendi, necessarium ducens, adolescentiam eorum, qui sibi traditi in disciplinam fuerant, in potestate habere; ne in licentiam excurrerent; & simul reputans ad id se minùs idoneum, vel quia nec ætas suppeteret, & staturæ honor deesset, vel quia meditaretur esse lenis, sicut spontè & ab ingenio erat; statuit industriâ & assiduitate sibi comparare auctoritatem: qui modus optimus est, suauiter iuxtà grauiterq; animos demerendi. Orationes duas in Æde maximâ, ambas plenas luminibus & amœnâ concinnitate habuit: quas demirata ea Ciuitas est, tametsi adferret eruditas aures, assueta frui dulcedine eloquij in Academicis suis. Festis & religiosis diebus versus nonnumquam publice proposuit; in quibus copiam, numerum, & florem dictionis, inuentio adhuc

huc magis commendabat. Cùm se opportunitas daret, controuersias quoque dẽ Mundi, terrarum, ac rerum ceterâ naturâ enodando explicandoq́ue, facilè sibi omnium animos demeruit: & inde factum est, vt feliciter regeret suos, & alliceret adhuc alios, qui subinde adirent interrogaturi circa implicitas quæstiones: incertum, pertentandi causâ sapientiam eius, ob iuuentutem alicui fortasse dubiam, an verè studio discendi: qui tamén de eo semper magnam ingenij & eruditionis opinionem referebant. Menses aliqui his exercitationibus circumacti iam erant, cùm Academici eius vrbis, summâ æstate, pertæsi dies longiores, à Bellarmino flagitarunt, vt horarium spatium quotidie in ipsorum gratiam seponeret: & ipse eis obsequens explicauit doctrinam de Mundi Sphærâ, quæstiones de situ ac mole corporum supremorum, de itu eorum & reditu, de potestate stellarum, & nominatim de earumdem distributione per imagines hominum atque ferarum. Florentiæ moratus, vsque ad annum exactum; vt Rhetoricam profiteretur, ad Montem Regalem, in ditione subalpinâ, missus est. In quâ Ciuitate, quia non dissimilis ei ratio docendi, temporum seriem paululùm intersecabo, vt interim res simillimæ coëant, & subdam precipua quæ hîc ei euenerunt. Affixus fuerat publi-

publicè librorum explicandorum Elenchus, inter quos nominatim Demosthenes Græcus Auctor, ne per desidiam obsolesceret vetustissimæ linguæ disciplina, proponebatur. Robertus Graij sermonis erat planè rudis: sed peritiæ quod defuit, mens atq; industria suppleuit. In litteris Latinis primò se apud omnes, per specimen varium, nobilitauit: pòst ad ignota Grecæ litteraturæ velificaturus, Auditores suos monuit, linguam externam illá adæquè vtilem atq; difficilé esse; & ab elementis inchoandum, vt certiùs teneretur. Sic ipse cum eis elementarius factus, Graij sermonis prima rudimenta, eiusq; verborum inflexiones & nominum, studij laboriosissimi patiés, complexus; breuî eò euasit, vt difficultates iam in linguâ illâ, vel inueniret nullas, vel expediret omnes: potuitque Isocratis atq; Demosthenis libros, & Scriptoris cuiuscumque, deinceps Magister, interpretari. Sed non propterea, quòd doceret isthæc apparatu nullo, ab aliis ministeriis domi cessationem habuit. Imò, iuuenis prorsus ad morem sui Ordinis factus, dum Rectoris nutus & imperia pro Numine obseruat; miraculo, vel caritatis vel obedientiæ, ita se gessit, ac si omnia forent in ipsum Collegij totius inclinata onera. Id quod gerendis rebus superesset, quieti dabat: dieique opere confecto, vltimus decumbe-

bat; cùm tamen opus ipse semper iniret primus; & sub auroram, statâ horâ, in cubicula singulorum lumen inferens, excubitoris munere fungebatur. Adhæc in triclinio mensæ lectorem agebat; Sacerdotes comitabatur ad affectos, & ad negotia quæ instarent: Ianitori etiam substituebatur; & suscipiens labores pro solatiis, ad vilia omnia descendebat; famulus veriùs, quàm socius. Habebat idem adhortationes domi priuatas, foris conciones publicas: de quibus dicam paulò pòst, & narrabo interim lepidum factum, quod tum euênit. Ad Religiosam domum Ordinis sancti Dominici contulerat se Rector Collegij, vt Cœnobiarcham salutaret officij causâ: & is ad ceteram comitatem, in quâ multus erat, hoc etiam addidit, vt vina promi statim iusserit. Cùm Rector tamen abnueret; is qui inuitauerat, Bibet, inquit, nec inuitus, fraterculus iste, comes tuus; & erat is fortè Robertus. Die sequenti Cœnobiarcha idem, quoniam cuperet sacras piaculares Indulgentias Populo coram promulgari, necesse habuit conuenire Concionatorem summi Templi, & ideò ad Collegium venit. Ibi Robertum è cellulâ Ianitoris obuium reperit, qui intereà tutelam foribus gerebat. Salute datâ redditâque, sibi opus esse Concionatore statim conuento, ait; nec adduci poterat, tametsi prudens vir,

vir, vt iudicaret, eum qui in munere tam obſcuro verſaretur, & quem fraterculum pridie nominauerat, Concionatorem eſſe, de quo erat tantus in Ciuitate & tam clarus rumor. Robertus ad iſta: Deſcendere Concionator nequit; ſi quæ tamen iuſſeris, ea fidus referam. Tum alter, eſſe ait, quæ cum eo agere abſque interprete velit; proinde vel ad cellam eius duceret, vel aduocaret hominem. Rurſus Ianitor, aduenire Concionatorem poſſe, negat: & cùm contrà ille perurgeret, neceſſe fuit tandem proderet ſe; Concionator, inquiens, ego ſum, qui aduenire nequeo, quia coràm adſum. Ad hæc verò Cœnobiarcha obſtupuit; ac ioci memor, quem in eum pridie luſerat, excuſatâ re, quâ potuit demiſſiſſimè, orauit Indulgentias proponeret, datas propter Ordinis comitia: & apud Populum, piis largitionibus Cœnobij alleuare inopiam, tum maximè pro copiâ hoſpitum adniteretur: idque præſtitit eloquenter Robertus ipſo die Diuinorum Natalium. Igitur, vt ad ea quæ intermiſimus, reuertar; quia nullo labore, aut corpus eius fatigari, aut animus vinci poterat, ad onus docendi etiam quæ non didicerat, hoc addidit, vt ſacri Oratoris perſonam, de ſuperiori loco dicens, ſuſtinuerit, famâ vtique magnâ: tametſi adoleſcens adhuc, (hoc eſt natus annos non ampliùs vigin-

ti duos) eius ministerij initia posuisset. Imò Florentiæ dicturum, è pulpito primùm apud frequentissimum auditorium conspicata femina quædam pia, & demirata iuuenem imberbem in loco, in quo senes trepidarent, quia verita est, ne in opere deficeret, tempus concionis totum nixa genibus hæsit, flagitans à Deo, ne ille animi turbaretur, minueretúrve Societati opinio. Aberat tamen periculo Robertus, qui de se affirmauit senior, longè securiùs fiduciâ memoriæ se id temporis publicè dixisse, quàm fecerit ætate prouectior. Genus dicendi his initiis ornatum quidem erat, & ad implendas populi aures latum ac sonans; sed non eiusmodi, quod mirarentur potiùs homines, quàm intelligerent. Quæ causa fuit, vt in Æde maximâ Montis Regalis audiretur confertissimis concionibus: & vt non externi modò, qui interfuerant, reuerterent admirabundi; sed Rector ipse ad Generalem Præpositum in Vrbem scripserit, *Numquam sic, vt iste, locutus est homo*. Adulto postmodum tempore, vt ornatum illum omnem abiiceret, occasio ea fuit; quòd cùm, ad diem Natiuitatis Domini concionem meditatam habuisset, eâ volubilitate sermonis, quæ acclamationes populi ac plausus demereri solet, Ciuitatem recens admiratio inuitauit, vt pro die altero, qui proximè sequebatur, exigeret

geret diuini eloquij ſimilem voluptatem. Miſſi proinde, qui cum Roberto agerent: attonituſq; ipſe tum hæſit, propterea quòd inclinata lux ad veſperam eſſet, & perfunсto pomeridianis horis munere concionandi, ſuppeteret in craſtinum diſpoſitio rerum nulla. Idcircò haud ſibi videbatur parare poſſe concionem alteram, & priori geminam, niſi animus, adhuc contentione recenti anhelus, tempus ad meditandam & componendam orationem ſumpſiſſet. Sed cùm illi inſtarent variè, rogando alternis, ſuadendoque, vt vinci ſe conſenſu Ciuitatis pateretur; conditionem accepit, commiſitque ſe Deo, qui dedit exemplum in ipſo, quid interſit, inter vibrantem animi viribus cogitata, & ſegniter ex memoriâ conquiſita promentem. Quippe tantâ admurmuratione auditus eſt, vt dixerint ei Canonici omnes: Concionantem cum voluptate ſummâ audiueramus te hactenus; hodie non iterùm te, ſed Cæleſtem vocem audiuimus. Ab eo ſucceſſu fuit ei proprium ac perpetuum deinceps, inuolucris phaleratæ dictionis verbum Dei non impedire; vt ita, re nullâ obſtante, vibretur vehementiùs, ac penetret vſque ad diuiſionem animæ. Latinè tantùm adnotabat capita rerum, tametſi Italicè concionaturus; haud minùs præſtans ex tempore, quàm à curâ fuiſſet. Conſilium

promouendi ad cóciones publicas iuuenem, diſtractum inter occupationes & ſtudia tam diuerſa, (quod pro aliis factum immaturiùs crederetur) in Roberto, à reprehenſione omni ſatis vindicauit ingenij eius conditio, frequenſque quod rei dederat domi ſemper illuſtre documentum. Tam enim Florentiæ, atque in Monte Regali, quàm poſteà Patauij, Patres etiam ipſo antiquiores audiuere libenter eius adhortationes domeſticas; ſoliti ab eo accipere affectum, & iam tum in eâ ætate, veluti Magiſtrum animæ, venerari.

Collegit opinionem hanc etiam apud Camaldulenſes Monachos; cùm, Florentiâ diſceſſurus, profectionem impetrauit ad loca pia & antiquæ Religionis, quæ circa eos fines, aut non procul inuiſuntur. Erat ei comes Sacerdos, Marcus nomine; & videbatur iter tenuis labor, niſi quacumque eundum foret, tranſirent benefaciendo. Per pagos itaque, Robertus ſerere verbum Dei; excolere omnes ad fructus pœnitentiæ: quos Marcus, excipiendo eorumdem confeſſiones, vbertim colligebat. Atque in hunc modum agro Domini illaborantes, & vbique relinquentes veſtigia pietatis ſuæ, peruenerunt ad Aluerniæ locum S. Franciſci vulneribus venerabilem: indeque progreſſi ad Vallem Vmbroſam, quam appellãt, hoſpitio comiter excepti ſunt

in

in ſacrâ Camaldulenſium Eremo. Hîc Robertus ita demeruit ſibi animos Religioſorum omnium, vt quem feliciter de piis rebus ſubita expedire viderant, optauerint eumdem præuiſa & meditata adferre: & ea res conſilium dedit, attinendi eos ad triduum vſque. Robertus recuſauit diu, iuuenis ipſe, coram viris non minùs à virtute quàm ab ætate venerandis verba facere: ſed auctoritas illius, qui Ordini ſupremus præerat, & preces ceterorum peruicêre modeſtiam eius. Dixit, & is orationis ardor, eaque fuit emicans toto ex ore pietas, vt facilè appareret, quidquid diceretur, id ex incenſo pectore proficiſci. Hinc, perinde ac tyrones ipſi veteranum audirent, obſtupeſcere ad eius voces: pleriſque etiam manare gaudio lacrymæ; adeò vt ipſum quoque contunderent dicentem. Neque indiciis tantùm his, quanto aſſenſu audiſſent verba eius, oſtenderunt; ſed veneratione etiam, vt ruerent aliqui manus illius exoſculaturi. Interim ipſe ſumere ab aliis documenta demiſſionis; pendere ſe minimi; & exiſtimare, ſi quid recti expromeret, id non ſuum, ſed acceptum ab ore loquentis Dei. Cùm hoc iter fauſtum adeò fuerit; quando ad Montem Regalem iuit, longè aliis tentamentis ipſius probata virtus fuit.

Referam ea, deſumpta ex autographo eius: nam

nam in Epiſtolâ ad Polancum, de quâ ſuperiùs, ſe in Ericis portu, ait, dum ibi, Genuam ſoluturus, exaſperato fluctibus mari, expectaret occaſionem auræ, denuò in rei nummariæ vltimam penuriam redactum eſſe; neque vllâ fraude, ſed tantùm, quia ad ſex non ampliùs dies viatico, non exceptis maris caſibus, inſtructus fuerat: ſed & denuò expertum ſe Dei prouidētiam. Siquidem cùm hæreret ſolitariè in alieno ſolo, ignotus omnibus; in tabernam ingreſſus quidam Hiſpanus Doctor, vbi aduertit è Societate ipſum eſſe, ſalutauit benignè; inuitauit, factuſque ei comes, naue & viatico etiam iuuit, poſtquam, cadente iam vento, reliquum tempeſtatis exſæuierat. Sic procurante ei Numine viaticum & comitem viæ, ſoſpes appulit Genuam: ſed dum exinde terrâ in Montem Regalem proficiſceretur, paſſus eſt incommoda duo. Vno in loco furti reus, à neſcio quo habitus eſt; qui conqueſtus, quòd ſibi crumenam ſurripuiſſet, cœpit ei explorare manus, excutere pallium ac tunicas, denique tentare odiosè atq; importunè omnia. In altero vxor cauponis cuiuſdam, ad quem diuerterat (incertum fraus ſermoni & rei adeſſet, an ſimilitudine hominis caperetur) dum ipſe, ſedatâ laſſitudine, pergere meditatur, muliebriter indignabunda & clamitans affirmare cœpit, ipſum eſſe maritum
tranſ-

transfugam, qui, nullâ fide connubij, thorum filiæ deseruisset; idque ei exprobrando sæpiùs, conata est inducere, vt ibi cum vxore & socru maneret. Sanè, quia euentum hoc geminum, alienum adeò à moribus suis, tamquam discrimen animæ corporisque, denarrauit sæpiùs; credibile est, machinam aliquam grauem admotam castissimi iuuenis honestati; quod de Bernardo, Thomâ Aquinate, aliisque legitur; quò eis redderetur, non doctrinæ magis quàm virtutis imitatione simillimus. Tametsi verò Deus præstò innocenti fuerit, deliberauit, si vmquam alicuius domicilij Societatis gubernaculo præficeretur, haud permissurum se, vt soli iter facerent nostri Ordinis Religiosi, præsertim iuuenes; quæcumque demum expensæ pro comite requirerentur.

Dum in Monte Regali, rerum suarum & studiorum incogitans, ministerio docendi concionandique se totum impenderet; Franciscus Adornus Præpositus Prouincialis, qui fortè illac transiuit, reputans, ingenium Roberti materiam ingentis publicè priuatimque decoris allaturum, si non ei differretur quadriennij spatium, præfinitum Sacræ Theologiæ cognoscendæ; & futurum simul, vt dein maiori cultu & auctoritate Ecclesiastæ officio perfungeretur, Patauium eum misit anno

no M. D. LXVII. Hîc Magistrum domi P. Carolum Pharaonem Siculum è Societate, in primam Partem S. Thomæ, foris ad Academiam F. Ambrosium Ordinis S. Dominici audiuit de Legibus differentem. Vsus tamen his Professoribus non omnino feliciter; tum quia Religiosi Societatis Academiam non diu frequentarunt, cùm verò, quia Professores iidem, in his quæ ambo docuerant, haud ita consentiebant; cùm diuinam prædestinationem repeteret alter ex præuisis operibus, & P. Carolus, cum S. Augustino, eam sponte à Deo existimaret, & gratuitam esse, vti loquuntur in Scholasticâ Theologiâ. Patauij quoque, ad dies festos, Robertus antemeridianis pomeridianisque horis, eam quam illò attulerat, concionandi præstantiam exercuit. Nec enim permisere Præpositi eius, vt quod in ipso eximium erat, id extingueretur vitâ obscurâ, & priuatis domi studiis. Venetiis item feria v. Sexagesimæ, inuehi contra licentiam dierum antecineralium, eum audiuêre in confertissimo auditorio Senatores aliquot; & concione dimissâ, ad manus eius contulerunt sese osculabundi, vsque adeò dicentem venerati fuerant. Intereà temporis Genuæ indicta Prouinciæ totius comitia fuerunt: quæ quia tum disputationibus publicis concionibusq; celebrari

brari solerent, Robertum acciri placuit, qui in Æde Vrbis maximâ Theses de re omni, de quâ inter disciplinarum auditoria possit ingeniorum esse concertatio, biduum integrum defendit. Promebantur quæstiones potissimùm ex libris Rhetoricorũ, Logicæ, Physicæ, & Metaphysicæ Aristotelis; atque ex Partibus Theologiæ D. Thomæ. De quibus disserüit quidem cum Præside: sed audiebatur admiratione pari, euidentibus rationibus & appositis similitudinibus illustrans omnia; & ratiocinationes contrarias, sæpè difficiles, occultique nexus, dissoluens responsis, quæ à Præceptoribus non didicerat. Id verò causæ fuit, vt cùm nata esset dissimilitudo opinionum inter ipsum & P. Carolum qui ei præsidebat, Præpositus Prouincialis Præsidem commonefecerit; sileret interim, permitteretque Roberto, vt responsione, quâ mallet, argumenti vim dilueret. Denique vbi finem inuenit disputatio, è cathedrâ sapientiæ migrans in locum virtutis, ad confertam illam omnium ordinum multitudinem pro suggesto verba fecit, adhortatusque est, vt ad sese, atque ad mores quisque suos euaderet attentior: pro quâ re magnam partem retulit Homiliæ S. Basilij super antiquum dictum, *Attende tibi.*

CAPVT

CAPVT III.

Mittitur Louanium, Latinè concionaturus ad Belgas: Theologiam ibidem docet.

COllegerat tantùm opinionis & famæ his exemplis ingenij variis, vt apud omnes breuî in admirationem euaserit; & ei famam addebat etiam, quia quod in eo eximium naturalis vigoris erat, hoc adhuc magis modestia & probi mores commendabant. Rumor de Viro proinde, cùm in Vrbe cresceret, eum Præpositi Societatis Louanium destinârunt, vt studia Theologiæ vsque ad finem audiret, ac simul Latinè concionaretur. Mandatum hoc Patauij Rector à Francisco Borgiâ accepit, qui ex Hispano Dynastâ, & Gandiensi Duce in nostrum Ordinem transgressus, Societati vniuersæ tertius ab IGNATIO præerat, & qui anno superiore ab VRBANO VIII. Pont. Maximo Beati appellatione auctus, aris & sacrificiis illatus est; futurus vtique posteris documentum, etiam Principibus viris gloriæ tribui sanctitatem. Rector ægrè patiebatur iacturam iuuenis, qui ita eminere visus erat, & ex quo vtilitas magna oboriebatur in prælectionibus piis, quas habebat in Templo festis diebus, non minore

re plausu quàm fructu, super Psalmum, *Qui habitat.* Quare certum habuit tentare omnia, ne ipsum dimitteret. Hiems erat, & iuueni naturæ vis imbecillior. Ergo Medicorum super eâ re consilia primò audit; pòst Præposito Generali, Medicis persuasionem esse scribit, certo periculo valetudinis cum Roberto agi, si alienissimo anni tempore daret se in viam, præsertim in Alpium iugis, vbi niuibus & tristi gelu omnia inhorrescerent. Addidit rationes alias, quas suggerebat proprij Collegij bonum; postremò Academiæ totius deprecatur orbitatem. Litteræ redditæ, tametsi vehementiores, haud potuere consilium immutare altioris prouidentiæ, quâ Deus Robertum in Septemtrionem depositis Ecclesiæ partibus saluti futurum adducere disposuerat; quò in iis regionibus, in quibus Hæresis virus suum effuderat, tamquam Medicus adesset, inspecturus vtique vulnera, eisque dein scriptis suis meditatas curas adhibiturus. Ipse interim, vbi primùm conscius factus est eius deliberationis, non in querimonias solui, quòd tantum esset aditurus iter; sed ad incommoda laboresque adeò illi superfuit animus, vt de Rectoris responso certior, statim, quoniam cuperet cursum obedientiæ nullatenus præpediri, litteris ad Præpositum Generalem datis, rogauerit;

quò ipſe ne ſpectatâ quidem hebetudine virium ſuarum decerneret, quod luberet, & quod diuinæ gloriæ magis obſequeretur. Imò nec tum ſe quidquam aliud morari, niſi quòd dimiſſionis epiſtolam non accepiſſet. Ceterùm ſi obedientiæ voluntas ea foret, etiam dum ſæuit brumæ tempus, & niuium rigor, ſe confeſtim vel per iuncta cælo Alpium iuga tranſiturum; & ne multis, occaſiones obtemperandi præcipere ſe malle, quàm expectare. Grata in Vrbe fuit ea oblatio ad aram obedientiæ; nec erat ex Patribus, qui non intelligeret, quàm à priuatis rationibus procul eſſet is, qui præſens commodum & adulantem famam ne aſpiceret quidem, ſed ſequeretur properè Deum. Quare epiſtola Rectoris expeditionem diſtulit, non diſcuſſit: nam, re communiter deliberatâ, tantùm hoc Patres cauerunt, vt Robertus (ne valetudinis diſcrimen adiret) Patauij expectaret, dum vis anni prægelidi remitteret, & clauſæ hieme Alpes aperirentur. Pòſt igitur miteſcente hieme, Româ monuêre, vt Louanium proficiſceretur cum P. Iacobo Belgâ, qui Mediolani tum erat. Et veris quidem temperies idonea itineri, viæ aſperitatem aut leniuerat aut ſubmouerat omnem: non ei tamen ideò ſecuritas fuit; nam erant infeſtæ cædibus & latrociniis viæ, propter tranſitum legionum, quæ

ex

ex Germaniâ à Principe Manfredoniæ in Gallias traducebantur, in quas Robertus necessariò incurrere debuisset. Nihilominùs difficultates atque discrimina contemnens ab animi fiduciâ in Deum, cuncta quæ moram facerent, abrupit, vt dictâ profectioni die paratus inueniretur. Antequam migraret tamen, reputans quàm multa possent accidere improspera, iecit orationis anchoram, & in genua prouolutus ante aram; *En ego*, inquit, *duce te, Deus, iter ingredior, & te vocantem sequor. Esto: discrimine vario possim opprimi; sed animum induxi periculo me nulli subtrahere, certus cuncta te disponente agi. Imò ex penitis sensibus cordis mei vitam hanc, & si quid est in me reliqui, tibi deuoueo. Tu de eâ tuo arbitratu disponas: cùm nihil meorum iam sit meum; sed, sicut tuus viuens sum, ita velim tuus mori. Vita ipsa me non delectat, nisi vt seruiat tibi animus meus, qui finis es & terminus spei meæ.*

Et verò iuuenis pius locum, quem votis occupauerat, non priùs deseruit, quàm receperit, ex Dei quasi rescripto, consolatorias animæ, arrhamque futurorum. Siquidem fiduciâ plenus, iter arripuit: & Mediolani P. Iacobum Belgam, comitesque alios quatuor honestissimos reperit, ex Hiberniâ vnum, & ex Britanniâ reliquos; interque eos Guliel-

mum Alanum, toti Europæ notiſſimum virum, ob claritudinem purpuræ, quâ fuit ornatus: ſed magis ob ſplendorem virtutis, cuius haud famam habuit ſine merito, molitus ardua pro ſalute Patriæ, ac dignus qui in eâ Religioni cadenti columna ſubſtitueretur. In hoc comitatu Robertus multò maximam partem itineris confecit, & ſecurus vbique, tegente latus eius Numine, Louanium, anno Sal. M. D. LXIX. valetudine integrâ peruenit.

In hac Ciuitate Apoſtolico muneri fecit initium, feſto die S. Iacobi Apoſtoli; & res noua viſa eſt pro ſuggeſtu concionabundum aſpicere iuuenem, nondum Ordinibus ſacris inſtructum: quod celari non poterat, cùm conſuetudo ibidem ferat, vt ſacri Concionatores è ſuperiore loco dicant cum Sacerdotali ſtolâ collo circumducta. Hac verò ipſe inornari prohibebatur; quia Sacerdotum illa geſtamen eſt. Sed ſcripſère Patres Generali Præpoſito, quò ei ad Sacros Ordines aditus permitteretur; tum vt conſuetudo ea decens vſurpari poſſet, cùm verò vt eſſet in ipſo dicente auctoritas maior. Euoluti ſunt menſes aliquot, priuſquam res decerni poſſet; moramque fecit: quoniam eâ tempeſtate Sacerdotes omnes in Societate ad vota Religioſæ profeſſionis adigebantur, ex diplomate

PII V. quod diploma poſtmodum, flagitante Societate vniuersâ, GREGORIVS XIII. cùm ipſius inſtituto ac legibus minimè congrueret, abrogauit. Poteſtas accepta eſt nihilominùs tempeſtiuè, cùm inſtaret triduum ieiunij verni, inter ſolemnia Cineralium. Sed primo è ſacris Ordinibus, initiari etiam ipſe eâ conditione debuit, vt vota nuncuparet profeſſionis tria; tempore dein apto, quartum additurus. Erat tum Louanij Epiſcopus nullus; ideò Leodium contulit ſe, vt in triduo illo ieiuniorum Tonſuram primam, minores Ordines quatuor, & Subdiaconatum acciperet.

Pòſt Gandauum proficiſcens, ibi ab Epiſcopo Cornelio Ianſenio Scriptore percelebri Diaconus, ſabbato *Sitientes* quod appellant, deinde Sacerdos pridie celebritatis Chriſti Reſurgentis inauguratus eſt. Indidem Louanium regreſſus, die Dominicâ quæ *in Albis* nominatur, accinctus habitu pomparum, ariſque operans, inter compoſitos modos, mouens etiam ipſe plectra oris & cordis, rem diuinam decantauit. Et cùm ad ſacras has primitias offerendas Deo ſe miris modis adornaſſet; credi vix poteſt, gratiarum cæleſtium quàm ingens modus tum in eius animam deſcenderit. Auctus Robertus itaque honore Sacerdotali, ſenſit ſtimulos noui gra-

dus; & iam acriùs perpellebatur, vt Deo adhæreret adhuc arctiori nexu, & vt, sortitus non vni sibi vacantem animam, cunctis magis prodesse niteretur.

Auctoritate maiori continuans itaquè ministeria diuinæ vocis, pro Æde S. Michaëlis à populo adeò frequenti audiebatur; vt permixta omnium ætatum ordinumque multitudo, dum egrediebatur, effusa per duas magnas plateas, totum earum spatium repleret.

Incurrit aliquando in virum grauem, qui miscere sermones in viâ cum ignoto cœpit: quia Concionatorem è suggestu æstimauerat staturæ grandiusculæ, quâ appareret ex æquo loco; & dissipatus erat in vrbe rumor, Concionatorem missum ex Italiâ, non doctrinâ modò & eloquentiâ, sed & corporis mole magnum esse. Is ergo de Concionatore serere multa: & recensere primò, quæ memorarent in laudem eius certatim omnes, & quæ persuasio de illo penes Academiam, quæ penes vulgus esset: commendare pietatem in eo & orationis vim, quippe animam dicendi. Tum de conditione studiorum eius; qui vir esset, quod genus, quæ patria, rogitare. Robertus responsis ad modestiam compositis homini vtcumque satisfecit: nam ignotus adæquè atque inuitus intererat famæ suæ. Sic dum ambo sedatè iter ducerent, alter reputans,

putans, ægrè se habiturum in concione frequentissimâ locum, si adeò lentè progrederetur, comitem post se relinquere statuit. Cui dú valediceret, adhortatio erat, adderet gradum; maturato opus esse, vt in concione locum haberet. Tum ei Robertus leniter: Faustè abeas; deesse mihi haud poterit locus meus.

Pro suggestu, tametsi impetu illo, quo Spiritus sanctus dabat eloqui, sereret ea, quæ vulgi exciperet intelligentia simul & admiratio; non propterea ex populi aut numero aut plausu lætabatur: sed ex eo quòd audiret voces suas animis magis quàm auribus admitti; & fructum afferre, quem expetunt, qui non seipsos prædicant, sed Christum Crucifixum. Triumphabat nimirum, reputans conciones suas à plerisque non fatuam commendationem, aut steriles plausus, sed referre suspiria, gemitus, & anteactæ vitæ detestationem.

Huius rei fecere fidem confessiones frequentes multorum. Plurimi enim sic audiuere admouentem animis orationis lumina, vt per hæc agnouerint conscientiæ suæ inueterata vulnera, & pro eis curandis illicò Medicos animæ consuluerint. Contigit hoc præcipuè, cùm de vitæ nostræ communi exitu diceret, in anniuersario die omnium Defunctorum. Similis ei voluptas, dum hæretici in

gratiam cum Ecclesiâ Catholicâ redibant; vt factum est inprimis octauâ die Corporis Domini; adeò claris & confertis Diuinorum librorum atque sanctorum Patrum testimoniis ostendit, Christum esse nobis verè præsentem, inter species illas, quibus panis materiati substantia tegebatur.

Frater Andreas VVisse Eques Ierosolymitanus, & Magnus Prior Britanniæ, testatur auditum à se Louanij Bellarminum in Auditorum maiore frequentiâ, quàm pro Ædis, in quâ diceret, laxitate. Quin & ex publicâ famâ refert, Hæreticos è Batauorum finibus, & ex Britanniâ, ad audiendum eum solitos confluere; ex quibus multi conceptum virus reuomuerunt. Hæ conciones verò editæ in lucem fuerunt ab illis, qui eorum exempla diu apud se custodierant. Legi quippe in epistolis variis, in quibus de ipsis fit mentio, non actuarios modò pugillaribus & palimpsestis verba dicentis subsecutos in Templo esse; sed Bellarmino ipsi necessarium fuisse, eas, ita vt erant exaratæ, multis deletis, inductis, ac superscriptis, mittere ad Monachos Parcenses Ordinis S. Norberti. Qui exscriptas eas ab exemplari legebant in communi triclinio ad epulum animæ, ne fraudarentur fructu adeò magno; quandoquidem horis concioni datis, in Odeo ipsi canticis sacris distinebantur.

Conti-

Continuauit in Ecclesiastæ munere sexennium, custoditus perbenè à Patribus Belgij, ne, quia propter eius famam expetebatur, postulabaturque Lutetię Parisiorum in Galliis, & in Italiâ Mediolani à Sancto Carolo Borromæo, carere deberent dulci possessione viri vsque eò eminentis, quà sapientum in exedris, quà in sede sacrâ cælestium eloquiorum. Atque hic exitus concionum est; ob quas ita Louanium missus fuit, vt deberet simul sacræ Theologiæ partem doceri: quam & didicit celeritate mirabili; annum dumtaxat ei priuatim indulgens, publicè morum Magister.

Sed vti rarò summa ingenia diu latent, breuî agnouere Patres, ingenio præstanti superuacaneam esse operam docentis. Quare inuitarunt potiùs, vt doceret ipse alios Doctrinam sacram, etiamsi quæstiones non ita multas, hoc est ex Primâ tantùm Tertiâque Parte S. Thomæ audiuisset. Postulatio quæ alium, ingenio quamuis præcellentem, terrere potuisset, Bellarminum non expauefecit; siue quia didicerat exemplis variis, quid labor, quid assiduitas possit; siue quia turpe & alienum duceret, non obsequi dicto citius imperanti; siue demum quia ad id se perpelli, quodam interiori motu animi, cuius haud dubiè Deus auctor erat, experiretur. Doctri-

nam igitur de Deo orſus eſt profiteri anno M. D. LXX. menſe Octobri propè à Kalendis: primuſque è Societate fuit, qui initijs proſperrimis in eâ Ciuitate ſapientiam ſummam docuerit. Vt meritò Academia illa, ſe Bellarmini doctrinæ ac nomini honorem contuliſſe, & accepiſſe viciſſim, glorietur. Inſtabat itaque nouus labor, nihil remiſerat prior; & ſic ipſe ſimul conciones habuit, ſimul Theologiam docuit: vt ex ſeptennio, quo vixit Louanij, annum primum ſolis concionibus, ſolis prælectionibus Theologicis annum vltimum dederit; complexus quinque intermediis munus vtrumque, tam dicendi, quàm docendi. Tractationes ex Primâ Parte illuſtrauit biennio: vno anno eas quæ in Primâ Secundæ; & quæ in alterâ Secundæ rurſus biennio: anno vltimo inchoauit, non abſoluit Quæſtiones primas Partis Tertiæ. In hoc verò anno, quia tot laboribus fractæ attenuari eius vires ita cœperunt, vt vita ſenſim ei deſtrui videretur, tametſi animum inuictum curæ tot non obruerent, leuatus eſt munere concionandi. Rumor, quem excitauerat in tradendâ Theologiâ, auditus eſt adeò latè, vt ferè fidem excedat. Octauius Bandinus Cardinalis refert, cùm iturus adoleſcens in Gallias ſtudiorum causâ eſſet, ſe à Cardinali Commendonio monitum,

tum, Louanium iret potiùs, vt Bellarminum, Theologiam illic profitentem opinione fecundiſſimâ, audiret. Et eâ famâ ſunt euocati plurimi è diuerſis partibus, tum Catholici, tum Hæretici. Ex hac verò ingenij laude,& quia vir erat modeſtiâ etiam quàm doctrinâ inſignior, in Academiâ occupauit honores primos: cum quâ nec vlla fouit opinionum diſſidia, ſed habitus eſt ſemper ab omnibus Magiſter.

Hoc tempore ratus, haud prodeſſe parum ad Scripturæ ſacræ cognitionem poſſe, ſi ſtuderet Hebræis litteris; in eam curam ſe coniecit, inſtitutus per initia ab Ioanne Harlemio Societatis Religioſo, qui & peritiſſimus eius linguæ, & Bellarmino erat probitate ſimillimus. Pòſt regens ipſe ſe, in ea ſtudia abſque vllius adiumentis, breuî adeò profecit, vt potuerit linguæ eiuſdem tradere præcepta, multò ſanè faciliora, quàm ante eum diem vlli tradidiſſent: eaque typis edita, ſunt trita iam manibus addiſcentium. Interim ornatus eâ peritiâ, euaſit vnus è numero illorum, quos Antiſtites habet Diuina Sapientia; & nihil habuit tam proprium, quàm vt inuitaret alios, quò eadem & ipſi ſectarentur.

Nonnullis verò exiſtimantibus, operam eſſe laboris moleſti diſcere & pronuntiare

voces aſperas atque anhelas, paratum ſe inſtruere quemlibet promiſit, intra dies non ampliùs octo; & ad tantam notitiam perducere, vt poſſet per ſe, tantùm adhibito codice vocabulorum, eius linguæ Scriptores intelligere. Neque abfuit promiſſis fides: vt etiam hinc deprehendi queat, non à vero diſtare, quod de Bleſillâ ſcribit S. Hieronymus; Hebræorum ſermonem, non menſibus, ſed diebus paucis eam didiciſſe. Ergo vbi timidiores quoſque animauerat, cœpit, per Imaginem Academiæ, in linguâ Græcâ & Hebraicâ plurimos exercere; vt Auditores, quos erudiebat, poſſent Diuinam Sapientiam ex fontibus ipſis in poſterum haurire.

Neceſſitas docendi, quæ à nemine didicerat, & vis ingenij acerrima; memoria inſuper tenax, ac ferè perpetua; continuatio demum diutina ſtudiorum, cauſæ fuêre profectus huius admirandi. Et verò ſit quoque credibile, profectum eumdem, ac tantum doctrinæ lumen in eo donum fuiſſe, deſcendens à Patre luminum; iuxta dictum illud ſacrum: *Siquis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Sanè cùm humanæ mentis ea ſit imbecillitas, vt ad plura eodem tempore vix, aut ægrè ſufficiat; haud ſatis mirari poſſumus, quo pacto intentus

tus aſſiduè animus in tot munia, docendi, concionandiq́ue, & confitentes audiendi, hæc obire ſingula potuerit perinde, quaſi numquam libatis viribus ad eadem accederet: legere inſuper Patres omnes, ac partem maiorem Auctorum, qui de ſacrâ doctrinâ ſcripſerunt: euoluere volumina Conciliorum, vel qui ſummatim ea referunt; molem etiam Pontificij Iuris, & quæ in Eccleſiaſticis hiſtoriis traduntur: idq́ue ſeptennio, quo apud Belgas fuit: quorum tamen Auctorum numerum ſi quis cum totius vitæ annis conferat, ætatem vltra putet. Neque modò accuratè legit; ſed & profundè penetrauit, deditq́ue de omnibus iudicium certum: quod apparet ex libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in quo cenſentur Auctores circiter CCCC. Tametſi verò aliunde colligi poſſet, librum eumdem ab eo ſeptennio natum eſſe; veritas huius rei adhuc peti ab his poteſt, quæ Bellarminus in præludio Catalogi narrat his verbis:

Ante annos circiter quadraginta, cùm me ad ſacram Theologiam in ſcholis explicandam compararem, in lectionem veterum Scriptorum non indiligenter incubui: tum vt eorum doctrinam haurirem; tum vt legitima & vera eorum opera à falſis & ſuppoſititiis ſepararem. Itaque ſcripſi libellum de Scriptoribus Eccleſiaſti-

ſiaſticis; additâ cenſurâ, quâ notabam, quæ illorum opera eſſent certa, quæ dubia, quæ manifeſtè ſuppoſititia. Hic meus liber, me partim neſciente, partim etiam nolente & prohibente, ad manus multorum deuenit. Quare, ne fortè poſt obitum meum in lucem edatur imperfectus & mutilus, vt ſolent eiuſmodi libri frequenter emitti; eum in hac meâ vltimâ ætate recognoui, expoliui, & auxi, atque in lucem dare conſtitui, vt vel communi vtilitati deſeruiat, vel ſaltem inemendatus & imperfectus neminem offendat. Hinc accommodari meritò iuueni Bellarmino elogium illud poteſt, in quo de ſancto Hieronymo iam ſene S. Auguſtinus: *Hieronymus,* inquit, *Græco & Latino, inſuper & Hebræo eruditus ſermone: hîc omnes, vel penè omnes, qui ante illum ex vtraque parte Orbis de doctrinâ Eccleſiaſticâ ſcripſerunt, legit.* Vt gauiſus propterea ſim hoc idem ſentire de eo Deſiderium Cardinalem Scagliam: ſiquidem & ipſe, *Bellarminus,* inquit, *de re quauis datâ promere tam expeditè ſolet, quæ Auctores alij de eâ ſcripſerunt, vt laude conuenientiſsimâ dici poſsit, omnes penè Scriptores legiſſe; ſicut de S. Hieronymo diuus Auguſtinus, & de diuo Thomâ Aquinate alij narrarunt.* Ita tum ex variis quaſi elementis congregauit materiam, vnde extrui ad admirationem opus Controuerſiarum poſſet; hoc eſt, Propugna-

pugnaculum & Turris Dauid, ex quâ mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, vt Ierusalem nostra aduersus oppugnationes hostium defensa sit: quemadmodum interpretatus est Cæsar Cardinalis Baronius, in Annalibus Ecclesiasticis, ad annum Salutis LXXXIII.

CAPVT IV.

Virtutis opinio, quâ in Belgio vixit; ac eius in Italiam reditus.

OBsequens erat Robertus aliorum beneficio, sui & rerum suarum oblitus; cùm Præpositi Societatis, quorum interest subditorum æstimare virtutes, monuêre, vt Religiosam Professionem quatuor votorum emitteret: id quod effecit, octauâ die à celebritate SS. Apostolorum Petri & Pauli, anno M.D.LXXII. Ergo, quia Societas homines non nisi virtute eximios in ordinem Professorum deligere solet; sicut Bellarminum dixi Louanij venerationi habitum ob ingenij & eruditionis famam, ita iam aliqua subdam de eius alterâ laude, quam à virtute promeruit. Si enim spectes, quantùm in eâ profecerit; videbitur spatium cogitandi de studio eruditionis non habuisse: cùm tamen, si eum consideres præcellentem in sapientiæ

pientiæ rebus, nihil aliud videatur, aut egiſſe, aut agere potuiſſe. Ab hac parte talis habitus eſt, ad cuius velut vnici exemplaris mores ſe ceteri formarent: adeò numquam veſtigium extra viam virtutis ponere videbatur. Primarium ſtudium eius, dum aliis traderet Doctrinam ſacram, erat cordis cuſtodia; ne fortè animo innaſceretur tinea ſapientiæ, nempe opinio ſui, quæ pietatem detereret paulatim. Id verò eſt aſſecutus tam pulchrè, vt obſtupeſcerent cuncti, tantam eſſe concordiam in eo prudentiæ ſummæ, & ferè puerilis innocentiæ. Ita ſe dicto audientem præbebat, ac ſi prudentiam penitus exuiſſet. Virtus interim imperata exequentis, veluti pabulo nutrita creſcebat. Conſilium operis cuiuſque faciendi à Deo petebatur, qui & inſpector illius erat: eiq; vni ſi placuiſſet, credebat fore prorſus, vt tũ omnibus placeret. Ad eum finem concinnauerat ſibi modũ quemdam breuem, iuxta quem exerceretur; qui inuentus inter eius pugillares, hæc habet:

Reputes, inquit, *frequenter hæc tria: Primum, à Deo quid velis; Secundum, à te Deus quid velit; Tertium, quæ res impediant, ne hæc demum exequi ſtudeas.*

Deinde ſcopum addit, in quem debeant vires animæ collineare. *Exerceberis*, inquit, *hoc ordine: I. meditaberis, & coniicies te in nihilum*

hilum tui; quia non es veriùs, quàm es. II. constitues perfectè te exheredem tui. III. Numini offeres te. IV. dedes te eidem Numini donum. V. dedicabis te consecrabisq́; victimam, & sacrificium.

Postremò descendens ad leges quotidiani moris vitæ suæ, alia hæc subdit: *Cùm experrectus lucem primam videris, subeat animum cogitatio, te in vitâ hac peregrinari. Ideò nihil curandum, quàm vt itineribus tuis directè ad Deum abeas: talia verò meditans orabis, exoneret te Deus tuimet sarcinâ graui; vt vacuo liberoq́; ad eius voluntatem animo properes.*

In meditatione & in re diuinâ hoc age, vt cum Deo vnum sis, & quàm minimi pendas, si fortè in sensu animæ non sit voluptas vlla.

Non sit prolixior ad eam apparatus, sed sit contentione plurimus: æstimes verò, non ipsum te illum esse, qui celebrat; sed Deum, quem induis, & cuius, tametsi non pro mensurâ, personam imples.

Cùm ante tribunal mentis conscientiam excuties, multus eris in charitate erga Deum, & in noxarum disquisitione breuis; quam nil opus esse nimiam; ac pòst mergêris in rubro mari Sanguinis Christi.

Dum te induis, aut nutris, dum res procreatas alias vsurpas, præsentia vrgeat te Numinis: cui specula vnde videt, sunt ea quæ sunt; sem-

per enim intra nos adeſt, extra nos numquam abeſt. Horis, quæ veniam laborum ferent, meditare hilaris atque affabilis eſſe, & cura, vt vis intentioq́; animæ remittat ad obſequium Dei: eiuſdemq́; illuſtrationes celare memineris perinde, atque ſi ab illis obſcurus eſſe. Noctu, quando cubitum ibis, cogites modum, quo ſuper Crucem Chriſtus Dominus membra reclinauit propter nos; & cures, vt te ſomnus occupet ſtratum ſuper eius pectoris ſanctiſsimum Vulnus.

Negotia demum ne perperàm agas, ea incipies cum fiduciâ magnâ, & mente in cælum ſublatâ probabis eadem priùs ad lumen Dei.

Atque hæc pars aliqua eſt deſcriptionis, quam ſibi propoſuerat pro ædificio animæ extruendo erigendoque: pro quo ei lenem aſcenſum res omnes aſpectabiles ad ipſarum Auctorem dabant, & is torrente voluptatis ipſum irrigabat, atque impetu dulci fluminis lætificantis. Conſolationes has, vt erat ab ingenio pius, velare nitebatur: ſed obſcurabat illas, non occultabat; quippe cùm eas vnuſquiſque agnoſceret ex luce illâ exempli, quâ emicabat. Sed & Deus etiam opinionem eamdem de ipſo interim confirmauit.

Erat in Louanienſi Collegio, dum ibi Robertus viueret, è Societate vnus, cui ab annis multis in crure vlcus ac tabes. Medici & Chirurgi tentauerant artis adiumenta omnia, vulnus

vulnus non curauerant. Æger proinde anxius animi, ac videns humanam curam morbi pertinaciâ ſuperari, reputare intra ſe, num vir ſuppeteret aliquis factus ad cor Dei, cuius impetratione ſibi ad ſalutem aditus panderetur: & dum hoc ſecum agitat meditabundus, Bellarminus deprecator apud Deum efficax & gratus viſus eſt; iniectaque ſpes, fore vt conualeſceret ſtatim, ſi poſt ſacram exomologeſim, etiam Synaxi ab eo reficeretur. Non fuit fides irrita: Rector annuit; ille ad Roberti aures conſcientiæ ſecreta deponit, atque eius manu ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumit: & ecce redit in tibiam ſanitas; attonito Chirurgo, dum biduo triduóve tegi vulnus aſpicit viuâ & natiuâ cute, nullo memori indicio relicto morbi tam diuturni.

Dum in Septemtrione hoc ipſo tempore à Sapientiâ diuinâ Dux tam egregius abſoluebatur, vt ſub eius obtentu nominis vindex ille Eccleſiæ ac Fidei Romanæ animus aperiretur tempore ſuo; varias in eis partibus dæmon excitauit turbas. Damnauerat PIVS V. Pontifex aliquot pronũtiata Michaëlis Baij, viri cetera eruditi, ac primæ litteraturæ; quæ tametſi cenſura Apoſtolica in perpetuum aboleuerat, adhuc à nonnullis contemptim omnia eludentibus probabantur, aſſerebanturque. Veneno, quod accipiebatur incautè,

& perniciosè inficiebat, remedium excogitauit Bellarminus, quàm potuit, præsentissimum. Ne serperet latiùs contagio, apud se statuit; si contra Baium apertè congrederetur, fore, vt qui sectæ eius adhærescerent, se hostis loco haberent, auerterentque à medicamento animum; ex quo non subsequeretur sanitas. Igitur modum optimum sanandi eos, qui nec errores suos nec remedia ferrent, existimauit fore, si hominis commenta argumentis rationibusq; conuelleret, ita circumspiciens dicta sua, vt à nòmine Auctoris abstineret: quia hoc præcipuè posse eorum exasperari animos, sentiebat: scriberet verò perinde, ac si prodiissent ea, siue olim, siue recèns ab Hæreticis. Ita salubri consilio speciem aduersarij celans, simul hostibus securitatem, erroribus interitum, veritati triumphum dedit.

Sed cùm frangere viribus ingenij eam vim potuerit; non ita sedare potuit impetum belli, atque armorum. Euenere anno ipso, quo se religiosâ Professione Deo mancipauerat, defectiones Vrbium aliquot Belgicarum à Philippo Rege eius nominis II. & fama erat, Principem Aurasij suam instructissimam aciem in eas partes effusurum, vt Louanium vi occuparet. Quæ Ciuitas (quia nihil satis præparati habebat ad vim aut obsidionem tole-

tolerandam) parum tuta videbatur. Disiectis itaque metu animis, timorem augebat, quòd Hæretici Caluiniani, quorum erat ingens colluuies in exercitu Principis, cùm sæuitiã pro virtute vterentur aduersus omnes Catholicos, adhuc contra Ecclesiasticos viros furerent immaniùs. Hinc Religiosi Ordines deliberarunt Louanium deserere; dum iam ibi præsidiis dispositis, omnia castris, quàm vrbi similiora viderentur. Consilium laudabatur etiam propterea, quòd hi ad militiæ munia inepti, nec vrbem tueri, & numero nocere rei frumentariæ potuissent. Dum ea disponuntur, fama nuntiat hostem adesse propiùs, quàm timeretur, & esse ferè in conspectu territæ Ciuitatis. Proinde Collegij Rector, æstimans optimum factu, si nostri quoque tempori cederent, seque impendenti periculo eximerent; mandat vestem omnes mutent, & capillum resecent: quò facta crinibus æqualitas spatium in medio non relinqueret coronæ Sacerdotalis, ex quâ Ecclesiastici esse deprehenderentur. Pòst nummorum eis aliquid distribuens, binos ac binos dimisit, vt in loca tuta commigrarent.

Hîc Bellarmino frequens occasio fuit vetera iterandi proposita, confugiendique sub alas Diuini patrocinij. Duacum pedes cum socio, vitabundus iram hostium, profectus

eſt, viribus deſtitutus, & animi anxius; cùm incurreret in oculos vbique mors. Verùm nequibat inter hæc extrema perire, qui poſuerat Deum adiutorem ſuum; quantumuis vrgeretur rebus vltimò deploratis. Dum pergunt ambo, Robertus itineris continuati labore delaſſatus, & vix ſufferens anhelitum, colore mutato, propè linqui animo cœpit: ex quo vnà cum comite hæſit aliquantulùm ſtratus in viâ regiâ; quæ res haud periculo aberat. Ibi cùm fortè oculos tolleret, ſitum ſe animaduertit ſub Reorum patibulo, quod paſſim publicis viis ad facinoroſorum terrorem aut pœnam ſtatuitur. Tum verò viſa ſunt parata omnia, & ſi hoſtes ingruerent, ſuppetere inſtrumenta Martyrij. Quare bono, inquit, animo ſimus; nam, vt interpretor, ſuſpendium hoc ceruicibus noſtris vacat. Interim curſu incitato, & fugæ magis quàm itineris modo, Rheda veniebat; ſubſidium de Cælo, vt Roberto in neceſſitate illâ ſubueniretur. Qui vehebantur, vitabant etiam ipſi Principem Auraſij, communem hoſtem, quippe aduerſæ factionis, quamquam hæretici eſſent. Ergo cùm ad locum deuenere, vbi Robertus feſſus procubuerat, conſiſtunt, deque eius defectione rogant. Rhedarius erat Catholicus, & probus, hæreticiſque infenſus; atque vt priùs conſueuerat

rat

rat quotidie rei diuinæ intereſſe ſemel, tunc ad deteſtationem hæreſium decreuerat bis eidem interuenire; Sacerdotibus verò prodeſſe pro ſuâ inopiâ, quandoquidem in eos omnis crudelitatis exemplum ederent hoſtes. Vt cognouit itaque, eum, quem ita motus & vires deſtituerant, Sacerdotem eſſe, tametſi vulgi veſte amiciretur; obueniſſe occaſionem ratus, quam optauerat, haud paſſus eſt in campis obnoxiam hoſtibus ducere animam: ſed in Rhedâ locum, vbi aſſideret, conceſſit ſpontè, ac per amoris officia omnia, ad tuta deuexit: & ſic Robertus Duacum venit. In quâ Ciuitate etſi peſtilentiam offendit, commune malum; haud permiſit Deus, eum inquinari contagio: manſit verò donec impetus ille hoſtium, obortus repentè, veluti turbo caderet; poſteaque ad labores priſtinos remigrauit.

Id à Cardinali Bellarmino cùm inter priuata colloquia Cardinalis Creſcentius audiuiſſet, tanti æſtimauit, vt ad vitæ eius venerationem addito iureiurando plura teſtificans, in fine habeat: *Fuit miraculo prouidentiæ à morte ſeruatus, ſed non fraudatus gloriâ Martyrij, cuius occaſionem animo tam alacri arripere non dubitauerat.*

Tandem, etſi Louanij laboribus aſſiduis illud promeruerat, vt certatim à noſtris do-

mi, foris ab externis, omni significatione honoris ac beneuolentiæ coleretur; tamen quia ita erat in deterius eius prolapsa sanitas, vt Medici renuntiarent, absque certo discrimine, haud posse ipsum ibi diutiùs morari; religio fuit ijs, qui Collegio præerant, pati iacturam hominis, ex quo in res communes vtilitas tanta speraretur. Ad Generalem Præpositum ergo dedere litteras, vt ipse ægrescentem reuocaret in Prouincias noti & familiaris cæli. Cùm in Belgio itaque fuisset septem annos, prorsus vt initio prædixerat, ex domicilio, in quo tantum amoris opinionisque collegerat, reparandi causâ hebetes vires, à Maioribus suis Romam auocatus est. Sed famâ mansit tamen, manebitque perpetuò: & adhuc Louanij, in loco Sodalitatis omnium Sanctorum, cathedra eius, in tanti viri memoriam custoditur.

Erat illi necessarium iter per Regiones, in quibus, quia grassabatur Lutherana & Caluiniana pestis, videri debuissent Religiosi viri habitus & Sacerdotale nomen odiosæ res. Ideò suasère Patres, vteretur communi habitu forensi, & cum viatorio ornatu, quo Laici solent, se itineri daret: nempe succinctus ferro, & fistulis bellicis ante ephippium equi suspensis.

Sic dissimilem virtuti suæ indutus habitum,

tum, vrbem vix erat egressus, cùm comites habuit Hæreticos nescio quos, qui & ipsi, vt Italiam viserent, iter eò auspicabantur.

Hos (vt ingenium ei conciliandæ gratiæ, & promerendis animis, mirè efficax fuit) sermonibus variis, facilè in amorem sui admirationemque perduxit. Maluit verò ab eis appellatione Romulus nuncupari, nec falsò: ex tribus enim, quibus fuerat in Baptismate salutatus nominibus, vnum id erat. Illi consuetudinis dulcedine illecti, Romulum suum viæ Arbitrum ac Regem statuerunt: sed ipse hoc agebat industriâ magnâ, ne se Sacerdotem proderet; & parte ex aliâ vrgebat Diuini officij pensum. Hora cùm appeteret, stimulos equo subdebat, vt quantum poterat, effusis habenis anteiret; dictitans interim iocò, se itineris Regem præcurrere, vt securi de viâ comites redderentur. Ita dum lentiùs adequitarent alij, librum è conditoriâ thecâ extrahebat; persoluebat tributa horaria Deo suo; ac pòst reductis habenis, comites vectatione lentâ opperiebatur. Excesserat his custoditus modis Alpium iuga, valetudine nihilo melior: ore ac membris adhuc in eum pallorem albentibus, vt facilè appareret, naturæ detractum esse omne quod roboris, quod floris erat. Secùs, cùm incurrebant Italiæ colles campique, & assueta oculis regio, & cælum

ſub quo natus educatuſque eſſet: tum enim exhilarari ſalubriùs, atque in dies valere proſperiùs. Genuæ comites in meritoriâ domo reliquerat, excuſatione vſus, quòd deberet ad amicum diuertere: & ſic ad Collegium venit, vbi à Franciſco Adorno, Præpoſito Prouinciali Societatis I E S V, hoſpitali charitate exceptus, ſeponere tutò veſtium omnem ſimulationem potuit.

Sequens cùm reluxit dies, dum aris ipſe operaretur, Hæretici comites eius, per vrbem, vti fit, ſpatiabantur. Ingreſſi fortè templum, vbi eum reſpexêre perlitantem aris habitu ſacro, dixêre admirabundi, *Ergo heri noſter Romulus profectò factus eſt Ieſuita.* Reliquo in itinere monitus eſt, vt Mediolanum declinaret. Etenim, quia vt dixi, eius præſtantiæ fama non Belgij ſe finibus tenuerat, ſed Gallias quoque Italiamque vniuerſam peruaſerat; metuerant Patres, ne Carolus Borromæus Cardinalis, & Ciuitatis Antiſtes, penes ſe concionandi causâ ipſum attineret, ſicut flagitauerat ſæpè: quæ res indicium fuit opinionis magnæ, quâ ſanctiſſimus & vigilantiſſimus Præſul Bellarminum proſequebatur. Politianum ergo ad patrium ſolum venit; non tam vt componeret res domeſticas neſcio quas, & vt ſolaretur ſuos id obnixiùs petentes, quàm vt corporis pridem affecti ſanitatem

tem

tem reuertentẽ in Patriâ confirmaret. Quod vnicum Medici credunt, aduersus inueteratas ægritudines, remedium esse. Intrauit in Vrbem expectatissimus; eoque gratior eius conspectus fuit, quòd cùm raras ab eo litteras domestici, ex quo excesserat finibus Italiæ, suscepissent, sæpè eum complorassent, tamquam ab odio Christianæ Religionis enectum insaniâ hæreticorum: vt est proiectus amor ad credendum æquè bona quæ sperat, & mala quæ metuit. Confluere tum affines, & amici omnes; reditum gratulari, & miscere sermonibus omnem beneuolentiæ modum. At ipse nihil flecti blanditiis interim: sed tractare negotium animæ, & per omnia veram exhibere suis & ciuibus charitatem. Ab hac tantùm charitate inuitatus, posteà in Politianum rediit; vt cùm ægra decumberet Hieronyma Bellarmina eius Amita, & Thomas Bellarminus Frater.

Quo tempore ipsi Hieronymæ, cùm vis morbi eius ingrauesceret, adeò vt actum de eâ Medici pronuntiarent, indicauit imminentem obitum, & in eo vitæ postremo actu (qui si decorus est, quidquid animus fecerit anteà, delet & honestat) adhortatus est, vt in Cælum itura, muniret se sacris Ecclesiæ adiumentis. Dein perpetuò, dum expiraret, assedit; ac pro animâ etiam, vt placidè quie-

quiesceret, piacularibus sacris Deo pluries litauit.

Narratur quoque, vt Fratri prodesset, qui breuî conualuit, noctem totam fusus in preces perseuerasse, impetraturus, vt vis morbi remitteret; si hoc in Dei honorem, atque adeò in ipsiusmet Fratris bonum cederet. Et tametsi constet, ægrescenti curam omnem adhibitam; relinquitur locus piæ persuasioni, vt credatur, violentum morbum, efficaciâ etiam supplicantis cœptum imminui. Nam nocte illâ cessauit febris vehementior; & tantùm æstus noxij reliquiæ in ægro superfuerunt.

Sed vt ad priora redeam, eo interuallo, quo, rediturus Romam, in Patriâ fuit, Sorores duas, quæ domi erant nubiles, rogauit seriò; expromerent liberè, vtra insideret menti procliuitas maior, ad virginitatem, an ad nuptias? & hoc petiit, vt cognati de ipsis grata decernerent. Inter has verò fuit Camilla Bellarmina, ex cuius ore hæc accepimus. Adhortationes insuper pias ad sacras Virgines habuit, eisque confitentibus aures dedit, præcipuè verò Virginibus S. Bernardi. Denique, cùm nemo ad ipsum accederet, qui non rediret innocentior; expeditus Patriæ curis, colore & viribus melior, cetera optimus, Romam peruenit: vt non posset Ciuitas

tas abſcondi, ſeptem ſupra Montes poſita; atque vt lucerna ardens ac lucens, ſuper candelabrum ſita, conſulgeret omnibus qui in domo ſunt.

CAPVT V.

Controuerſias Fidei Romæ, vniuerſali cum plauſu, explicat.

INter Apoſtolicas ſollicitudines, quibus ab ineunte Pontificatu Gregorius XIII. glorioſi nominis Pontifex, animum Patris gerere in Principatu viſus eſt, haud poſtrema fuit id moliri, vt quas Nationes hæreſis corruperat, eas ipſe reſtituere charitate & magnificentiâ ſummâ niteretur. Plura ad eum finem in Vrbe Collegia & Seminaria erexit, vt in eis gentium diuerſarum ingenia ritibus Religionis veræ inſtituerentur: quò nimirum Prouinciis eâ contagione deprauatis occurri efficaciter poſſet. In iis exequendis conatibus immortali cum gloriâ & Fidei incremento conſtans; anno M. D. LXXIII. opus auſpicatus eſt Romæ à ſtabili & locupletiſſimâ fundatione Collegij inclytæ Nationis Germanorum: in quod acciri voluit poſtmodum, numero benè magno, nobiles atque delectos iuuenes, ingenij naturæque laude præſtabiles; quò ij pro capite atque arce Eccle-

Ecclesiæ Vrbe Româ, arma lucis induerent, contraque peruicacissimos ac Religionis quotidianos hostes sic certarent, vt vincerent, quando in Patriam milites Fidei regrederentur. Vt mentem hanc animæ magnæ Præpositi Societatis, quibus tantæ educationis cura demandata erat, quoad possent, proueherent in maius, decreuere in Romanâ nostrâ Academiâ (quam ab eodem Pontifice Maximo, anno M. D. LXXXI. magnificentissimè fundatam, Gregorianam appellatunt) nouam prælectionem inchoare de Controuersiis Fidei, vt miles nouitius ac tyro, qui ad victorias formabatur, ibi omni armaturâ fortium instrueretur. Haud paruæ iudicium rei Patres tenebat, qui vir optimus & aptissimus ad opus foret tantum, quantum vnius hominis ingenio vix peragi posse iudicabatur. Requirebat enim non peritiæ vnius Magistrum; sed cui linguarum potissimarum sermo in promptu, historiæ vetustatis ad manum, temporis exacti ratio in numerato essent: qui demum posset multâ luce, sed tractu breui, explicabilique methodo, immensum aliarum super alias aceruatarum rerum cumulum disponere, vera gradu stabili firmare, & falsa impulsu lubrico demoliri. Ad id muneris, quòd multò sanè maximum, tametsi honorificentissimum erat, vnus

vnus Bellarminus idoneus visus est, ac Magister tantæ institutioni par; tum doctrinæ opinione, quâ apud omnes clarus erat, tum comprehensione variâ multiplicis disciplinæ: de quo vtique mirâ consensione prædicarent cuncti; sufficere vnum, modò is Bellarminus foret, vt hostes Fidei euerteret vniuersos. Quemadmodum *vna mulier Hebræa*, quam Deus pulchritudine armauit, *fecit confusionem* in castris Holofernis, & in domo Regis Assyriorum.

Huius famæ itaque consensu elatus ad iustam fiduciam sui, succedensque imposito oneri, sustentaturus Religionem & Cælum, labore inexplebili cœpit statim aggerere coniunctim, ea quæ apud Auctores sparsim legerat; quò in vnum corpus coalescerent omnia. Sed & Deum votis subinde implorare, vt doceret manus suas tractare gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Sic anno M.D.LXXVI. ad finem Octobris, initium docendi fecit, ac superauit longè famam; cùm non intelligerent homines, quonam pacto vnus animus rerum congeriem adeò fusam indigestamque committere, atque distinguere illud permixtum chaos collidentium se inuicem sententiarum potuisset: ita vt in lucem clarescerēt, quæ priùs quorumdam ingeniis noctem parere videbantur.

In

In diſputationibus, dum ingenium pugnaret acriùs, reliqua pars animi regere moderatè omnia,& ſe victoriæ capacem, quàm auidam oſtendere videbatur. Suas ratiocinationes promens,per ſpatia illa mentis, quibus diſcurrere dicimur,incitatus ac vehemens ita ferebatur,vt quiuis aduerteret,eum hoc vnicè conari, quò veritatem aſſequeretur. Etſi verò pro tractatione Controuerſiarum hoc habuit primum & potiſſimum, vt Diuinorum librorum oracula, volumina Conciliorum, ſanctorum Patrum pronuntiata adiret conſuleretque; quoties occaſio tamen obueniret,ſatis oſtendit,quid poſſet in ſcholaſticis quoque diſceptationibus. Cùm aliquando de Trinitate publicè aduerſus P.Rutilium Ciamberlinum,virum ingenio præſtanti, diſſereret, P. Gabriel Vaſquez, qui certamini Præſes erat,demiratus argumenti acumen & pondus,& quantâ illud vi atque arte contorqueretur,dixiſſe fertur: Ergo in ſubtilioribus his quæſtionibus ingenio eſt tam acri,ſicut in re ceterâ,Bellarminus? Quæ vox à viro egreſſa in eo genere opinionis tantæ, permagno æſtimari debet. Contrà cùm obiecta refelleret,vires ei veritas & ratio, non vaniloquentia aut iactantia miniſtrabant. Narratur, cùm iunior tueretur Philoſophiæ propoſitas theſes,haud fateri erubuiſſe, deuictum ſe oppugnantis

gnantis argumentatione; vſque adeò peruerſam recti verecundiam ſuperauerat. Quin & Magiſtro innuenti, vt eam partem ratiocinationis negaret, in quâ pugnæ vis tota vertebatur, dixit præcisè; tunc ſe prorſus animo cadere, quando neganda ſit cognita ſemel veritas, cùm illius ex eo loco propugnatorem ageret. Atque id conſueuit deinceps ad poſtremam ætatem vſque, etiam quando cunctis venerationi erat.

Ex eo ſtudio veritatis naſcebatur, vt quidquid ingenio pareret, non ei lucem publicam daret, niſi longâ conſultatione ipſe rem excuteret primus, dein iudicio ſubderet aliorum. Ex quo ſuſpexere in eo cuncti doctrinæ celſitudinem cum demiſſione; quâ ſolitus fuit, raro exemplo, cenſuræ acquieſcere penitùs: tametſi, vt occaſiones variant, ingenia diſſimilia ſæpenumerò conſuleret. In recognitione hac Operum ſuorum vſus eſt omnium frequentiſſimè Mutio Vitelleſco amicorum optimo, qui nunc Societati vniuerſæ præeſt: ſæpè etiam Benedicto Iuſtiniano, & Andreâ Eudæmon Ioanne, ab eo tempore, quò Mutius factus eſt totius Ordinis Præſes; idque veneratione ſupremi muneris, & occupationum maximarum, non audens eum ab re communi deuocare priuatim ad ſua. Hi fideles monitores & amici, vel ſyllabam vnam

G cenſe-

censebant liberrimè; tum quia cuperét Opera eius esse adeò compti ornatus, vt neque næuum haberent; tum quia scirent eius ingenium ad amicorum persuasiones factum, monitoribus asperum esse vel repugnans non solere; imò potiùs de re mutandâ statim deliberare, dictorumque priorum obliuionem pati. Interdum illud solùm vsurpabat: *Sentiebam ego aliter: sed iudicium vestrum optimum est.* Quin imò, sicubi censura anceps foret, & ipsius meditationi relinqueretur; retinéri, an induci res aliqua debuisset, seueriùs semper aduersum se pronuntiabat. Clariùs, quanti æstimaret, vitia scriptionis suæ (vt in propriis quisque rebus damnandis hebetior est, quàm in alienis) aliorum ingeniis notari, tum ostendit, cùm Benedicto Iustiniano Explanationes in Psalmos misit, vt eas recognosceret. Placuerant illæ quidem legenti, sed ne amicum intra pectus dumtaxat haberet, vereri se ait, ne à fine deficerent, quem eis optabat; proptereà quòd breues nimiùm, & aliquantulùm aridæ viderentur. Bellarminus censuram accepit, decreuitq; typis opus subtrahere: cumq; aliorum arbitria contrà operi laudem illam ominarentur, quam ei consensus Mundi postmodum dedit, nihilominùs fatigandus amicorum precibus diu fuit, antequam illius editioni assentiretur. Sed res,
quam

quam addo, longè aliter cessit. Capuæ ad populum Epistolas S.Pauli, ordine illo, quo in re diuinâ prælegi solent, ex superiori loco exposuerat, & cùm de iis edendis cogitaret, Mutius Vitellescus rogatus Censor, post adhibitam volumini mentem, haud omnino probauit consilium operis edendi. Ex eâ die opus lucem ampliùs non vidit, cœpitque silentio perpetuo vrgeri; nec adduci Bellarminus potuit, vt vel ipse ad opus rediret animo, vel aliorum tentaret iudicia, quod Mutius impensè cupiebat. Sed sicut amicior ei nullus: ita postquam illi res suas permiserat, proprium iudicium de eis penitus exuerat.

Tradunt plurimi expertos se id, neque perrarò, cùm Robertus super opiniones Theologicas, vel super incerta conscientiæ consuleretur, ire solitum in sententias aliorum; haud secùs, quàm discipuli soleant, quando Magistri adsunt, & definiendo aliquid pronũtiant. Hinc Andreas Eudæmon Ioannes, ex viri admiratione syngrapham ipsius attinebat penes se venerabundus, in quâ cùm ei Opera nescio quæ recognoscenda transmitteret, his verbis vsus est: *R.P. Andreæ Eudæmon Ioanni, vt dignetur videre ista scripta, & iudicare, vtrùm sint digna luce an tenebris.* Neque verò simulatè, aut per speciem officij, sed scribebat hæc ex animo: nam censurâ peractâ

rogauit hominem seriò, vt promeret latentem animum,& tamquam cum fratre secum loqueretur. Quippe se non id petere, an Opus famæ plus esset habiturum, sed an sperare fructum inde possent boni mores. Cùm ille, de fructu rem esse certam, de plausu nutare in ambiguo, diceret; tum subdidit ipse: *Vt prodesse possim, scribo; cetera, si punctum hoc tulero, iacturæ non adscribam.* Idem narrat, cùm aliquando Cardinalis atque ipse de re propositâ fortè dissentirent, dubitareturque, vtram in partem pronuntiasset S. Thomas; Cardinalem postmodum, quia Auctorem illum euoluens reperit haud sibi eum suffragari, statim id amico per Epistolam indicauisse. Sed tum maximè, aut numquam aliàs, apparuit hæc eius virtus, quando Volumina Controuersiarum disposita, vt in lucem edi possent, non modò æquanimiter, sicut ipsemet deinde Benedicto Iustiniano testatus est, sed cum hilaritate etiam passus est à Patribus Societatis in Germaniâ, quoad pauculas opiniones immutari, in spem fructus inter Hæreticos vberioris. Quæ res cùm apud vulgaria ingenia etiam raró atque ægrè impetrari soleat; æstimari potest, propè vltra modestiæ fines esse in viro, qui in hoc genere studiorum excessit æui sui Scriptores omnes. Sin verò dogmata ipsa fidei, opinionésve ab Auctori-

bus

bus optimis neque numero paucis deprom-ptæ,vel etiam momēta rationum prima, quæ aſſenſu ſtabili,aut fundant verum , aut mores inſtruunt,eius in Operibus cenſurâ notaban-tur; dici non poteſt, quàm ſtantem ſe immu-tabilemque præberet. Clarè id agnitum eſt in his,quæ euenere circa editas opiniones *De prædeſtinatione*,*De auxiliis diuinæ gratiæ*; de-que obligatione in pauperes diſtribuendi,quę à cenſu annuo ſuperant. Sic gnarus in qui-buſnam oporteret aut vincere, aut vinci,ſatis oſtendit ſtudio veritatis duci ſolitum ſeſe; vt ingenium difficile, ac facile, pulchrè ſineret ex ſolâ virtute variari.

Hinc æſtimabatur tanti, vt nemo eſſet a-nimi tam hebes, qui non miraretur texturam doctrinæ tam operoſam , in modeſtiâ ac de-miſſione viri; qui æquè ſponte erat omnium poſtremus , atque neceſſariò omnium erat primus : difficili coniecturâ, vtra præſtaret in eo, ſapientia, an humilitas. Hinc Principes multi & Cardinales eum adire, atque inuiſe-re frequenter; certi neminem ab eius allo-quiis non reuerti meliorem. Georgius Rad-ziuilius Cardinalis, dum adoleſcens in Vrbe moraretur, quotidie Bellarmini prælectioni-bus purpuratus intererat; aſſiduus erat vbi rem diuinam faceret, & frequens apud ipſum domi: id quod habet Bellarminus in Epiſto-

lâ consolatoriâ ad Ducem Radziuilium fratrem, scriptâ post ipsius obitum. Sed maior adhuc opinio illa fuit, ex quâ Cardinalis sanctæ Seuerinæ, Patronus totius Orientis, & caput Sacræ Inquisitionis, iterabat sæpiùs; Societatem IESV habere neminem Bellarmino parem. Adhibebatur in consilia proinde ab eo circa omnia, quæ spectarent ad errores Orientalium Ecclesiarum, & ad Tribunal Sanctum Inquisitionis. Cardinalis à Monte Alto, qui posteà XISTVS V. Pontifex, dum Operum S. Ambrosij nouam editionem moliebatur, consulto Bellarmino in multis vsus est. Possent eadem dici de Cardinalibus aliis magnis, Carafâ, Gesualdo, Veronensi. Cardinalis Valerius etiam ipse refert, commeare solitos ad eum frequentissimos, tum ex his quorum in purpurâ eminebat aut virtus aut genus, tum ex viris aliis primariis, vt super rebus grauissimis ipsum audirent: cùm referrent inde semper certitudinem, & æquanimitatem. Denique fiebat de re grandioris momenti eo tempore consultatio nulla, ad quam non accederet rogatus; recederet verò Auctor semper optimi, & is, in quo præcipuos prudentiæ numeros inueniri, cuncti faterentur. Sedente GREGORIO XIII. Neapoli Romam acciri femina debuit, cui per eos dies nonnullum erat à

sanctitate

ſanctitate nomen: ſed quia in Vrbe illa innouare neſcio quæ pertentauerat, apud Sanctam Sedem iudicium ſubitura vocabatur. Viuebat tum S. Philippus Nerius, vnaque Franciſcus Maria Taurufius, qui poſteà purpuratus obiit. His, & P. Bellarmino demandata quæſtio illa interioris cauſæ fuit, erantque omnes Iudices magni, & in quibus nec excellens virtus, neque cognitio prudens deſiderabatur: cùm verò in vnam illi ſententiam conueniſſent, iuſſit Pontifex, vt femina Neapolim rediret; ſed abſtineret ab vſu vaticinij. Externis his teſtimoniis domeſticum poſtputare, nec poſſim, nec debeam, quod dubio procul magnum videri debet. Cenſura quærebatur Commentariis Alphonſi Salmeronis viri doctiſſimi, & qui ex nouem primi Ignatij Sociis vnus, eos compoſuerat, inter anguſtias primas Societatis, dum à ſtudiorum ſede in ſubſidia ſæpè animarum diueli cogeretur; Cenſorem autem expetebat, cuius iudicio inniti poſſe moles Operis tanti crederetur. Inuentus nullus Bellarmino aptior: tum parendi facultate, tum verò doctrinæ comprehenſione variâ, propter quæ etiam à Salmerone nominatim poſcebatur. Miſus itaque Neapolim anno M. D. LXXIX. menſe Maio, intra menſes non ampliùs quinque, Volumina illa ingentia euoluit perquam

accuratè, æstimauitque maturè omnia: prorsus vt festinare ad relictum opus videretur. Et quia, exactâ quauis die, adferebat Salmeroni, quæ putaret corrigenda; Auctor semper integram censuram ad eum reiecit, certus, quæ notæ alicui ab eo subiicerentur, ea perfecti esse iustissimique sensus. Quare periti litterarum Sacrarum, Bellarmino Operis tam eruditi perfectionem, & cultum acceptum referre debent; qui perfunctus eo munere, Romam reuertit, seque prælectioni Controuersiarum restituit.

CAPVT VI.

Iussus à maioribus suis, & à Prouincijs Septemtrionis rogatus, Controuersias imprimit.

QVæ Romæ circa quæstiones Fidei ab Auditoribus eius scripto excipiebantur, proseminari ea, in Septemtrione præsertim, cœpta sunt; adeò vt breuî alicuius litteraturæ aut honestæ conditionis vir nullus esset, qui sumptu suo, etsi non leui, exscribi pro se non optaret, quæ Auditores earum Controuersiarum, vel ipsi retulerant domum, vel dederint amicis redeuntibus: vt illæ vrbes, quæ quasi agitantibus ventis diffuderant hæresium incendia toto Septemtrione, deflagrarent tandem,

dem, dearderentque; & vt antidotum per eas, sicut virus olim, in Prouincias manaret. Communis omnium fuit admurmuratio, qui Controuersias primi legerunt, illas non humanæ, sed Cælestis sapientiæ fetum esse; ab eâ sonum, ab eâ vim, & sensum accepisse, cui obstrepere aut obloqui non possint Aduersarij eius. Testes Prouinciæ sunt, auditionis huius & famæ hodieque memores. Quin imò à metu & suspicione mendacij, ipsi me hostes liberant, qui hoc deprædicarunt. Inter hos VVitackerus Britannus, Præfatione ad librum de Verbo Dei contra Bellarminum, *Inter Iesuitas*, inquit, *maximum & celebre nomen Robertus Bellarminus, homo Italus, aliquot iam annos obtinuit: qui primùm in Belgio Scholasticam Theologiam, pòst, Romam profectus, Controuersias Theologicas summâ omnium admiratione acclamationeq; tractauit. Cuius dictata sic erant studiosè ab Auditoribus excepta, transscripta, varieq; transmissa, vt quasi κειμήλια quædam, vel ἀποτεθέσματα haberentur. Pòst verò, vt huius laboris fructus ad plurimos perueniret, in Epitomen etiam ab homine Anglo redacta sunt. Postremò harum Controuersiarum Tomus primus typis Sartorianis Ingolstadij prodijt, reliqui expectantur suo tempore. Et nunc Bellarminus, tamquam Athleta inuictissimus, à suis celebratur: quo cum nemo nostrûm congredi*

 ausit,

ausit, cui respondere nullus poßit; quem vincere si quis se posse speret, ab his insanus habeatur. Rem addam, quæ ostendit quantoperè Controuersiæ eius Hæreticos expauefecerint. Statim atque legi cœptæ sunt; ab eo ipso vestigio temporis idem VVitackerus nouam prælectionem instituit in Academiâ Cantabrigiensi, tantùm vt Bellarmini scripta refelleret: nam *Lætor verò*, inquit, *huius illas omnium sermone celebratas Controuersias esse nunc ab ipso in lucem editas, vt quales sint, quid valeant, quantum neruorum & ponderis habeant, omnes facile iudicemus; nec alium esse Bellarminum credamus, quàm hæ testentur. Et quanquam Aduersariorum opiniones ex alijs Scriptoribus, qui multi admodum prodierunt, colligi possunt: tamen, quia non idem omnes statuunt de multis causis, & quid potißimùm probetur, incertum est; vt parum hactenus constaret, quænam esset Ecclesiæ Romanæ sententia; nunc edito Bellarmino, meliùs & certiùs cognoscemus, quid illi in quaque causâ teneant, quibus potißimùm argumentis nitantur, & quæ sit ipsa quodammodò Papismi medulla, quæ non magis in Papâ ipso, quàm in Iesuitis inesse creditur. Cùm igitur scirem, quàm foret hominibus nostris optatum, vt Iesuitis istis responderetur, & Bellarmini dictata nactus essem manuscripta, putaui me facturum operæ pretium, si Controuersias*

easdem

easdem in Scholis nostris, pro muneris mei ratione, tractarem, & noua Iesuitarum sophismata diluerem. Hæc ille. Etiam Franciscus Iunius Gallus Caluinianus, testatur hanc præclaram opinionem excitatam de eo apud Septemtrionem vniuersum. *Cùm in Germaniâ superiore,* inquit, *essem, ante annos duodecim, & eo ampliùs, audiebam multa de Roberti Bellarmini Societatis, vt aiunt,* IESV, *Opere magnificentissimè prædicari. Nam & plurima ab illo diligenter copioseq; tractari de Fidei argumento in disputationum libris dicebantur, & multorum ea sententia esse, quòd nemo vmquam nostrorum hominum integrum illud Opus aggressurus esset refellendum, pedemq;, cum tanto artifice, iustâ velut pugnâ, collaturus.* Eodem loco rem ait admirandam esse; occasione huius noui Operis, incensos fuisse adeò multos desiderio iam hauriendi verum inter fontes ipsos, circa Fidei, de quibus ambigunt, argumenta. Innumeros prætereà in Germaniâ, in Gallijs, in Belgio repertos esse, qui postquam volumina ea legissent semel, iterauerant ea, sæpiùsque relegerant, auiditate semper inexplebili. Hæc verò illa erant, quæ infelicem vrerent. Quippe in eis errorum ementitæ facies, quas Hæretici affingunt vero, non absque infamiâ sectarum, veluti detractâ laruâ, retegebantur; & ideò ex eorum numero

mero non ita pauci in gratiam cum Catholicâ Ecclesiâ redibant.

Speș erat ergo ingens, fore vt euaderet in insignem aliquam vtilitatem Opus iam in publicis typis, quod in scriptis priuatis adeò profuisset. Et ideò stimulati plurimi fuerunt ex his, qui Religionem & Fidem saluam esse cupiebant, vt ad Præpositum Generalem adirent, rogaturi, Controuersias Bellarmini in prælum dari, seu iuberet, seu permitteret. Præposito grata ea postulatio admodum fuit, vt erat pronus promouendis iis, ex quibus Religioni vel ornamentum vel securitas oriri posset. Idcircò rem anteà secum agitans, Bellarminum accersit, monetque, vt quàm potest tempestiuè, prælectiones suas ordinet, quò illæ statim edi possint; cùm ita pro Ecclesiæ bono expeterent multi: vt, quæ priuato in loco exercitæ dudum fuerant, tandem in theatrum ac mundi lucem exirent. Credi non potest, quàm præter exspectationem acciderit ad Bellarmini aures imperantis ea vox, & quàm perculsa grauiter hoc tam honorifico iudicio singularis eius modestia fuerit; siue quia minimi duceret sua, siue quia Præsides numquam ei significauerant, cupere se, vt Controuersias scriberet perinde ac si aliquando forent imprimendæ: & cùm ei religio esset, de re cogitare, quam impe-

imperasset nullus; ideò, quemadmodum posteà narrauit, circa editionem incogitans ad eum diem perseuerauerat.

Dicto audiens tamen cœpit sine sociis auxiliisque statim disponere in ordinem quæstiones illas, quas ipsemet exarauerat omnes. Seruauit verò morem hunc perpetuò, vt ne Cardinalis quidem habuerit, aut à studiis, aut à manu quemquam, cui describenda traderet, quæ composuerat: sed quidquid pareret ingenium, hoc ipsiusmet manus, tamquam obstetrices, colligebant. Ostendunt id propè innumera eius Opera, Conciones, Adhortationes, Tractationesque, & Epistolæ; quarum partem magnam Viri honesti penes se, venerationis loco, habent; pars alia in Bibliothecâ Collegij Rom. custoditur, vbi & Volumina ipsa Controuersiarum (modò primum desideres, quod nescio quis afflixit imprudens, lacerauitque) scriptaque eius plura reperiuntur. Aliqua tamen Volumina, ex Opusculis eius piis, nempe *de Ascensione mentis in Deum, de Gemitu Columbæ, de Aeternâ felicitate Sanctorum, de Septem verbis, & de Officio Principis Christiani*, Leodij sunt, in Collegio Societatis IESV Anglorum, ita vt fuere primùm exarata manu eius: eaque Volumina ipse vni ex iisdem Patribus Anglis, Romæ iis annis dedit, quibus imprimebantur;

tur; manentque Auctoris egregij, & de Catholicis in regno Angliæ optimè meriti, monumentum. Videtur porrò admirandum quid, ac factu probabile solùm, quia factum est; hominem distractum tot occupationibus, & intentum euoluendis tot Operibus Auctorum diuersissimorum, subire potuisse (quod de S. Ambrosio legitur) laborem hunc ferè omnium horarum; vt Volumina conscriberet ipsemet sua. Consultò hæc fusiùs narraui, vt intelligeretur, quàm sit à falsis hausta criminatio illa, quâ Hæretici vel eo nomine Bellarmini famam proscindunt; quòd spargere deierando non erubuerint, libros Controuersiarũ partum esse non vnius, sed plurium Operi arduo ingemiscentium ingeniorum: tametsi Bellarminus, quod aiunt, ductus ambitione, inuidiam aliorum in se incautus acceperit. Sic dum talibus blaterant, transferũt ad inuidiæ vocabula lucem illam, quæ oculos ipsorum ægros miserè perstringit.

Verè tamen vnus Bellarminus (quod illi dixissent æquiùs) multorum Scriptorum in se animos & vires gerens, idem inuentor, inceptor, perfector Operum maximorum, breuî ad Generalem Præpositum attulit Volumen primum, vt de eo disponeret pro imperio; cùm diceret sibi abundè factum, quòd iubenti paruisset. Recognitum Opus à Viris

primæ

primæ litteraturæ, adprobatur, & typis conceditur anno M. D. LXXXI. Volumen alterum prodiit biennio pòst. Tertium hæsit diutiùs, propter susceptum iter in Gallias; de quo suo loco; & anno M. D. LXXXXII. fuit tandem ab omni parte absolutum Opus: quod siue ordo rerum, siue sententiarum pondera, & testimonia Patrum, siue historiarum linguarúmve peritia, doctrinæ firmitas & profunditas, in dicendo verò iunctæ simul elegans simplicitas & maiestas considerentur, est inter eius generis exempla maximum. Tenet hoc publica fama, & illud satis affirmat, quòd in solo Septemtrione vigesimam habuerit editionem: vt quia meruit ita feliciter multiplicare lucem, non sit, vnde in posterum vel obscuritas ei vel obliuio metuatur.

Longior sim recensendo titulos omnes, quibus Bellarminum Viri doctrinâ, ingenio, auctoritate summi cohonestarunt. Perstringam ex eis pauca, tantùm vt fiat coniectura de plurimis, quæ sileo. INNOCENTIVS IX. (vt Augustino Cardinali Valerio Veronæ Episcopo, & Bellarmini perstudioso, retulerat) ob egregiè nauatam operam in Controuersiis pro Ecclesiæ defensione, ei Purpuram destinauerat; dedissetque, nisi è viuis immaturè decessisset. Cardinalis Perronius quoties ad Bellarminum iam inter Purpura-

tos

tos adlectum, ibat, dicebat asseclis suis, *ad Magistrum eamus*. Qui etiam Epistolâ, quam capite altero mox referam, inter multa hoc item habet: Opus Controuersiarum æstimari à se pluris, quàm aliud quodcumque in Ecclesiâ editum ab annis mille. Cardinalis à Dietrichstein de Operibus eius existimat posse dici, *Bellarmini libros inoffenso decurras pede*. quod de S. Hilarij Voluminibus dixit olim S. Hieronymus. Cardinalis de Sourdis, cùm subscriberet iuratum Diploma Gregorii XV. de sacris Pontificum ordinandis Comitiis, Cardinalem Bellarminũ, Astrum non ita multò antè flexum in vitæ vesperam, concussoremque Hæreticorum, & Theologorum apicem nominauit. *Si sidus illud*, inquit, *quod nuper occubuit, in humanis degeret; Bellarminus ille, malleus Hæreticorum, & vertex Theologorum huius sæculi, quid diceret? in quas laudes erumperet?* Cardinalis Vbaldinus, cum salutandum censuit Athanasium, & Augustinum sæculi sui, à Diuinâ Prouidentiâ commodatum Orbi terrarum, vt monstra hæresium affligeret, atque ad terram daret; & huic sententiæ subscripsere è Purpuratis plurimi. Felix Cardinalis Centinus; *Illum sanè*, inquit, *non immeritò dixerim appellandum Hæreticorum malleum, sanctæ Ecclesiæ propugnaculum, Christianæ Fidei columen, Catho-*

licæ

licæ veritatis aſſertorem & vindicem. Hæc illa merentur Opera, grandiore feturâ ingenij progenita, ac flumine litterarum è præcipuis Sacri eloquij ſanctorumq; Patrum fontibus corriuato inundata. Cardinalis Valerius adferens auctoritatem grauiſſimam Auguſtini Valerij, item Cardinalis, & Epiſcopi Veronenſis, Patrui ſui, meminit de Epiſtolâ eius ſcriptâ ad Bellarminum, dum in Societate adhuc priuatus viueret; in quâ, *Sine te*, inquit, *haud ego poſſum Romæ contentus viuere, quem exemplis tam multis diligo, & cuius ſermones adeò me, tametſi ſenem, erudiunt. Ex Purpuratis Patribus tui ſunt memores multi: iidem te cuperent adeſſe; ita pulchrum eſt lumen, quo nos colluſtrare ſolet tua mens, doctrina tua.* Iulius Sanſedonius Epiſcopus Craſſetanenſis, in Vitâ quam ſcribit beati Ambroſij Sanſedonij, Cardinalem Bellarminum appellat Principem Scriptorum æui noſtri: Libros verò eius ait eſſe Religionis militantis armamentaria. Gulielmus Taylerus Epiſtolâ, quam ex magnâ Britanniâ miſit, verba ſancti Hieronymi vſurpans in Epitaphio ad Nepotianum, nuncupat Cardinalis Bellarmini pectus, Bibliothecam Chriſti. P. Petrus Cotonus è Societate IESV, Epiſtolâ quam Lutetiæ Pariſiorum eidem inſcripſit; cùm dixiſſet, haud æſtimari pugnæ diuerſum genus, tueri Bel-

larmini Opera, & Religionis ac Fidei defendere communem causam, hæc subdit: *Quando Scripta Illustrißimæ Dominationis vestræ defendimus, causam Dei & Ecclesiæ tuemur: vt iam in Galliâ & Angliâ idem sit Bellarminista, quod Papista: quemadmodum antiquitùs pro eodem ponebatur Athanasij confessio, & Fidei Catholicæ professio.*

Sed videbuntur plus habere ponderis testimonia inimicorum; à quibus, etsi ea fama Operum eius nusquam benignè audita est, extorsit veritas tamen, quod negare absque iniuriâ graui nequiuerunt. Theodorus Beza Hæresium Gebennæ Inuentor & Magister, cùm in Tomo primo Controuersiarum legisset, quæ de auctoritate Summi Pontificis in eo continentur, exclamauit miser: Vnus hic liber nos humi omnes prosternit. Persimili formidine in Britanniâ Academiæ, & Regis Aula, iam tum initiò, Operis admirandi crescentem molem sibi ac posteris suis metuentes, haud habuere negotium maius, quàm vt Bellarmini Scripta conuellerent; & tunc non Cantabrigiæ modò, quod anteà dixi, sed in Academiâ Oxoniensi etiam eius Controuersiæ ex instituto cœptæ sunt oppugnari. Eorum quoque rabulæ, cùm pro concione blaterant, non plausum, non murmur referunt, nisi contra Bellarminum garriant; & deridiculo

culo ſunt atque contẽptui, qui ipſius nomini obtrectare non ſatagunt. Imò ſi quempiam viderent aduenire ex ſolo loco meditabundum, aut ſeuerâ fronte curas voluere, dictum commune erat: Hic homo apud ſe, aduerſus Bellarmini Scripta, machinas diſponit. Denique hoſtes Fidei omnes Opere illo debilitati, poſteà nihil quidquam valuerunt; & tantùm, dum minimè conquieſcunt, more anguium capite obtrito, ſpiris & caudâ inutiliter minantur.

Idcircò Hæreticorum alij ſapientiùs Operi Controuerſiarum laudem dederunt. Batauí, ſicut accepimus, in ſuâ ipſorum Bibliothecâ Bellarminum collocârunt inter primos. Ab aliquibus candidus Scriptor vocatur, & claris Eccleſiæ ac Pontificij principatus defenſoribus qualibet arte par. Sunt qui veluti Gigantem eum ſibi proponant, eiuſque comparatione, adſtantis formâ proceriori, ceteros vmbras hominum æſtiment & ludibria naturæ. Non deſunt, qui Opus Controuerſiarum, vnum quidem titulo & nomine, ſed victoriâ multiplex, velut inſtructam aciem putent, quæ hoſtium vires omnium, vnâ inuolucrit ruinâ. Adprobant alij laudem, quâ idẽ Opus Cæſar Cardinalis Baronius, in Annalibus ſuis, Turris Dauidicæ ſimulacrum habere, cui ſuppetat armorum omne genus, exiſtimauit.

mauit. Postremò consensus communis ipsorum est, Controuersias eius perfectū Opus videri, quod magnorum exercituum vires gerens, quasi misso in compendium bello, in se tantum virtutis contineat, quantum nequeat colligere totum, quod apud ipsos est, perfidiæ Conciliabulum. Tanta verò admiratio incussa omnibus fuit, vt satis agnoscerent, aut vno illo se vinci posse, aut nullo alio. Inter illos, qui doctrinam eius encomiis honorificis prosecuti sunt, Thomas Mortonus Hæreticus, & in Britanniâ Pseudoëpiscopus; *Demus*, inquit, *Bellarmino acumen ingenij, tribuamus ei peritiam linguarum, agnoscamus in eo elegantem & raram litteraturam; & si velit quis ei tribuere etiam notitiam amplam Scholasticæ Theologiæ, haud sanè inficias ibimus.* VVitackerus etiam, sicut rescripserat ad Cęcilium Britanniæ Quæstorem, ita & imprimi typis voluit iudicium, quod tulerat de Bellarmino his verbis: *Illum iudicaui virum sanè doctum, ingenio felici, iudicio subtili, lectione multiplici præditū; qui soleret etiam apertiùs ac simpliciùs agere, quàm reliqui consueuerunt Papistæ; vt argumentum pressiùs vrgeret, & arctiùs ad causam adhæresceret. Sic enim homo eruditus in scholis, & controuersias ex instituto tractans, in argumento totus, missis circuitionibus & ambagibus versari, hærere, habitare debuit;*

cumq;

cumq́; legiſſet, quos hactenus libros quiſquam de his cauſis ſcripſerit, eas argumẽtationes reſponſioneſq́; ſelegit, quas valere plurimùm, & neruoſiores eſſe iudicaret. Hæc attuli de multis pauca, vt intelligatur, quàm celebris ſit etiam inter hoſtes Bellarminus. Et vocari hæ teſtificationes poterunt, Trophęa de hoſtibus laudatoribus, erecta eius nomini glorioſo; præmia defenſæ Fidei, & aſſertæ ab eo Veritatis.

CAPVT VII.

Criminationes & calumniæ, quas paſſus eſt diuerſis temporibus, occaſione Controuerſiarum, & Operum aliorum.

ADeò celeriter extulerat ſe Bellarmini nomen, ne hoſtibus quidem obſcurum; vt cogitare quis poſſet, hominem, qui ita ſupra ceteros emineret, iam inuidiâ maiorem eſſe. Sed huius afflatus tentat afficitque indiſcriminatim omnes. Imò Inuidia ſemper ſumma petit, tamquam ignis: vt ſit hactenus conceſſum nemini, temporibus quibus emineat, non eius æſtum aliquem pati; & quod grauius eſt, interdum non adire periculum adæquè in magnâ famâ, atque in malâ.

Audita eſt itaque Bellarmini etiam detrectare laudes, & corrumpere honores, quos

promeritus erat occaſione Controuerſiarum: ſed non ei diu interturbare ſonum gloriæ potuit, ſiluitque poſtquam ſe efferre veritas cœpit; vt manifeſtum eſt in eruditis iuxtà & prolixis diſputationibus, quas pro Bellarmini defenſione Scriptores varij & laudatiſſimi compoſuerunt. Longum ſit ſingula exequi, quæ in eum effudit ferreum os Hæreticorum; quibus ſemper admiratio viri tormentum fuit. Tantùm attingam pauca; & primo loco id quod pro concione tam ſæpè, & ſcriptis etiam vulgârunt: nempe Bellarminum ſuopte ingenio admonitum erroris, quo oppugnauerat veritatem Euangelicam (nam hoc ſpecioſo nomine ſuam hæreſim honeſtant) publicè omnium factorum dictorumque veniam & abolitionem petiuiſſe; & quod reliqui ad ſalutem erat, Caluinianum eſſe factum. Addidere prætereà, eam ob cauſam à Pontifice coniectum in carcerem fuiſſe, denique oppreſſum ſupplicio, & compulſum ad necem. Huius mendacij mentio eſt in Reſponſione eius ad Regem Scotiæ; vbi dolet Regem, cui nec deſit lumen animi, neque ſumma generis claritas, deſciuiſſe penitùs ab auitâ Religione, tranſmiſsâ etiam per Martyrem Genitricem; & ſequi eos Duces, qui per errorum ſcatebras ipſum præcipitem agerent.

Vt

Vt referunt ad me, inquit, *Viri spectatæ fidei, in Regno Maiestatis tuæ Ministri, nec semel, sparserunt; me, quæcumque edidi pro Catholicâ Fide aduersus Lutheranos & Caluinianos, aboleuisse: imò & ad Caluini sectam transgressum esse; Romæ verò propterea à Summo Pontifice captum, iudicatum, & vltimo supplicio denique affectum. Enimuerò si quæ sunt huius generis mendacia, & quæ milleni testes redarguere possunt, Ministri audent comminisci; quid illi non audeant in aliis quæ obscura sunt, & à sensu distant? Ego nec syllabam vnam induxi, aut immutaui, ex his quæ contra Lutheranos & Caluinianos dedi semel veritati: nec inducam, vel immutabo, quamdiu erit mihi propitius Deus; sed retinebo in corde Orthodoxam Fidem, donec me vita deficiat. Viuo insuper, & Romæ quidem in vrbe oculatissimâ; quæ etiam videt me in eâ dignitate, quam numquam optaui, quoniam elegeram abiectus esse in Domo Dei mei. Sed nimirum ille, cuius voluntas est supra me, & supra pios omnes, voluit ad gradum honoris ascenderem, meq; Purpurâ induit non petentem, sed petitum vltrò, imò & adactum imperio.* Hoc vsus est argumento, prouocans ad sensus ipsos iudices criminationem manifestè ream; deinde patefecit dolorem animi, commiserationemque erga virum Regij generis ac muneris, qui cum insigni ruinâ sub-

ditorum, & suâ, ita erraret extra Ouile Summi Pastoris animarum nostrarum.

Improbiores alij addidere mendacio flagitia & nequitias, ausi publicis typis asserere, inuentum è Bellarmini scripto libellum, & in eo noxas ipsius omnes, quas eluere Laureti apud Pœnitentiarios, quorum ibi frequens & illustre forum, dispofuerat; & quia, vti enormium capitum reus, debuit inabsolutus dimitti, ideò in magnam desperationem adductum abrupisse cum mœrore vitam. Sic in Poloniâ Hæreticus (Patronus Torunensium inscribitur) contra quem è Societate nostrâ P. Georgius Tiskeuicius vindicem calamum strinxit. Idem egit P. Iacobus Gretserus contra Hæreticum alium; qui pariter vitiis commaculatum fœdis, Lauretum, confessionis faciendæ causâ, mutato habitu concessisse Bellarminum mentiebatur. Horret animus referre, quid is de illo finxerit, quid scripserit, quid vulgauerit. Auferat ista omnia obliuio si potest; si non, silentium vtcumque tegat. Ea enim homo præmortui pudoris, Bellarmino adstruit; propter quæ, cùm tres horas brachijs in Cælum expansis orasset, aiebat, imaginem Deiparæ statim auersam ei humeros obuertisse, ex eoque factum, vt mirificè territus Bellarminus in morbum letalem inciderit, ac rugieris desperabun-

rabundus leonis instar. Dein Pœnitentiario legendam dedisse schedulam confessionis suæ; cùm interim, vultu in terram defixo, sententiam tremebundus opperiretur: sed Confessarium adiudicantem inesse ei maculas in pectore, quæ à nullo elui possent, schedulam abiecisse, & abiuisse. Bellarminum verò, cùm videret flagitiis obstrictum se teneri, quominùs à Sacerdote absolui posset, in summâ anxietate constitutum, animam exhalasse, & voluntariâ morte iustissimo ipsorum odio satisfecisse. Postremò & addit, Ioannem de Montgado, quem Cardinali Bellarmino ab epistolis facit, Romæ plexum capite; specie quidem, quasi Apostolicas litteras signis adulterinis vitiasset; reipsâ tamen, quòd syngrapham illam Bellarminianæ confessionis, ex quâ eius vitia manare in vulgus cœperant, euulgasset.

Potuit criminatio tam impudens falsitatis facilè redargui, superstite adhuc Bellarmino; cuius eximiam gloriam Hæretici non ferentes, vti cæca inuidia est, socordiam suam irrideri & stolidam amentiam non viderant, dum velut æstu abrepti, existimarent fœdis mendaciis, quæ non nisi auctores inquinant, famam lædi hominis præclari, viuentis, & spirantis potuisse. Narrationem aliam, quæ in rem præsentem cadit, hîc interseram. In

Oliuâ Senatores aliqui Gedanenſes, hæc quæ memorauimus, retulerant eximio viro Philippo Adlero (is erat Cœnobiarcha Ordinis Ciſtercienſis) qui negauit ſtatim, quæ iactarentur, poſſe apud ſe fidem vllam impetrare; cùm à Viris auctoritatis magnæ de Bellarmino longè alia cognouiſſet. Dum verò ita inter opiniones hęrent, improuisò adeſt Iudęus neſcio quis, qui nuper ex Italiâ venerat. Illi eum itaque compoſito ad omnem humanitatem vultu rogitant, an ex Vrbe, & quàm pridem veniret; quid noui referat: & de Cardinali Bellarmino, an viuat, an valeat, & quæ eius vitæ ratio, quæ fama? Reſponſum expectabatur auidè; & ſperabant locuturum Hæretici pro menſurâ votorum; quippe hominem externi ritus, & Religionis alienæ. Sed ille conſtanti ore vultuque, Bellarminus viuit, inquit; & valuit perpetuò, dum illic fui. Quo ad vitam verò & mores eius, ego ita quidem exiſtimo: Chriſtiani omnes ſint Bellarmino ſimiles, & è Iudæis Romæ ſupererit nemo: adeò cuncti tranſgrederemur in morem eorum; cùm ipſe Vrbi vniuerſæ ſanctimoniæ innocentiæque ſit ſpectatum valdè & viuidum exemplar. atque huc euaſit de Bellarmini vitâ diſputatio.

Hiſtoriam hanc Bellarminus ipſe memorans aliquando inter familiarium ſermones, & ſi-

& simul referens hæretici vnius simile quoddam dictum; superfuturos nimirum in hæresi nullos, si, quod aiebat, omnes Bellarminij efficerentur; subdidit lepide: En mihi iam suppetunt testes duo, vt in Diuos referri possim, alter Iudæus, Hæreticus alter; desideratur tertius, qui sit vel Turca, vel Ethnicus. Id etsi festiuiùs tum dixit; non tollit quò minùs pensi multum habeant, quæ sæpe etiam inimici veritatis proferunt.

Certè in hanc sententiam S. Ioannes Chrysostomus olim; *Nemo profectò*, inquit, *gentilis esset, si ipsi, vt oportet, Christiani esse curaremus; si Dei monitis & scitis obtemperaremus. Nemo, inquam, esset ita fera bellua, vt non statim ad cultum veræ Religionis accurreret, si videret hæc ab omnibus fieri.*

Dum his criminãtionibus Bellarmini vitam foris Aduersarij eius, incertum dedecorant, an illustrant; Romæ, vbi esse securior fama eius debuisset, quippe in Arce primâ defensæ ab ipso Religionis, inuidia, quæ virtuti semper extitit insidiosa, struere machinas ei magis clandestinas cœpit. Quidam in Vrbe ægrè ferebant Bellarmini nomen, antequam etiam Purpurâ illustraretur, esse apud omnes dignationis tantæ. Creuitque molestia, cùm à SIXTO V. Pontifice missus in Gallias fuit, Theologus Henrici Caietani

Car-

Cardinalis, cui in Regnum illud Legatio tum obuenerat. Et quia Legatione adultâ indoluit Pontifex, à Cardinali negotia transigi consilijs quæ data initiò fuerant, dum Romæ iam alia meditans, nouam excogitauerat rationem agendi, quam ob causas graues indicare aliis grande periculum fuisset, sicut contra eam ingredi pede inoffenso, res censebatur summæ dexteritatis, vt ex historiis aliorum peti potest; idcircò ea opinionum dissensio inter Pontificem & Legatum vix intelligi Romæ cœpta est, cùm id è sententiâ fluere iudicarunt ij, qui Bellarmini obscurare nomen cupiebant, rati suæ gloriæ demi, quidquid cederet alienæ. Itaque homines accendendis offensionibus callidi, Pontifici sensim adulari; ac spargere (quæ sæpè inter Aulicos est libido fingendi) doctrinâ Bellarmini auctoritatem illam minui, quam Christus Dominus Vicario suo in Terris dedit ad Ecclesiæ dignitatem firmitatemque; idque fieri in opinione ipsius circa Dominium, quod Pontifici competit in res temporarias: Lib. 5. de Rom. Pont. Et quoniam ea vox percrebuit; tempore quo cautè ista iactari, si vmquam aliàs, debuissent; captatâ etiam occasione, dum peregrè Bellarminus ageret; nonnulli vrgere atque instare ausi sunt, quò eius Opera inhiberentur, inferen-

ren-

renturque Catalogo Voluminum proscriptorum, donec quæ in eis forent damnosa, egeri possent. Fraudem excepit euentus: nam ij, quorum inuidia in occulto, adulatio in aperto erat, facilè impetrarunt, vt hoc pacto in Bellarmini libros sæuiretur. Sed ea res vocem veritatis, quæ in libris iisdem loquebatur, non diu repressit. Nam excedente è viuis Pontifice, cum illo (vt Aulici sunt plerumque suorum Principum inferiæ) cecidêre Aduersarij eius: & sacra Congregatio Cardinalium reputans iniuriam esse, ita damnari eximium virum, præsertim, dum is Sedis Apostolicæ causâ aberat; sponte mandauit, ex Indice probrosorum Scriptorum eximi Auctorem egregium, nullo in opinionibus eius deprehenso vitio. Quare ei criminatio intra gloriam fuit, nec minore famâ in Vrbe deinceps Bellarminus viguit: cuius dicta solùm ab inuidis postulabantur; adeò factorum innocens erat.

Similis turbo excitatus est in Galliis, anno M. DC. X. quo tempore ipse iam in Purpurâ erat; vt inhiberetur tractatio eius de Potestate Pontificis in res temporarias, aduersus Gulielmum Barclaium. In hanc enim pauci aliquot è Senatu Lutetiæ Parisiorum, conspiratione factâ, Regiam Edictionem impetrarant. Et verò Bellarmini animum ea res

non

non leuiter perſtrinxit: non modò quia iam Auctor erat maiori gloriæ aſſuetus, quàm vt reus eſſe ſciret, ſubmittereque ſe in humilitatem codicum damnatorum; ſed magis, quia videret in Vrbe erga Apoſtolicam Sedem obſequiosâ, paucorum audaciam vel temeritatem id moliri potuiſſe, vt illiberaliter adeò communis cauſa Religionis acciperetur: cuius videlicet auctoritas, ab inimicis obſeſſa, ab ſe in libro illo defendebatur. Quoniam autem nouerat, id patratum eſſe ex ſiniſtrâ relatione ad Reginam, quæ proximo ab exceſſu Henrici IV. tum in Galliis regnabat, decreuit ad eam litteras: ſubiecitque Regiæ menti, quàm nullo iure ea ſui Operis inhibitio prodiiſſet. Memorauit cauſas, propter quas Opus imprimi par omnino fuerat, vt libro videlicet aduersùm ſe ab Hæreticis Magnæ Britanniæ edito, poſt obitum Gulielmi Barclaij Auctoris, reſponderetur. Adiecit ad ſui defenſionem primò, non aliam doctrinã in illo circumferri, niſi quam ante annos ampliùs viginti, in libris Controuerſiarum, ſuffragatione Principum omnium, & præſertim Henrici IV. contradicente verò nemine, modò exciperentur dumtaxat ij qui ſunt Hæretici palàm, vulgauerat. Deinde doctrinam eamdem pronuntiari à primis Scriptoribus, qui ante annos centenos in Eccleſiâ

clesiâ floruerunt; quibus tamen Regia Edictio opponebatur, perinde quasi Hæreticis Britannis obsecundare vellet. Rursus contineri in eo ipsa pronuntiata Concilij, quod Lugduni in Galliis habitum est, coram INNOCENTIO IV. quo tempore etiam S. Ludouicus Rex auctoritate ac potentiâ suâ supra modum Pontifici & Concilio fauit. Ad hæc Barclaij libro librum suum aduersari directè, tamquam operi, in quod, quia scatet erroribus, ab Sede Apostolicâ meritò sæuitum est. Hinc verò fieri, vt libri sui damnatio æstimari debeat perinde, ac si à prauitate omni Barclaij liber vindicetur; quod est manifestè stare ab inimicis Ecclesiæ. Postremò tractatum eumdem, in eâ inhibitione, tingi coloribus non suis, & eorum insimulari, quæ non peccauerat: quemadmodum erat legentibus in comperto. Sed imponentibus falsa, securitatem inde natam, quia Operis exempla pauca inuecta in Regnum fuerant. Sic ipse ad Reginam: & hæc Oratori Regio in Vrbe commoranti iniunxit, statim ad Cardinalem Bellarminum adiret, adferretque excusationem facti; librum quidem ab omnibus optimum, & doctrinæ integræ censeri; sed optandum ei, vt ne incidisset in funesta illa tempora oppressi Regis, cùm pericula seditionum varia metuebantur. Pòst, flagitante in Galliis etiam

iam Sedis Apostolicæ Legato, ac nomine Pontificis petente interdicti abolitionem, Regina prouocans ad se causæ discussionem, contradicentibus imperauit silentium, & edictionem abrogauit. Itaque Bellarmini liber à conuitio & pœnâ vindicatus, honori rursus & luci redditus fuit.

Euentum habuit parem alia secreta magis criminatio, quæ serpere radicibus latentibus, & occulto damno in animis cœpit Illustrium Virorum: sed quibus tamen studiorum eius generis peritia non admodum erat. Prosemi-narunt illam (quantum assequi coniecturâ licuit) quidam, qui crescendi occasionem pro se rebantur, si in inuidiâ Bellarminus esset; cedebatque res è sententiâ vel ideò, quia scirent, Bellarminum (quæ ipsius erat demissio & lenitas) quieto animo ferre, lacerari existimationem suam. Hi ergo inflato ore tumentique, iactare per Aulas Vrbis omnes, Controuersias à Bellarmino editas, Ecclesiæ Dei plus intulisse damni, quàm dedissent commodi. Nam aduersariorum, aiebant, contorquent argumenta validè, sed retorquent eneruiter: quæ res Hæreticis audaciam, veritati Catholicæ defectionem quamdam virtutis creat, damno vtique pœnitendo. Verùm hi cùm intelligerent hæc aduersus famam rumoresq; hominum secundissi-

mos

mos afferri; nec ſatis felix mendacium fore, niſi teſtem haberet, cuius nominis obtentu res tutiùs fingeretur; idcircò vt eam inuidiæ flammam ſapientiùs fouerent, tentarunt, ſi quomodo poſſent ſuadere, honorificam acclamationem Controuerſiis eius publicè datam in Theatro Orbis Terrarum, populi eſſe vocem,& vulgi ſonum,non eorum, qui manus cum Hæreticis cominùs conſererent, & periti rerum haberentur. *Ite*,aiebant,*ad Cardinalem Perronium, Virum, qui tantâ cum exiſtimatione, grauitate, ſapientiâ ſæpè ore tenus, ſæpè ſcripto communes hoſtes profligauit; ipſius ſuper hoc ſententiam rogate; intelligetis querimonias,quibus damnum luget,quod Eccleſiæ inferunt Controuerſiæ Bellarmini, iam hoſtium arma propè,& non mina tantùm, aduerſus Caſtra Catholicorum.*

Hæ calumniæ auditæ primùm inter paucos,dein illatæ in aulas Nobilium,celebratæque ſermonibus (vt obtrectatio & liuor pronis auribus accipiuntur) proceſſere adeò, vt etiam ad Cardinalis Bellarmini aures, Capuam vſque,peruenerint. Obſtupuit verò ipſe,Cardinalem Perronium, quem coleret in paucis (quâ apud omnes erat famâ eruditionis reconditæ litteraturæ, & integritatis magnæ) protuliſſe de Controuerſiis ſuis ſententiam tam alienam à iudicio, quo cum illæ

peruaserant Septemtrionem vniuersum. Idcircò, cùm difficilis ei esset persuasio, hominem eius virtutis ac prudentiæ, ita de se esse locutum; ad Cardinalem de Ioyeuse, virum sibi amicissimum, & Cardinali Perronio secretorum fide coniunctissimum scripsit, rogauitque, vt sensum animi eius, & cordis copiam indagaret. Transacta res feliciter: nam is alterum amica per officia prouocans, rem, vti erat, assecutus est, & ad Cardinalem Bellarminum Epistolam misit; quæ, sicut & altera Cardinalis Perronij, quia honorificam de Bellarmino testificationem continent, cum adiectis responsis ipsius, hoc loco referri debent.

CARDINALIS DE IOYEVSE CARDINALI BELLARMINO.

Litteras cùm legi, quas proprio ad me scripto, Cardinalis Illustrissime, dedisti; attonitus, vt numquam aliàs, hæsi: adeò me in contraria differebant, fides quâ credere, quæ ipse narraueras, debui; & certitudo quæ suberat, à Viro, in cuius ore solet tanta sermonis esse prouisio, hoc est à Cardinali Perronio, proficisci blasphemiam adeò immanem non potuisse. Nam hoc nomine appellare vocem illam criminosissimam volui. Nihil habui citius aut potius,

tius, quàm vt eum conuenirem, & sermonem de editis abs te Controuersiis serere primùm incipiens, studia eius, aut quæ de illis sententia animo esset, vestigarem. Vbi verò eas ab ipso efferri in Cælum audiui, tunc menti rediit serenitas; & securus animi, quæ ad me scripseras, exposui. Ille, vt audiuit crimine hoc aspergi se, quasi sinistros de Bellarmino sermones habuisset, ferè linqui animo visus est; vt non ego quemquam viderim, vel magis perturbatum, vel indolentem grauiùs. Ergo modis iis, quorum solet auctor esse vehemens dolor, contestari rationibus tam certis cœpit innocentiam suam, vt prorsus ita esse, affirmare sit. Professus est verò sibi ne in mentem quidem venisse eius mendacij: & aduersum te, eâ se obseruantiâ fuisse semper, vt in Operibus suis arripuerit occasiones omnes, scripta & sentẽtias tuas interserendi, consecrandiq; eis illustres laudes: non modò, quòd iã sis gloriosum nomen; verùm quia scripta eadem, vt clarescant obscura fidei, pepererunt Ecclesiæ luminis quamdã perennitatem.

Quòd si eius priuati sermones contradicerent his quæ typis publicis dederat, quæ tandem hæc esset animi, aut inconstantia, aut amentia? Addidit, libros tuos æstimari à se vsque adeò vtiles, ac dignos quibus euoluendis insistant omnes, vt propter bonum, quod inde sumi posset, adhibuerit operam omnem suam, quò ex Lati-

nâ voce donarentur idiomate Gallico, & suis etiam sumptibus imprimerentur; argumento vtique magno, quàm iudicarit conueniens, eos abs te primùm edi. Sed nec illud prætermisit, cùm in Vrbem venit, se ægrè ante omnia tulisse, quòd non simul adesses; vt facie posset cognoscere, quem iam famâ norat. Ad hæc, vt habeatur testificationis huius veritas pro re compertâ (nam ex ore eius numquam, aut sonum aut impetum accepit ea tam fœda criminatio) supplex precatur, vt cùm multa soleat veritas præbere vestigia sui, omni ope adniti velis, quò res poßit manare. Nam intelliges haud dubiè, custodiam tibi ab aliis, quàm ab ipso ponendam esse; qui se tuum famulum, etiam cum gloriâ, vocat addictißimum, studiorumq; tuorum defensorem se acerrimum profitetur. Neque his contentus, quæ mecum vnà coràm dixit; Epistolam insuper adiecit, quam hîc interligo litteris meis, sperans fore, vt abstergat suspicionem, quâ se immeritò respersum videt: atque Epistolam hanc cupit interim haberi obsidem innocentiæ suæ, donec spatium ei detur purgandi se copiosiùs, & testificandi ceteram suam obseruantiam aduersum te pariter, & Controuersias tuas. Ego verò in hoc sensu lætitiæ, quâ fruor, dum reputo me emersum eo metu, vnde fluctuatus anteà fueram, audiens inter viros mihi tam eximios amara denarrari; oro quæsóque, vt

vt propter iustissimas causas existimes, factu-rum te operæpretium, si odorari studueris, vnde huic fraudi origo tandem. Gratias interim impensè ago, quòd adeò familiariter communicaueris mihi res tuas: & factum id iudico rectissimo iure; cùm viuam tibi famulus tam verus, tam proprius, vt nemo possit de his particeps à te fieri, qui te magis velit in tranquillo esse, quàm velim ego. Valeas, & diu nobis, ac rebus Ecclesiæ intersis. Romæ. Prid. Id. Februarij M. DC. V.

CARDINALIS PERRONIVS CARDINALI BELLARMINO.

Retulit ad me Cardinalis de Ioyeuse, tibi narrasse aliquos, famam & doctrinam tuam, Cardinalis Illustrissime, verbis me obterere ausum esse; & dixisse futurum Ecclesiæ vtilius, si Controuersias tuas imprimi numquam permisisset, eò quòd in eis argumenta Hæreticorum librentur efficaciùs, nec deinde infringãtur satis. Hæc horribilis, & ab ipso parente mendacij effusa criminatio, affecit animum meum stupore inenarrabili, meq; afflixit tantò acerbiùs, quantò certior ego sum, non vocem modò; sed ne cogitationem quidem vllam esse in me huius mendacij ream. Imò & quæ dixeram, & quæ cogitaueram anteà, vbicumque

demum vixi, eò collinearunt ſemper, vt oſtenderem, à me pluris æſtimari Opus Controuerſiarum, quàm Opus aliud quodcumque, quod pro Eccleſiæ defenſione vel à milleſimo anno in lucem prodierit. Itaque conſtitutus inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam criminationem, teſtem imploro oculum ipſum Dei, & precor, vt me deſpicatui habeat, ſi vmquam talia ſim ego tam improbè locutus. Vt verò apud homines etiam me quoquomodò purgatum reddam, teſtes adfero res geſtas meas, & ex his tria ſumam potiſſimùm argumenta, maiora ſpero, quàm ſit neceſſe, vt falsò & ab imponentibus inimicis confiɛto crimine poſtulatus abſoluar. Primùm, hoc à vero adeò diſtat, vt ſpe vtilitatis, quam è Controuerſiis Hæretici ſumere poterant, modò vellent cogitationem ad ipſam referre veritatem, his poſtremis annis eas verti Gallicâ dictione curauerim; quò ita Hæretici noſtri, quibus Latini ſermonis peritia non eſt, legerent eas ad frugem animæ, & ad Fidei triumphum: onus verò ei demandarim, qui mihi ab Epiſtolis, & in Eccleſiâ meâ Cantor, Chiatillonius nuncupatur. Néve imperium detrectaret, iniunxi hoc etiam intentato metu inobedientiæ; manſit verò ad eum finem menſes plures, imò & annos, in Aedibus meis Epiſcopalibus. Typographum etiam domi paratum habui, qui ſtatim ſumptibus meis eas prælo daret. Cardinalis

dinalis de Ioyeuse, ipsemet vidit in Galliis translationem hanc, me iubente factam: & potes meminisse tu quoque litterarum, quas Chiatillonius ad te intereà scripsit ex consilio meo; quò æqui boniq; consuleres, vt ea noua editio promulgaretur.

Ad hæc in omnibus his, quæ publicè aut secùs ego subinde scriberem, Controuersias easdem, quoad potui, commendaui perpetuò; & vt sit fides dictis, Cardinali de Ioyeuse, & posteà Cardinali à Camerino in Actis impreßis Collationis meæ Fontis Bellaquei ostendi hæc verba: Episcopus Ebroicensis à Cardinali Bellarmino semper libens discet. Quo loco, cùm gloriæ mihi tribuam, si Bellarminus sit Magister meus; meóne Magistro maledixerim? idq; mihi iure quispiam affinget? Aut non erubuerim moliri infamiam Viri laudati à me coram Galliâ vniuersâ? In scriptis de Eucharistiâ impreßis, sed nondum editis (finis enim eis & conclusio deest) vidêre Cardinales ij responsiones tuas à me defendi aduersus Hæreticos nostros, nec alio eas nomine appellari, quàm aptas & doctas responsiones Cardinalis Bellarmini. Postremò Hæretici Galliarum, in tractationibus suis, appellant te Bellarminum meum; quod & pariter ostendi in impreßâ Responsione Pleßij Galli Hæretici, qui te itidem vocat Bellarminum meum. Cuncta hæc verò, quia typis data, possunt, quoties libuerit,

buerit, ostendi. Rursus auditæ sunt à me querimoniæ, Romam cùm veni, quoniam hîc te partem Vrbis tam præcipuam non reperi; & harum testes ampliùs bissenos, omnes indubiæ fidei, adferre possum. Proposui quidem P. Francisco Suario, & aliis, rationes aliquot, quarum auctor ante me nullus fuit; excogitatas, vt soluerentur ea, quibus circa Eucharistiæ res Hæretici implicant se & illaqueant. Sed mea dum promerem, illaudata non relinquebam, quæ promebantur abs te. Quippe addidi semper, si velimus viâ ingredi regiâ, & calle numquam deuio Veritatis, Fidei, Lectionis, Translationisq́, aut Constitutionis Auctorum, nos itineribus insistere melioribus haud posse, quàm iis, quibus tu graderis; & apud Scriptores, qui ab annis quingentis floruere, nihil roboris inueniri, quod non sit sparsum & digestum in Voluminibus tuis. Quin imò potuisse adhuc te multa, quæ illi non parauerant, noua & vtilia comminisci. Haud inficior, me quibusdam locis vsum esse fundamentis aliis, & conatum ostendere; nunc Auctores, quos Aduersarij pro se laudant, minimè Catholicos censendos esse, sed contra Ecclesiam ingenia & calamos acuere; nunc esse vitium in codice; nunc traductiones prauas, vel minimè necessarias, aliterq́ colligi construiq́ verba, vel potuisse, vel debuisse; nunc demũ Auctores in iis partibus de Eucharistiæ Sacramento non loqui.

Sed enim hæc omnia propoſueră ſubmittere cenſuræ tuæ, ex quo & dolui, quoniam Romæ non adeſſes. Atque has lucubrationes meas Pater Suarius (qui ſcripſerat & ipſe de hoc Sacramento) legit; ſuiſq; etiam magnis cohoneſtauit aſſenſibus. Quòd ſi has aut ſimiles voces ore innocenti prolatas, toxico vel aliâ veneni tabe infecit aliquis, quò inter nos diſſidium oriretur, impediretur q; conſenſio animorum, quam ſperaueram, & ſpero vtique, cùm videam apud aures haud ita offenſioni pronas hæc ſparſa eſſe: hoc enim verò adſcribam ego iis quæ peccaui aliter, ſed non culpæ obſequij aduerſum te; quem, & Cardinalem Baronium ſuſpexi ſemper, veluti duo maxima ſæculi huius & Eccleſiæ lumina. Quare à culpâ innocens, & reum me eſſe tantùm ex pœnâ ſentiens, ex quâ dolui me eiuſmodi ſuſpicione aſpergi, hanc ſcripſi Epiſtolam; & Italicè quidem, non Gallicè, vt intelligeres meliùs ſenſum cordis mei, quod verè in his litteris idem atque in pectore loquitur: ſed & ſcripſi dictione meâ inelegantí; quia ſatiùs duxi, à te voces minùs compoſitas vel cum faſtidio legi, quàm eum qui mihi ab Epiſtolis Italicis, aut alium quemquam, habere conſcium huius fœdæ criminationis. Differam porrò rem vulgare, donec expedire iudicaueris, vt veritas demum emanet pro meâ liberatione. Ceterùm quæ obiecta, quia eiuſmodi ſunt quæ verbo negare

 ſit,

ſit, negabo eadem vbique; nec mihi coram vllis à verecundiâ metuo: ſed coram me erubeſcet potiùs, quicumque huius ſimul calumniæ, ſimul doloris mihi auctor fuit. Interim manus tibi deoſculor. Romæ IV. *Idus Febr.* M. DC. V.

Hæc eorum ſcripta integra retuli; ne de teſtimonij magnitudine breuitas detraheret: reſponſa iam addo.

CARDINALIS BELLARMINVS CARDINALI PERRONIO.

CEpi, fateor, minus moleſtiæ ex falſitate, quæ fuerat ad me ſcripta nuper, quàm gaudij iam ex litteris tuis ſuauiſſimis. Deum precor, vt ex hoc merito muneretur te cumulatè in Regno ſuo: noſtris verò inuidis calumniatoribus det veniam. Ego multis modis tranquillè viuo in Eccleſiâ meâ, procul ab obſtrepentis Aulæ ſono. Deſiderium tamen videndi te, & fruendi affabili iuxtà atque eruditâ conſuetudine tuâ (nam hæc de te fama paſſim auditur) fortaſſe inducet, vt in Vrbem remigrem, ante diem quem deſtinaui. Reſponſiones argumentorum nouas in ſanctæ noſtræ Fidei patrocinium à te fuiſſe excogitatas, facilè credidi; & ob eas tibi gratulor ex animo: quin & gratias Diuinæ Bonitati habeo, quæ iuxta temporum neceſſitatem, ſubmittit Eccleſiæ ſuæ Patronos & defenſores.

CAR-

CARDINALIS BELLARMINVS CARDINALI DE IOYEVSE.

DIfficile explicatu admodum eſt, quâ perfuderis me conſolatione litteris tuis: non modò, quia ſubmoueris animo onus cogitationis grauiſſimæ, quo anteà premebar; verùm etiam, quia ſinceri ſtudij & amoris aduerſum me tui, illa ſimul indices fuerunt. Certus ſum, criminationes illas iniquorum operâ ſparſas eſſe: indagare tamen ipſarum originem prætermitto. Vox tua apud me, mille teſtes; & mille ſunt nomina, quibus me tibi debere fateor: vt occaſionem proinde expetam, quâ tibi re & factis teſtificari poſſim fidem obſequij mei. Etſi verò fuiſſet abundè, quò ſuſpicio hæc omnis abſtergeretur, ſi tu eius rei causâ ad me vocem vel vnam, nedum iuſtam Epiſtolam dediſſes; ne Cardinalis Perronius hoc ſubiret oneris, vt etiam ipſe ſcriberet: fuit nihilominùs mihi percarum, ſignum hoc nuperum beneuolentiæ, quo me in Epiſtolâ ſuâ complexus eſt Vir, quem ego tanti æſtimo, & admiror.

Hæc recenſere hoc loco, etſi tempora variant, conſultum ideò fuerit; vt appareat, fuiſſe irritos conatus eorum, qui auſi ſunt contra Bellarminum adgerere falſa: vt famam eius ex optimâ, aut dubiam redderent,

aut malam. Apparuit verò egregiè, Bellarminum, ne tum quidem cùm obumbraretur, esse potuisse obscurum nomen. Nunc ad Historiæ seriem redeo.

CAPVT VIII.

Virtutes eius, & consuetudo familiaris.

QVia etiam Romæ virtutibus ac morum innocentiâ Bellarminus, quàm doctrinâ clarior vixit, nequit hæc pars à me præteriri; præsertim, quoniam ea quæ dicam, multis norma Religiosi moris esse poterunt. Studia eius potissima erant, custodiæ cordis non indormire, sibique iterare illud: ***Ad quid venisti?*** Prætereà cauere, ne vel vestigium poneret, tamquam non adesset Deus: sed & pauidum esse dumtaxat, si non impleret oculos eius. Et origo hæc fuit in ipso illius casti timoris, qui nec pectus in angustias premit, & noxas ab animâ expungit omnes; inserens cordi sensum amoris venerabundi, qui symbolum est ac nota filiorum Dei. Non ipse aspectui consulere spretâ conscientiâ; sed vbicumque demum ageret, arbitrari, Cælitum se in theatro constitutum viuere. Item, quia norat, altam animi pacem tum possideri, quando voluntas ab eorum non recedit nutibus,

ex quorum vicario ore nobis imperat Deus; idcircò cunctationem seruilem, statim exequi regium ducens, eis dicto citiùs obtemperabat.

Plura de hac virtute narraui aliàs: rem nihilominùs addam, quæ permagno debeat æstimari; & est custodia perennis legum illarum omnium, quibus Religio quasi suis compagibus cohæret. Nam fuit inuentus nemo, qui de Roberto referret semel, eum legem è quàm minimis vel vnam neglexisse. Imò affirmant potiùs omnes, vixisse instar Nouitij, cui flos virtutis primus numquam inaruisset. Reuersus aliquando è Tusculano secessu, vestibulo in ipso Collegij audiuit pulsu consueto vocari ad mensam omnes; erat verò pro eo die ipse, iuxta morem communem Societati vniuersæ, conscriptus inter Coqui administros, vt lances elueret. Ergo, tametsi potuisset interpretari, è Collegij Moderatoribus neminem fore, qui se ad intempestiuum ministerium exigeret, adhuc recenti itinere pedestri fatigatum atque anhelum: nihilominùs cubiculum nec à limine salutauit, & rectà contulit se ad abiecti operis locum; veluti venerans diem, in quo vilis labor ei parere illustre meritum potuisset.

Non ei suberat cura minor circa paupertatem; quâ Magistrâ stare Religionis disciplinam

nam satis intelligebat. Distinguebat in eâ propterea interdum voce, sæpiùs re & effectis finem, & vim ipsam naturamque; vt qui non interpretando, sibi leges aptas faceret, sed suos potiùs mores ad eas accommodaret. Sic autem differebat: *Vt quis huius Religiosi voti custos sit, videtur satis, si ex rebus, quas vtendas accipit, nullâ fruatur perinde ac si propria foret. At consideranti, cur diues rerum omnium & diuitiarum Conditor Deus exuerit se ijs ad paupertatem vsque, cùm à regalibus sedibus Patris venit Omnipotens Sermo, vt in hac virtute nos erudiret, facile sit intelligere, in cordis puritate eius perfectionem sitam esse; ita vt cor mundi exoneretur grauibus exuuijs, quò promptè ad Deum emigret; reddaturq; simillimum orbitæ, quæ vix humum tangit, & ideò gyratione facili versatur in partem omnem. Hoc pacto enim Religiosus cum Apostolo dicere poterit: Quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ sunt priora, extendens me ipsum ad destinatum, persequor ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu.* Eam verò fuisse causam existimabat, cur noster sanctus Legislator, dum præscriberet modum his quibus necesse habemus vitæ in momenta deficientis reparare quotidianas & perpetuas ruinas, vetuerit ne res, tamquam si essent priuati fundi, vsurparemus, aut appellatione nostras vocaremus; adeò vt ne scripta

quidem

quidem ſtudiorum exceperit, vel ſymbola pietatis,& libellos de cultu animæ, quos obedientia permittit: quippe cùm hæc, & quæcumque ſpectant ad veſtitum, & ad vitæ cęterum vſum, præceperit tamquam communia poſſideri; qui modus ſuſtinendæ paupertatis eſt perfectione optimus. Nihilominùs addebat, in hoc ipſo gradu virtutis, adhuc diſtingui poſſe inæquales laudes: Qui perfectiores ſunt, eos penes ſe attinere quàm pauciſſima, & quàm poſſunt minima; vſque eò, vt ne in libello quidem quotidianarum precum pias icunculas pro indicibus paginarum interpoſitas habeant. Imò, ſi fieri poſſet, ſcriptis propriis vellent carere; vt meliùs exprimerent exemplum dicentis: *Vulpes foueas habent, & volucres Cæli nidum, filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* In quo noſtris laicis Adiutoribus piè inuidere ſe aiebat: nam hi, quia ſcriptis & libris minimè indigent, perfectiùs paupertatis Magiſtrum Chriſtum Seruatorem imitatione referunt, cui (quippe Sapientiæ Æternæ, legenti in ſe quæ vellet) non erant neceſſarij codices & paginæ, dura neceſſitas humanæ mentis.

Hæc ſtudia ſermonibus ſuis optimus Magiſter ſolebat exſuſcitare in animis ſociorum: ſed numquam verbis ita magnificus hortator, quin plus etiam factis oſtenderet. In habitu

bitu nihil paſſus rarum & notabile: in cubiculo habuit modica omnia, & ſuperfluens nihil; fuitque in eâ parte tam accuratus, vt videretur aliquibus ducere religioni nimia. Locum quem aptaret ad preces, ornabat imagine è vulgari aliquâ formâ. Cùm Moderator factus Pœnitentiarij Collegij ad Diuum Petrum, eò ſe primùm contulit, tum à Patre Decio Striuerio, Inſpectore eius Domicilij, ſciſcitatus eſt, an imago Virginis Genitricis, picta ſuper telam, quam is qui anteceſſerat Rector in loco ad preces diſpoſito reliquerat, etſi tenuis operæ illa foret, paupertati parum accõmoda videretur. Attinebat apud ſe tantùm pauculos libellos neceſſarij vſus; atque ex ijs referebat ſæpè ad Bibliothecarium aliquos diuidendos ijs, quibus eorum ſuberat aut neceſſitas aut deſiderium maius. Aliquando cùm (vt more fit in Romano Collegio) ad Præpoſiti manus quique abdicarent ſe rebus quæ ſuperſunt, reperit Bellarminus apud ſe nihil, quo poſſet carere, præter Reliquiarum thecam, & illam obtulit. Præpoſitus eam iuſſit referri; ſed Bellarminus non admiſit, cùm diceret, nolle ſe quidquam ex ijs, quibus ſponte aliquando caruiſſet.

Neque ſubditus modò ita conſueuit, ſed etiam cùm imperauit aliis: quo tempore ſtudio paupertatis eò euaſerat, vt nec pias res & reli-

religioſas colligeret alijs diſtribuendas ; reſpondebatque petentibus, ſe, cùm nihil haberet, ab eâ lege liberum eſſe, vt aliis quidquam daret : quam item ob cauſam vetuerat, ne ab externis, quæ eſſent eius generis, noſtri flagitarent. Miſerat ei, dum iam eſſet in Purpurâ, Religioſus vir Neapoli ampullulas ſacri laticis, qui è ſancti Nicolai genu perennat, ac circa valetudines eſt miræ virtutis. Ipſe homini egit gratias, ſed conſilium addidit, talia ne deinceps apud ſe haberet. Decere enim Religioſos viros iis priuari, aiebat ; vel ideò, vt occaſio aliis ea tribuendi ſubtrahatur.

Ad hæc nullus fuit tam occupatus dies, qui ei exercitia præſcripta contemplandi ſupplicandique, aut adimeret, aut minueret: ad quæ accedebat cum apparatu animæ; & hauriebat idcircò liquidas ex eis voluptates. Libros pios euoluebat frequenter, habebatque in deliciis Sanctorum vitas, præſertim ſancti Franciſci, quam S. Bonauentura compoſuit: & ſicut erga eum afficiebatur plurimùm, ita de illo crebros miſcebat ſermones, & ſæpè in Arâ illi dedicatâ Deo perlitabat. Oblectabatur etiam vitâ S. Catharinæ Senenſis, & B. Catharinæ Genuenſis, propter ſenſus animi ſublimes, quos communicauerat illis Deus. Sed liber quotidianarum paginarum erat ei Thomæ à Kempis diuinum Opuſcu-

lum de Imitatione Christi: de quo in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, *Ego*, inquit, *ab adolescentiâ meâ, & vsque ad senectam, hoc Opusculum sæpissimè volui & reuolui, & semper mihi nouum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo sapit.*

Mens ita plena Deo non poterat, quin colloquia semper pia profunderet; sed aperiebat cordis copiam ratione ita simplici ac dulci, vt sociorum aures oblectaret mirificè. Cùm à mensâ ad Ægros in Valetudinarium ibat consolandi eos causâ, sermo erat de re aliâ nullâ, quàm de Piorum in Cælo sedibus. Et, *Quàm erit iucunda res*, aiebat, *illorum interesse gaudiis, quibus patuit aditus ad vitam in Cælo bonis omnibus circumfluentem! Quàm erit pulchrum intueri, triumphantes acies illas, cum earum Conditoribus ac Ducibus, Benedicto, Dominico, Francisco, & aliis, quibus concessa ibidem vota & gaudia felicium! Quàm sincera & stabilis voluptas, cum sociis illis fortunatissimis vitam ducere, si in terris recreamur adeò, dum nos inter nos viuimus! Certò scimus, Collegium magnum & frequens eorum, qui pridem hîc nobiscum vnà vixerunt, indueruntq; lacernas istas, nunc* IGNATIO *Parenti dulcissimos comites adesse cum Christo; lucis amiculo candidos, splendentes gloriâ; & victrices manus palmis decorare, quibus non laborant,*

rant, nec insudant ampliùs alienæ vtilitati. Siquidem ibi triumphant, vbi negotium eorum est, felicißimum illud otium Deo laudes modulandi, ac vbi perpetuò viuent, à sæculo ad sæculum, procul à fatigatione, procul à satietate; quia Deum, quem diligunt, libenter ac sine labore laudant & contemplantur. Addebat intereà: *Si quotquot viuimus in hoc Domicilio, Sancti omnes euaderemus, & vnus quidem Augustinus, alter Basilius, Hieronymus, Bernardus; nónne hîc Cælum esset? Et quæ demum impediunt, ne diuinæ gratiæ obsecundanti animum demus, futuri persimiles his, quorum adeò nos mores delectant? Cur, quæ est Beatorum in Cælo sedes & conditio, illam non auidè sectamur?* Hæc tum ipse. Solent haud dubiè sermones honesti, si lepôre aliquo condiantur, animum arguere à virtute præparatum. Adnectam itaque huic loco, de Bellarmini hac etiam laude, aliquid. Primò consuetudinem ei nonnisi cum Viris insignitè piis fuisse, vt cetera sileam, indicant litteræ ipsius ad Ioannem Marianam è Societate nostrâ, qui librum ei dedicarat. Ansam enim inde arripiens actum tempus recensendi, cùm in Romano Collegio vnà studuere; *Equidem ignoro*, inquit, *an plus debeam eo nomine, quod mihi librum dedicaueris; an verò, quia memoraueris iucundè antiquos socios, qui vixêre vnà*

nobiſcum, fermè annis abhinc ſexaginta, & ex quibus iam ſuperant duo, P. Iacobus Crucius, & P. Bernardinus Caſtorius. Nihilominùs, tam ob Operis dedicationem, quàm ob recordationem fratrum noſtrorum, qui è viuis exceſſere, quoniam fuit vtrique noſtrûm iucundiſſima, Deo gratias referamus, qui fratres nobis tam probos dedit. Quamquam ſum ego te aliquantò felicior, cui licuit frui conſortio B. Aloyſij Gonzagæ, integerrimi ſanctiſſimiq; iuuenis.

Hoc cauebat præterea, vt ſuis ſermonibus ſonus culpæ interſtreperet numquam. Adſerebat ſæpè ipſe materiam ſermonis curioſam iuxtà atque perutilem, de quâ omnes in vicem dicerent, haud ſecùs quàm de conſiliis animæ conferri ſoleat, in cœtu plurium virtute ſociatorum. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Sanctorumque Vitæ, quas narrabat, ex eius ore candido ſimplicique referebant vim neſcio quam grati motus, qui ad imitationem ſenſim animos alliciebat. Ad hæc inferens ſe in circulos, ſi tempori aptum iudicaſſet, ſpatio ad cogitandum dato, inuitabat ſingulos, vt proderent ipſi & prædicarent, ſi quæ omiſerant, commiſerántve; ratus eâ ſignificatione nihil efficacius ad ſui victoriam eſſe; & ſimul prudens, vitia nuſquam meliùs deponi, quam illîc, vbi vitia nemo ridet. Id cùm ſemel ſortitò ei obtigiſſet, ignorauit

mens

mens eius innocens noxam aliam, vt eam renuntiaret de se, quàm quòd, vt aiebat, sibi persuasio interdum fieret, se in suis precibus ad Deum apprimè pium esse, cùm tamen haud ita foret: in quo satis magnam visus est sui cordis nudare puritatem.

Hos ita salubres sermones, ne satietate afficerent, condire solitus erat salibus ac iocis, & mirâ varietate, Vir sicut ad cetera egregius, ita à comitate, quæ sine vitio esset, non auersus. Nihil eum remissè vel seriò agentem dehonestabat; in ore lenitas & risus decens, in fronte blandientes oculi, vultus denique totus ad charitatem compositus erat. Exinde vsque adeò laudabatur à cunctis & amabatur, vt inuenti sint haud ita pauci; qui, dum occasio ferret aliquò eundi, vel cum incommodo proprio studuerint ei comites esse; quò haurire possent in viâ ipsius alacritatem, & tanti animi spiritum: nemoque aut tristis aut languens reuertebatur. Vicissim ipse inamœnus numquam, subseruire singulis per se studebat, & per res etiam quas vtendas haberet, si esse aliis vsui possent; atque id efficiebat alacritate summâ, & vt plurimùm non rogatus. Perito Musices plurima in compositis Canticis erat voluptas, & hoc existimauit exercitij iucundum quoddam genus, ac viris Religiosis aptum:

quia, dum illo à curis animus leuatur, exulant ab ore ita modulato sermones interim alij, quibus posset virtutis vigor remollescere, aut labefactari. Demum illud euitauit prudenter, ne facto læderet aut verbo quemquam. Propterea erga omnes modestè ac demissè agere; singularia quæ offerrentur abnuere; communi sorte contentus, etiam in mensâ, viuere: in quâ si afficientes cibi, & valetudini consentanei parùm, apponerentur; haud patiebatur sibi salubriores ministrari, quantumuis ex iis, qui more Collegij apparantur ad eos nutriendos, quibus valetudo improspera causæ est, vt communibus abstineant.

Artifex iam tantæ peritiæ, & clarus vsu tractandi animos Sociorum, par erat, vt Magister aliorum constitueretur. Præfectus itaque fuit sacris confessionibus eorum, qui in Romano Collegio alebantur; inter quos tunc Beatus Aloysius, & alij moribus cælestibus excelluere. Exercebat piis meditationibus pectora singulorum, hortabaturque omnes, vt penetrarent profundè tria illa, de quibus alibi: nempe quid exigat à nobis Deus; à Deo quid exigamus nos; & quæ res demum impedimento sint, ne eadem illa fiant. Præerat insuper domi, cùm priuatis concionibus, quibus præludunt muneri magno Religiosi, qui illic

illic instituuntur; tum prælectioni piæ super mensam, pro quâ coëgit in elenchum Auctores eos, qui apti sunt ad conuiuium animæ, dum corpori refectio datur. Erga eos qui veniebant è Religiosi Tyrocinij rudimentis, erat tam obsequiosus, tam venerans, vt ij propterea rubore suffunderentur; cùm illos interim ipse condocefaceret, nihil magis decere initia virtutis, quàm obseruantiæ obsequiiq; mores. Explanauit Laicis Adiutoribus, in vnaquaque hebdomade, Symboli capita, & Fidei præcipua documenta: idque tam à curâ egit, vt in codicem priùs referret, quæ esset dicturus. Hinc in eam perfectionem opus euasit, vt è Sacerdotibus plurimi, quæ dicebantur, exscriberent. Dein his explanationibus Bellarminus, tamquam materiâ dispositâ, vsus est, vt formaret communes Institutiones Christianæ Disciplinæ; quas posteà Clemens VIII. Pontifex imprimi mandauit. Adhortationibus domesticis etiam, quas habuit frequentes, tenuit habenas animorum; quos virtutis in partem omnem pariter cum oratione flectebat, hodieque Religiosus quidam affirmat (modò excipias diuinam gratiam) numquam expertum se motus & stimulos efficaciores, quibus ad progressus in virtute perpelleretur. Item ex Societatis Adiutoribus vnus excitatus à desidiâ, reuocatus-

quę est à spiritus vitiosâ libertate, in quam proiectus diu vixerat. Qui sæpiùs etiam ad Bellarminum reuersus, vt (quod euenire solet motis semel in religionem animis) prouheretur in maius, euasit facilè Collegij præcipuum adiumentum.

Denique haud imparatum inuenere vmquam, si qui adirent (adibant verò frequentissimi) vt consulerent circa res animæ. Quos excipiebat charitate plurimâ, vt cuiusque necessitas adhortaretur, sic moderans, & ad subtiliora hominis interni iudicia numquam hebes. Si quem turbaret commotio vehemens, incipiebat cum eo humaniter, & perinde atque cum ægro animo: & tum hæ ipsi fuerunt artes. Primùm aures dare, naturamque festinè odorari: pòst eius sensibus perspectis, oratione dulci delinire: postremò vbi in animum eius penitùs se dederat, salubribus consiliis pro re natâ curare, & reflectere ab ægrimoniâ; donec iam ad tranquilla redeuntem, & freni patientem, in partes virtutis flecteret incitaretque. Atque ita satis prudens, eum qui in eis offenderet, feruoris æstum spatio vanescere atque auferri; quod verò desideraretur consilij & virtutis, id maturescere paulatim, dum vitium interim cessaret; sapientissime affectos animos curabat. His qui liberalibus disciplinis iuuentutem imbue-

imbuerent, vel aliter incumberent in aliorum bonum, nihil magis quàm Christi Domini mansuetudinem suadebat; cùm sit ea virtus apta in primis animis promerendis, & peruincendis difficultatibus quibuscumque. Hoc pacto semper instructus consiliis optimis reperiebatur: & eum adibant pauidi, vt redirent fortes; incerti, ac dubiæ conscientiæ, vt religione animum exsoluerent; gelidi, vt fouerentur: neque quisquam erat, qui reuertens ab Oraculo illo, hæc non vsurparet: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur?* Sic sanando alios, in quibus ægrotarent artes animi, partem interni sui ornatus nobis intereà patefecit: in quem tamen haud poterat ferri penitùs cognitio; adeò ipse obscurum esse cupiebat thesaurum virtutis, quem in animi sinu, & in arcanis custodiis cordis sui occultabat.

CAPVT IX.

Profectio eius in Gallias, iussu XISTI V. *Pontificis, vnà cum Cardinali Henrico Caietano Legato; ac de his quæ tum egit pro Ecclesiæ bono.*

DVm in Controuersiis scribendis priuatim Bellarminus contentione ac studio magno laboraret, euocatus est repentè pro

communibus rebus : & hæc occaſio fuit. Regnum Galliarum, ſublato Henrico Tertio Rege, collidebatur turbinibus ſæuis; inteſtinoque & hærente in ipſis viſceribus vrebatur bello. Diſceſſerat verò ea Nobiliſſima Natio in factiones duas; dum Vrbes & Populi magis ſine Domino, quàm cum libertate ſequerentur, alij partes Principum confœderatorum, alij partes Regis Nauarri. His grauibus ærumnis XISTVS V. Pontifex vt aliquo modo occurreret, decreuit è ſacro Senatu Purpuratorum Legatum eò mittere, qui auctoritate, prudentiâ, &, cùm opus foret, ſumptibus etiam ſuſtentaret iura Catholicorum. Ad id verò muneris, quod ita magnum ac pertinens erat, Henricum Caietanum Cardinalem S. R. E. Camerarium deſignauit, Virum ſanguinis luce, familiæ gloriâ, ſumptibuſque prælautum atque magnificum; & qui intelligentiâ rerū, iudicio ac magnimitate inter primos Purpuratorum erat. Princeps ita prouidens, videbatur nihil poſſe deſiderare in Legatione illâ, niſi Conſiliarium, cui fides Catholica inniteretur; ſi de rebus ſpectantibus ad eam eueniret fortè, vt agi tum oporteret. Super hoc tamen haud haberi varians delectus potuit; dum Bellarminus viueret in oculis Vrbis, vir excellentiâ doctrinæ præ cunctis clarus. Iuſſus ergo à Pontifice cum Legato in

Gallias

Gallias ire, debuit interrumpere ſeriem ſtudiorum ſuorum. In quibus etſi continuatio plurimùm efficax eſt, nihilominùs tulit hoc ſapienter; ratus haud pulchrius eſſe, doctrinæ labores Sedis Apoſtolicæ causâ ſuſceptos, eâdem iubente proſequi, quàm intermittere. Propter Libros primos Controuerſiarũ erat iam Bellarmini celebre nomen trans Alpes; itaque (vti percrebuerat, in eas regiones ipſum aduentare) cùm Vrbes Galliæ attingeret Legatus, admirationi erat conferta multitudo, quæ Bellarmini limen requirebat; vt hominem in Ciuitatibus ſuis auditum, famâque notum, vultu etiam agnoſceret. Sed quæ ceperat omnes fama Viri, ſubſtituerat etiam animo ſpeciem corporis amplam atque magnificam. Quare cùm eum deinde aſpexere aliqui ſtaturâ minore, famæque diſſimilem, (eminebat enim, non corporis ſpecie, ſed virtutis ac doctrinæ magnitudine, quâ vnâ æquari non poterat) ſententiam ferè oculi mutârunt; vt eſt vitium commune mortalium, homines ſpecie vultuque æſtimari. Ad hæc vis eius mitis & demiſſa in agendo loquendoque; non ea nimirum, ad quam, inducti prædicatione laudis eius, atque auctoritate grandia & ſublimia pronuntiantis: mores item faciles, & ſine faſtu aut ſupercilio, cauſæ erant, vt qui eum metirentur

tur corporis mole, non gloriæ, dicerent inuicem: Ergóne Bellarminus hic est! At verò alij cum eo congressi, postquam audiuere disserentem, cœpere magis præsentem venerari. Atque ita, tametsi aspectu appareret minor laude suâ, & in formâ exteriore ad famam nihil esset adiumenti; ne hæc famam extinguerent, vis & meritum impediuere.

Hos inter plausus & obsequia, difficultates non defuere atque discrimina, cùm Gallias propiùs penetrarunt. Sparsi vndique hostes formidini erant: recentes cædes multorum proponebantur; insidiæ, & fraudes; vt neque securitas esset ab iis, qui se amicos venditarent. Sed clarum periculum inprimis, Diuioni, dum prætergredi vellent, euitarunt. Legato nihil magis erat in votis, quàm vt Lutetiam Parisiorum quantocyùs perueniret; & vt Ciuitatis, quæ est Regni caput, constantiam & fidem posset tueri. Dum ergo in eâ est deliberatione, rumor spargitur, legiones haud multùm abesse; hostemque abditum in siluis, Legato struere insidias, vt improuidum opprimeret. Hæc fama ab aliquibus vera, ab aliquibus mendax habebatur; nec certi quidquam intelligi poterat. Ergo iuere multi in eam sententiam, ne iter continuaretur: quia suberat metus insidiarum; quia viæ ducem amiserant, sine quo deerrassent, dubiis

præ-

præſertim itineribus; demum, quia erant militis cuſtodiâ, in tanto hoſtis vicini periculo, deſtituti. Alij, hæc omnia dici metu interprete, & ideò aut falſa eſſe, aut maiora vero, arbitrabantur. Legatus proinde conſilia priorum aſpernatus, de itinere deliberaſſet, niſi Dei prouidentia aliter diſpoſuiſſet.

Peractâ re Diuinâ, in quâ Deo Legatus negotium commendauerat, cùm diu hæreret, incertus pergere an morari præſtaret; denique vtrumque conſilium ſic æſtimauit, vt quantum alteri deeſſe animi, tantum alteri ſupereſſe, diceret. Et fortaſſe viciſſet pars, quæ videri poterat maioris animi quàm conſilij, niſi iniecta mens Legato fuiſſet, vt ſyngraphas duas ſacrum in calicem coniiceret, ſcriberetque in alterâ *Eundum*, in alterâ *Non eundum*. Etenim ſorte exiit ſyngrapha, quæ fuit auctor non eundi; & Legatus paruit monenti Deo. Viſum verò eſt id conſilium, non pietate religioſius, quàm euentu felicius. Interceptis quippe itineribus, vim hoſtium non euaſiſſent; & tum Dynaſtes Temineſius, qui copiis ſuis proximum locum inſederat, comprehendiſſet omnes. Redditus periculo cautior Legatus, armatos homines ad ſe deducendum tuendumque, vti eos Lotharingiæ Dux promiſerat, & viæ ducem probum ac fidum admiſit. Quare, vbi adfuit Dynaſtes

S.Pauli

S. Pauli cum milite Lotharingo, tametsi eâ nocte, hostiliter ac dolo subditis ignibus, stabulum cum equis eius conflagrasset, nihilominùs nouis iumentis celerrimè conductis, maturauit proficisci; & quàm maximis potuit itineribus Lutetiam venit: eam vrbem ingressus XIII. Kal. Februarij, anno M.D.XC. omnibus Ordinibus obuiàm effusis; mansitque vsque ad Septembrem ineuntem.

Dum hîc Legatus sedare illius perturbati Regni grauissimas simultates, & librare iura ferè Principum omnium conabatur, ad quos Bellum pertineret; Bellarminus hoc habuit stabile ac præcipuum, vt à Pontificis voluntate, & à Præpositi Generalis instructione non recederet. Etenim, vt hi seuerè monuerant, à politicis tractationibus, tamquam profanis & alienis, perpetuò abstinuit.

Aliquando, dum Legatus ea consilia in priuato agitaret, quæ seducta vellet à plurium conscientiâ, vnà cum viris aliis integritatis & doctrinæ famâ claris, Bellarminum etiam accersiuit. Is audiuit attentè initio, quæ proponebantur; ac post è circulo, in quo ceteri cum Legato erant deliberabundi, pedem lentè referens ad loci angulum secessit. Legatus monuit, accederet, vt ex propinquo audiret; nam ab eo sententiam optabat. Tum Bellarminus, eâ libertate sermonis & candore

re

re quem habuit perpetuum, missum in Gallias se tantummodò ad tractanda ea dixit, quæ Religioni, non quæ carni & sanguini prospicerent, (agitabantur enim iura Principum quorumdam) darent roganti proinde veniam, ne adesset. Responsio hæc Legatum & Consiliarios adeò non offendit, vt traxerit potiùs omnes in admirationem virtutis: hodieque magnus quidam Præses Senatus Parisiensis, nomine Seguerius, qui tum intererat, propterea Bellarminum à se in summâ veneratione habitum deinceps, affirmat.

Copiam de se tamen haud negauit, sicubi super incerta conscientiæ, vel super obscura Fidei rogaretur. Quoties verò incideret sermo circa electionem Regis, ipse tum silere; vel tantum addere, optandum esse, vt Rex eligeretur, qui induceret in Gallias Concilium Tridentinum; quoniam ea sola res parere poterat constantem pacem: cùm cetera illius Regni adiumenta sedandæ inundationi turbinum illorum paria non viderentur.

Inter pericula maiora, quibus tum defungi Christiana Religio debuit, præcipuum fuit propensio quædam ad schisma. Etenim Episcopi multi & Præsules eius Regni, inducti studio inconsulto, & secuti partes Principum diuersas, dissiparunt, conuocandum esse Concilium in Vrbe Turonensi; in eoque

metui

metui posse, ne Patriarcha vnus eligeretur, qui negaret Sedi Apostolicæ obsequij reuerentiam. Anxius animi Legatus, & veritus ne res ea ad Ecclesiæ totius perniciem manaret; præter remedia plura quæ excogitauit, iniunxit Bellarmino, vt Epistolam scriberet ad vniuersos Antistites Regni. Ostendebat in eâ Legatus, ab ægris medicamenta eligi non debere; atque id potestatis habere neminem, vt indiceret Concilium Nationis, dum in Regno Legatus Sedis Apostolicæ morabatur; cuius sanctæ Sedis munus est, de iis decernere, quæ ad Fidem Catholicam, & quæ ad Ecclesiæ regimen spectant. Ad hæc in eadem Epistolâ, Legatus, cuius nomine illa scribebatur, intentans eis excommunicationes, edixit fore, vt Censuris grauissimis impliciti Sacerdotiis caderent, essetque eis interdictum sacrificiis, Templis, & cœtibus piorum, si Turoni vel vspiam conuenirent, deliberaturi circa Religionem, ac Deum. Sed, vt Numini placuit, cunctorum versæ aliò curæ; obnitentibus etiam Viris magnæ auctoritatis, vt ea consilia vanescerent.

Non hæc tantùm agere Sedis Apostolicæ causâ, sed & fortia pati Bellarminus debuit; præsertim dum Rex Nauarræ instare tormentis, mœnia quatere, ingressum tentare, Vrbemque obsidere cœpit; assultante per

campos

campos equite, & castris ita positis, vt essent interseptæ viæ omnes ad commeatum. Nec aliàs magis anxia & pauens ob incommoda belli, & famem ingrauescentem, Ciuitas Parisiensis fuit. Et tum Bellarminus sustinuit exempla necessitatis omnia: etenim fames tantùm non ad humanos cibos adegit: quos si excipias, canibus, & carne pecudum immundissimorum, vesci ciues necesse habuerunt; ita, vt vix ea coëmere, & impetrare pretio possent. Certè Legatus Hispani Regis, tum ad alios, tum ad Collegium nostrum, partem equi sui transmisit; rem dictu paruam, ceterùm inopia fecerat argumentum ingens charitatis. Olera, stirpium radices, internataque saxis germina, & si quid vlla felix arbor aut tellus dederat; soleas item, calceosque, & lora equorum atque habenas, iam abederant: & nihil tam sordidum fuit, in quod ventris ira non desæuierit. Quæ incommoda nequiuisset diu Ciuitas ea tam frequens tolerare, & hæc damna cumulasset furor eorum qui ex fame extabescebant; nisi auctoritas Legati, conciones Religiosissimorum hominum, diuitum largitiones, & præsertim Virginis Deiparæ patrocinium, cui votis publicè nuncupatis fuerat instructa supplicatio, subsidium attulissent. Bellarminus intereà preces Deo fundere, orare me-

liora, addereque ſponte obitas corporis aſperitates, atque in communi ieiunio pati adhuc afflictiorem famem; quò Deus iram ſedaret, & reprehenderet diſtrictum enſem, qui ſuper Chriſtianiſſimum Regnum, perturbatum prauis conſiliis Hæreticorum, pendêre videbatur. Multa verò cœpit eum commiſeratio militum, quibus aut dandus aut hauriendus eſt ſanguis; & quibus duræ hiemes tolerandæ ſunt, atque æſtates anhelæ. His enim etſi benè eſſe diceret, ſi causâ Religionis dimicent, & nouiſſimum ſpiritum per pietatem effundant; mœrore tamen afficiebatur, cùm flagitia aliquorum audiret, aut etiam aſpiceret. Habet hoc epiſtola, quam ad Maximilianum Ducem Bauariæ poſteà dedit, occaſione Bohemici belli; fermè in hæc verba: *Tangit me*, inquit, *commiſeratio ingens erga milites, & quotidie Deum oro, vt det illis, aut innocentiam, aut maturam pœnitentiam: quoniam iis mortem, quam mortalitas effugere non poteſt, militia etiam properè accerſit. Pluribus interfui prœliis, neque rem incognitam loquor, puer in Italiâ, iuuenis in Belgio, & in Galliis maturus vir; vbi cladem inſpexi eorum qui necabantur, obſidiones toleraui, ſuſtinui annonæ, ac famis extremam penuriam. Flagitia ſileo, quæ neceſſe interdum habui oculis intueri, aut de quibus audiui ex ore illo-*

illorum, qui paulò pòst cæsi, ad gehennæ cruciamenta, & horrenda ignibus loca prius deturbati sunt, quàm de disponendâ morte possent statuere: prorsus homines, qui paucis assibus animam & vitam æstimant; velut vltimi discriminis, in quo salus æterna vertitur, essent penitùs obliti. Proinde Duces illos atque Imperatores suspicere soleo, qui verbis & exemplis milites suos condocefaciunt; vt quoties in expeditionem mittendi sunt, Confessionis & Eucharistiæ Sacramentis sese muniant: & qui prohibent, ne occasione militiæ, in consuetudinem veniant licentiæ, ex quâ sensim Christianum nomen ac disciplinam dediscant. Etenim hoc pacto, haud eis malè cedet, dum pro tutelâ Religionis necesse habuerint vel perimere vel perire. Sic ipse: atque hæc Bellarminus sustinuit, donec magno cum exercitu ad liberandam Vrbem venit Alexander Farnesius, Dux magnitudine animi ac felicitate bellandi Magno Alexandro, sed sobrio, nec temerario, simillimus. Hæc eadem incommoda Legatus tulisset alacriùs, si ab Vrbe Româ ei magis grata rescripsissent. Pontifex enim, cùm res cederet aliter atque initio sperauerat, præsertim post conflictum Ducis Mœnii, haud satis probauit, Legatum Lutetiæ sedem suam habuisse; ratus ministro Patris Vniuersalis loca media magis esse idonea, ne in alteram partem vi-

 dere-

deretur inclinare. Et quia hæc mutatio consiliorum Romæ facta à Legato ignorabatur, habebaturque tantùm pro re compertâ, Pontificem ea quæ fierent non probare; ideò ipse specie aliquâ honestâ imponere finem Legationi suæ optabat. Loquebatur verò cum Bellarmino sæpè, de necessitate agendi quæ egerat; & iis in alloquiis mirum fuit, quoties Legatus peteret, quamdiu superstes futurus Pontifex crederetur, toties Bellarminum respondisse, excessurum eum è viuis illo ipsomet anno: nec Lutetiæ modò, sed in itinere quoque id prædixerat. Quamquam Legatus fidem non præstaret, reputans, quàm prospera in Pontifice esset valetudo. Quin imò postquam Romæ Pontifex defecit, Bellarminus Lutetiæ vulgauit obitum eius; cùm de eâ re suppeterent indicia nulla, vt suo loco narrabitur.

Interim ineunte Septembri mense, Legatus certior factus de funere Pontificis, & nactus occasionem Legationis terminandæ, magnis itineribus ad noua Comitia rediit. Sed itineris inchoati lætitiam turbauit ægritudo, quam contraxit Bellarminus Metis. Grassabatur in Vrbe illâ infimis intestinis accepta lues, morbusque ex profluuio ventris periculosus & letalis: ex quo contagio erant ibidem multæ lugubres domus. Vix eò Cardina-

dinalis venerat, cùm Bellarminus tempore Autumni, & menſe naturâ graui, ac præcipuè loci vitio, correptus eſt ſimili ægritudine, ac febri adeò ſæuâ, vt vires in ipſo, & ſomnus, ſtomacho alimenta hauſtuſque omnes faſtidiente, deficerent. Quæ tum patiebatur ipſe, videbantur familiæ totius commune malum; ac nullus erat, quem illa non tangerent. Sed affligebatur ante alios Cardinalis; quem ex diutinâ intimâque familiaritate maior admiratio ceperat Viri: & qui vni ſibi creditum pignus illud fuiſſe, mœrens conſiderabat. Cùm verò coniicere ſatis nequiret, vtrum conſilium minus haberet diſcriminis; nempe ægrum deducere, an potiùs, dum morbi vis remitteret, Metis relinquere; Deus ſic omnia ſuauiter diſpoſuit, vt Cardinalis inde ipſum eueheret. Proinde lecticam propriam aptari mandat, ita vt in eâ poſſet velut in lectulo cubare. Æger Bellarminus, qui ſe à Cardinali pro poteſtate regi ſinebat, æquè fortis in ſuſcipiendis ac ferendis incommodis, dum aut victâ aut diſſimulatâ morbi acerbitate lætus pergeret, vix regionem afficientem egreſſus fuerat, cùm à contagio conualuit; & partim ſedens, partim cubans, intra dies octo ad vires priſtinas reuertit.

Baſileam vrbem Hæreticorum prætergredi opus fuit, quoniam itineris ita ordo poſceret;

ret; & vix eâ excesserant, cùm rumor dissipatus est, fuisse inter Cardinalis Legati Asseclas & comites Robertum Bellarminum. Ægerrimè tulit populus, vel non visum vel non agnitum à se virum, quem optasset quasi pompam illac ire; incertum, vt honore, an vt contumeliis eum exciperet. Certè omnes auebant visere, quis ille esset, qui tot & tam grandibus Voluminibus suas ipsorum vires spreuisset; eamdem virtutem admiraturi, cui irascebantur. Nec dubitem, quin si colloqui datum esset, profuisset ad animæ frugem; siquidem quacumque incessit, reliquit vestigia virtutis, quæ Hæreticis spectaculo, & Catholicis exemplo fuerũt. Tandem inter hostium terrores, & discrimina varia, III. Idus Nouembris Vrbem Romam intrarunt sospites omnes; secutæque sunt gratulationes ac salutationes lætissimæ: & Bellarminus reperit dulcissimos Socios, qui ipsum opperiebantur, & à quibus Societatis more per amplexus, arctissimæ beneuolentiæ indices, exceptus fuit.

Romæ haud vixit diu expers noui laboris: cùm enim recognosci & iterùm edi Biblia Xisti V. deberent, propter errata, quæ editione primâ in codicem irrepserant (quod & Xistvs ipse destinauerat agere, fecissetque, nisi mors impediuisset) Gregorivs XIV. qui

qui fuerat ab VRBANO VII. proximus ad Pontificatum euectus, mandauerat coram se Conuentum agi, in quo præscriberetur modus eius recognitionis; cùm id tantoperè Sacra Tridentina Synodus D. Petri Successoribus commendet. In eo primùm auditæ sententiæ, & pòst Bellarmini consilium omnes approbarunt; qui meditationi aliquot doctissimorum hominum relinqui posse dixit, deintegro ea repurgare, conferendo ad antiquas editiones, & ad manuscripta exemplaria, tum Græcorum, tum Latinorum, & ad Commentarios Patrum: quò ita XISTI V. emendatio talis esset, qualem ipse optauerat, & haberet numeros perfectionis, qui Opus cæleste deceant. Huius consilij exequendi causâ contulerunt se in Ædes Marci Antonij Columnæ Cardinalis; qui aderat, & vnà etiam Cardinalis Gulielmus Alanus, Magister sacri Palatij, Robertus Bellarminus, atq; alij quatuor. Hi verò sacras paginas studio atque industriâ suâ reddidêre Ecclesiæ eâ formâ, quâ nunc habent, prælo datæ initio Pontificatus CLEMENTIS VIII. In opere obeundo fuit Bellarmini præcipuus labor, & in eum quoque sententiæ redibant omnium: siquidem Collegæ eius experimento didicerant, instar oraculi haberi posse, quæcumque ipse suggereret. Præfationem item composuit, quæ an-

te eadem XISTI V. Biblia hodieq; impressa legitur. Atque ita Bellarminus varietate linguarum S.Hieronymo simillimus, ab eo ne discrepauit quidem, in recognitione Sacrorum librorum; quos pariter vindicauit atque restituit. Eorumdem Sacrorum librorum pollicebatur absolutissimos Commentarios, si spatio decennij feriari ab occupationibus aliis potuisset, vt daret se illorum assiduæ meditationi: quod P. Claudium Aquauiuam Generalem Præpositum rogauit; etsi tantum otij præstantia eius non impetrauit.

CAPVT X.

Præest, in Societate IESV, *Romano Collegio, & Neapolitanæ Prouinciæ.*

ANnos circiter duos & triginta Bellarminus sub aliorum regimine in Societate vixerat; cùm P. CLAVDIVS AQVAVIVA Generalis, implorato ad consilium Deo, & auditis assistentium suffragiis, Bellarminum Collegij Romani Præsidem nominauit. Quippe hominem iis moribus, & doctrinâ tam variâ, qui ingenium graue suauibus artibus miscuisset, admurmuratione secundâ posse regimen accipere, & fructu magno retinere arbitrabatur. Anno itaque M.D.XCIII. XV. Kalend. Ianuarij gubernationis initia posuit,

fuit, non ſine omnium gratulatione, ac ſpe certâ etiam, fore, vt cuius experti mores fuerant, huius prudentiâ ſuauiſſimè regerentur. Vnus ipſe in communi lætitiâ mœrebat; vt qui imperare magis poſſet, quàm vellet; cuperetque aliis poteſtatem, ſibi obſequij gloriam relinqui: cùm præſertim obuerſaretur animo ea cogitatio, haud eſſe onus leue illud, in quo poſſit propriæ ſalutis periculum adiri.

Verùm inſtructus hoc metu, non territus fuit; dum reputaret ad ſecuritatem facere, quod fuiſſet in eam deliberationem adductus alieno imperio, & non ſuffragio ſuo.

Ideò ſollicitudinem omnem referens in Deum, cœpit primò flagitare ab ipſo Sapientiam neceſſariam iis qui animas regunt. Deinde præſcriptas leges muneri ſuo perquam accuratè meditari, quò eas exequi, & comes eſſe Diuinæ Prouidentiæ, diſponentis cuncta ſuauiter, in regimine poſſet. Tum veteri more Collegij, publicè propoſuit adhortationis loco eam quam erat initurus gubernandi rationem; dederuntque materiam ſermonis illa: *Rectorem te poſuerunt; noli extolli: eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis, & non impedias muſicam.* In quâ adhortatione cunctis patefecit ſenſus animi ſui quàm demiſſiſſimi; profeſſus haud maioris pretij futurum ſe deinceps in

ſuimet æſtimatione, quàm fuiſſet anteà, minimi dum erat. Quippe cùm altè animis hæreret Chriſti Seruatoris exemplum; qui Magiſter & Dominus, moratus eſt inter Diſcipulos, tamquam eorum adminiſter & ſeruus. Prætereà, quoniam intelligeret præfici ſe partibus aliorum tantummodò ſubiectis ad regimen; adnixurum ſe promiſit, vt veluti Muſicæ Præſes, dirigeret, non perturbaret ipſorum munia; quò concinerent modulatè, & conſonarent omnia, nec abſurdi aut abſoni aliquid adſtreperet, in eâ tam præclarâ morum atque animorum harmoniâ. Hoc poſſe fieri putabat, ſi à minoribus Præpoſitis munia diuerſa ita proueniant, vt qui præeſt, inſtar attenti Moderatoris, non partes eorum procuret tranſigatque per ſe; ſed eas, veluti voces muſicorum, æquabiliter, & cum temperatione moderetur. Poſtremò enixè omnes rogauit, tum vt precibus propitium ſibi redderent communem Dominum, tum verò, vt ſi de vllâ re monitum ſe vellent, hoc agerent liberè; eſſentque eâ perſuaſione, non ad aliud ſe, quàm ad publicum eorum bonum adſpirare. Hoc tam impensè flagitauit, vt nemini dubium reliquerit, quin ea monita in optimam partem accepturus eſſet. Adiecit etiam, ſe magnis nominibus vnicuique obſtrictum fore; ſi ſcripto aut voce per ſe aut

per

per interpretem, interdiu aut quauis horâ noctis, eum commonefacerent. Quòd si coràm non auderent, fore leuissimum genus admonitionis dixit, traditionem syngraphæ, inscriptis iis, de quibus optarent ipsum commonefieri; quam syngrapham in cubiculo, aut ad limen eius relinquerent: & tum fore prorsus, vt suæ meditationi rem daret, exequereturque propitio Numine, quod consultius iudicaretur.

Non hæc sparsa ad auditorij animos promerendos fuerunt: nam sincerè & ex animo locutum, res postmodum affirmauit. Ex Rectoris defuncti cubiculo submouit icones pictas, pluteos & scrinia, tametsi modici operis; iussitque ad Æditui locum eadem adferri: adeò vt vtenda tantùm attinuerit ea, quæ communia essent Sociis reliquis, etiam vltimæ sortis; cupiens in paupertatis laude iis quoque exemplum præbere. In appellandis venerandisque singulis, modum quem pridem tenuerat, neque tunc demisit. Ideò aduentantibus assurgere aperto capite, nec pati stare in alloquiis quemquam cuiusuis conditionis, sed considere tecto capite. In communibus allocutionibus, siue ex destinato congressu, siue ex occursu fortuito, erat pristina affabilitas; mutuaque officia vsurpabat propè ex æquo; alloquendi verò causâ, nihil erat

erat necesse tempus aut molles aditus captare. Dum alij animi causâ spatium horarium ab vtrâque mensâ mutuo sermoni tribuerent, ipse in cubiculum se frequens referebat, vt qualibet adiissent horâ ab omnibus inueniretur; essetq; indigentibus remedium omnium momentorum: singulos verò, & excipiebat benignè, & patienter ad finem vsque sine interpellatione audiebat. Ibi quando solus, vti sæpè fiebat, morabatur, etiam tum aliarum inseruiebat commodis. Nam vt canere iucundè scienterque didicerat, exscribebat eo tempore aliquod Canticum; ac priùs illius pingebat notas, postmodum verba emodulanda subscribebat, eum ad finem, vt si in impressis exemplaribus incurrerent obscœnæ voces, quæ dulcedinem cãtus suâ fœditate inquinarent, transcriptis in exemplis subrogaret è suo ingenio voces alias, quæ aures religiosas decerent: ex eoque oriebatur, vt non tam vocis ille, quàm virtutis concentus redderetur. Atque ex his Canticis libri aliquot exstant adhuc in Romano Collegio, scripti manu eius. Siue quid ageret, siue loqueretur, erat ad amœnitatẽ compositus; vt ex vultu omnes facilè perspicerent cordis copiam, atque insitam erga singulos charitatem. Admirationi tamen fuit, consuetudine istâ tam suaui, & demissione tantâ non imminui

minui potuisse obsequium: nam internitens in eâ virtutis nescio quæ maiestas, & Christi Seruatoris imitatio, longè efficaciùs, quàm vis vlla imperiosior, prohibebat ne reuerentia excideret animis subditorum; efficiebatque, vt non violenter, sed quasi solent vmbrâ virgæ nobiles equi, omnes nutibus eius regerentur.

Contrà sicubi audiret aliquas noxas, tametsi leues, & ex iis quas patrare interdum in Religiosis Domiciliis etiam iusti solent, temperare à mœrore nequibat: tanto erat studio incensus erga publicam innocentiam. Proinde sanare, quæ essent huiusmodi; molliter tamen leniterque, vt manus medici vix æger sentiret. Crebrò in adhortationibus mores non optimos notare audiebatur; incitare omnes, ne rubiginem ac situm in animis contraherent; & eo sermonis adiumento, quasi cote singulorum acuere virtutem. Sæpè visus est, quæ haud laudabiliter fierent, recensere cum lacrymis; vt qui mallet, fletu redundanti, suorum maculas eluere, quàm eas acerbitate reprehensionis detergere; solitus simili comploratu supplicabundus Deo causas eiusmodi commendare. Pœnæ aliorum subscribebat numquam, nisi re anteà studiosè cognitâ; semperque relinquebat aurem alteram ad patrocinium Rei: quâ indu-

ſtriâ & vigilantiâ optimè virtutem in ſingulis formabat.

Quoniam etiam compererat diutino vſu, quo animos tractauerat, nihil magis iturum in perniciem Societatis, quàm ſi ſubditi eam conſuetudinem gubernandi deberent pati, quæ ipſos cum Præpoſitis ac Moderatoribus ingenio aperto eſſe non ſineret: ideò imaginem omnem politicæ, quam vocant, ſimulationis abominatus eſt; vti rem, quæ poteſtatem regendi alios, hoc eſt Deo vicariam operam, indigniſſimè profanat. Ventilare diſſidia, aut partes alere (quæ cùm ſcintillant, ſæpè excitant incendium charitati) deteſtatus eſt ſemper: ſuſpenſa item verba, vel perplexa de induſtriâ, incertumque ſermonem, & ceteras id genus locutiones, in quibus non ſe ſtatim proderet animus, vti barbaras artes, deuitauit. Munia Collegij cùm diſtribueret, æquabili lance exigebat ad examen rationis pondera meritorũ: & ſe ita purgabat ab omni priuatæ gratiæ ſuſpicione; nihil præ oculis niſi Deum habens, & publicam vtilitatem.

In diſponendis ſubditis, non aliud aduerſus querimonias æquè cenſuit prodeſſe, ac ſequi plerumque arbitria Conſiliariorum; quibus tam in hac parte, quàm in omni re libertatem ſuffragij reliquit, & poteſtatem proponendi quæ vellent. Denique in ipſo inueniebatur

batur cum prudentiâ serpentis par columbæ coniuncta simplicitas: vt extrema, in quibus vitium est, fugeret; & sectaretur, quæ delectarent communiter, ac prodessent.

Hæc inter studia, quibus tam sollicitè Moderatorem animæ agebat, haud habuit neglectui corporis necessitates. Singulis copiam eorum suppetere, quibus indigerent, iubebat; curabatque, quoad poterat, vt nihil habentibus nihil deesset: qui modus est optimus, vt qui præest, liberiùs à subditis disciplinæ laudem possit exigere: fuissetque ab ipso aucta victus ordinaria cōditio, quod & destinauerat initiò, nisi veritus esset, ne fortè laxaret terminos paupertatis. Etenim virtutis huius amantissimus, cupiebat sic necessaria cuique præberi, vt superuacaneis omnes carerent. Aliquando quia resciuerat, vnum ex Patribus Collegij, ceteroqui virum alicuius exceptionis, nescio quæ indumentorum genera in cubiculo attinere, nec eis indigerę tamen; mandauit in vestiarium ea referri, seruarīque, donec vtenda ille repeteret. Et pòst ad eum scripsit, qui valetudinis causâ in Tusculano erat, sic facto opus fuisse; ne si deesset muneri suo, deberent ambo coram Deo erubescere, alter quoniam ea penes se habuerat, alter quoniam habenda permiserat.

Illi verò suberat quidem persuasio, vestes

easdem

eaſdem eſſe neceſſarij vſus, propter valetudines quibus tentabatur: attamen nihil auſus eſt contradicere; maluitque vt ſibi de veſtitu, quàm de paupertate aliquid detraheretur.

Si cui ægritudo ingrueret, inuiſebat interdiu & noctu ſæpiùs; & quoties videret artis præſidia deficere, conſtans opinio fuit, eum cæleſtibus remediis multos reſtituiſſe. Marcellus Auguſtinus Societatis Sacerdos narrat, ſupplicem ſe, cùm ſtuderet iuuenis adhuc in Romano Collegio, à Bellarmino Rectore poſtulauiſſe; ne mitteretur denuò Præfectus iuuentutis ad Seminarium Romanum, cogeretúrve iterare ibi vitæ genus, quod valetudini ſuæ multum officere, aliàs expertus fuerat. Miſſus nihilominùs cauſam contraxit morbi ſanè ancipitis, ac diuturni; quo menſes duos conflictatus, ac demum extremis Eccleſiæ Sacramentis munitus fuit. In eo ſtatu repertus eſt quâdam die febri & omni tabe in venis extinctâ, breuique conualuit. Sanitatem hanc verò ipſe acceptam retulit precibus Rectoris ſui; quem viderat mœrere animi, & religioni ducere, quaſi eum ipſe in diſcrimen illud adduxiſſet. Idem refert, cùm aliàs æger neſcio quis Bellarminum rogaſſet, vt ſe luſtrali aquâ reſpergeret, legeretque S. Marci Euangelium, quod ægris ſaluti eſſe piè creditur, turbatum fuiſſe initiò eâ poſtulatione; &

dein

dein flexiſſe, tantùm vt rogari deſineret; præſertim vbi audiuit petitum id perinde à Sacerdotibus aliis: nam ceteroqui ipſius modeſtiæ grauis ea petitio videbatur. Tametſi verò haud induci poterat, vt fateretur ſuſcipi à ſe medendi curam; ſubdidit ioco interdum: Cùm ſemi-miracula putem aliquando feciſſe me; miracula tamen integra, quoad reminiſci poſſum, ego numquam edidi. Quod cùm ad occaſiones varias ſæpiùs luſerit; ego in re, quam ex ingenio quiſque ſuo poſſit interpretari, eorum opinionibus accedo, qui hoc ita intelligi volunt, vt ſemi-miracula gratias appellauerit: quas, ipsâ diſſimulatione miraculi miraculum augens, celare induſtriâ conabatur; ne in plauſus euaderent, ſanctimoniæque famam; & quas ad eum finem confuſè, vt non ſibi vni adſcriberentur, cum Sanctorum aliorum imploratione, & ſacrarum Reliquiarum vſu, conſequebatur.

Iam quia verſamur in eâ ſollicitudine, quam impendit, vt aliorum proſpiceret incolumitati, præterire non debeo, quæ in hac parte P. Hippolyto Margaruccio contigerunt. Is adoleſcens Bellarminum Collegij Rectorem, cùm Præpoſito Prouinciali eſſet à Conſiliis, allocutus erat; rogaueratque vt in Societatem Iesv admitteretur. Laudauit propoſitum Bellarminus, ſed non probauit ta-

men ingressum eius, si fieret eâ tempestate; nempe Vere ineunte. Dixit enim distinctè, mallem ad Septembrem vsque differres; nam tibi ab æstate metuo, quæ est Romæ insalubrior. Quòd si secùs egeris, aëris & æstus damna senties, morbisque implicaberis; ex quibus postmodum diu æger eris. Sic ipse: sed Iuuenis Religiosæ vitæ desideriis incitatus, dedit Societati nomen, ipso die Annuntiationis Deiparæ Virginis. Res verò habuit exitum, quem Bellarminus prædixerat. Nam ad x. Kalend. Augusti febri acutâ correptus Hippolytus decubuit; & breuî cùm spes vitæ nulla superesset, Cæleste viaticum sumpsit. Euasit periculum tamen; sed relictus est præcordiis ita vitiatis, vt ferè quid optima valetudo sit, in posterum ignorauerit.

Iam vt ad alia veniamus; in Romano Collegio, cui præerat, hoc etiam præcipuè cordi habuit, quò in dies magis studia, tum pietatis, tum artium optimarum, florerent in animis exercitæ iuuentutis. Professores percunctabatur sæpè de eiusmodi profectu; nec quidquam eis deesse subsidij ad labores perferendos patiebatur. Bibliothecam ædificauit laxiorem, illustrioremque; cùm iaceret anteà in angustò & obscuro loco. Exactor assiduus erat quotidianarum exercitationum, ne in desidiam diffluerent ingenia: cauebatque,

que,

que, ne opiniones ingruerent nouæ; cùm æstimaret esse periculosum, niti fallentibus ratiocinationibus: quæ etsi radium fictæ lucis vibrant, cùm ex ingenio viuido primùm emicant; progredientem animum destituunt tandem, & sępè à veritate deuium abducunt. Laudem contrà egregiam rebatur, si studerent omnes nouis potiùs rationibus Veterum opiniones, antiquitate ipsâ venerandas, stabilire. Itaque si quorum ingenia audaciùs videret in eiusmodi commenta ferri; Præpositum Generalem adibat, efficiebatque, vt pro supremâ potestate, quâ ille fungitur, tempestiuè morbum excrescentem reprimeret.

Interfuit aliquando, cùm iam esset in Purpurâ, disputationi Viri Nobilis; qui, fiduciâ ingenij, venerat in spem, fore vt in Lycea Academicorum genus philosophandi nóuum inueheret; excogitatis commentis nescio quibus, & repudiato veteri modo; qui quia tritus est inter cathedras, vel ideò censendus videtur optimus & probatissimus. Consilium ille suum exposuerat; durus ad monita eorum, qui, vt à nouitate illâ reprehenderet animum, blandè atque amicè suadebant. Quadam die verò Cardinalis Bellarminus cum ipso domi sermonem instituens, antequam hominem dimitteret, in digressu manum superposuit humero eius;

&c, Minimè, inquit, decet ad Ecclesiæ offendiculum te ingenio illo vti velle, quod à Deo accepisti sanè quàm optimum. Fuit autem ea vox tam ad persuadendum efficax, vt Prospero (nam hoc erat viro nomen) statim iniecerit mentem aliam , nec auditus sit in posterum de inuentis illis suis vmquam meminisse : quemadmodum Franciscus Androsilla , & honesti viri plures , hodieque narrant.

Interim ad initia Principatus CLEMENTIS VIII. Romæ agi cœpta sunt Comitia generalia Societatis; indicta, vt de communibus rebus decerneretur. Pro iis deligunt omnes Prouinciæ duos, doctrinâ, prudentiâ, & morum ceterâ laude præstabiles , qui cum earum Præside ad Conuentum, in quem conferunt se Ordinis prima capita, eant. Romana Prouincia P. Bellarminum , qui tum erat Collegij primarij Moderator, elegit; & in eo ipse consessu, pro suæ Religionis bono, nihil ex his quæ conscientiâ dictante parauerat, aut dissimulauit, aut tacuit. Dimissis verò Comitiis, Neapolitanæ Prouinciæ Præses creatur, nondum circumacto triennio ab inchoatâ gubernatione Collegij.

Quia verò, quâ vsus prudentiâ antehac Romæ fuerat, eamdem Neapoli tenuit deinceps in Prouinciâ administrandâ; idcircò neque

neque dicta repeto, & tantummodò addo, quæ huic tempori propria. Prouinciæ sic præfuit, vt verbis illam, adhortando alios, ac simul factis, exprimendo in se quæ diceret, ad omnem perfectionem instituerit formaueritque: cùm facta sua, non dicta tantùm sequi subditos vellet; nec præcepta modò à se, sed exempla etiam peti. Huius rei meminere, qui tum in Prouinciâ vixerunt, hærentque in recordatione omnium adhuc adhortationes eius, pio exceptæ cum plausu, & prolatæ cælesti ore, atque oratione nudâ simplicique; sed quæ materiam vniuersam methodo facili complecteretur, & quidquid proponeret, hoc solidis rationibus, Scripturæ sacræ oraculis, testimoniis Patrum, Exemplis ab Historiâ Ecclesiasticâ desumptis felicissimè prosequeretur. Qui etiam domestici sermones per se quidem optimi, adhuc ex ore ipsius nescio quid præter solitum magni spiritus & vigoris efferebant; siue quia eius dicta veritatis index orationis simplicitas, & quædam quasi negligentia commendabat; siue quia egrediebantur eius voces è rerum diuinarum meditatione, tamquam igne, & idcircò alios incendebant.

Auxit in Prouinciâ modestiam suam inter agendum, submissionemque, ferè medius inter subditum & Præsidem. Vox nulla vio-

lenta audita eſt, nihil placuit aſperum loqui. Imperij vocibus abſtinuit ſemper; & ſi quid præciperet, erat roganti propior, quàm iubenti. Ea verò in ipſo conſuetudo fuit, vt, quæ poſſet ſine alterius auxilio, ea per ſe obiret; nec in quemquam grauius, quàm in ſemet videbatur imperium exercere. Quadam die, cùm ocreas & ceterum habitum viatorium induiſſet, & in ipſo momento deliberatæ profectionis Socio indigeret, narratur domi inambulaſſe diu cum impedimentis illis, hominem quæſiturus; & quia obuium Religioſum habuit vnum è ſubditis ſuis, minimè auſus eſt monere, vt Socium quæreret; ſed tantùm, an indicare poſſet de eo, interrogauit: cumque id ignorari à ſe reſpondiſſet alter, perſeuerauit, ita inſtructus ad equitandum, patientiſſimè circumire. Paulò pòſt Religioſus ille factum ſerò æſtimans, ſemet incuſauit, & erubuit, quoniam officio defuiſſet; & eam modeſtiam in Præſide ſuo ſummoperè admiratus eſt.

Cura difficilior Præpoſitorum Prouincialium in Societate ea eſt, vt quotannis ſedes Sociorum omnes circumſpiciant; & ſi quæ ſit alicubi neceſſitas, ei coràm ſubueniant. Id in Neapolitanâ Prouinciâ ægriùs multò fit, tum propter locorum diſtantiam, tum ob itinera propemodum deſerta. Nihilominùs,

intra

intra triennium, Bellarminus bis lustrauit Prouinciam totam: & in viâ satis ostendit, scire se abundare pariter, ac penuriam pati; præbens moderationis in altero, in altero patientiæ documentum. Tabernæ vrbe Calabriæ, sicut inuitatus anteà fuerat officiosissimè, ita significatione honoris mirâ exceptus est. Quippe longo tractu stipatus turmâ equitum, à medio milliari obuios Magistratus etiam habuit; factâque à iaculatoribus fistularum bellicarum explosione, ad Ædes Senatorias instructas aulæis ductus est. Ibi dum eum Primores Vrbis tractant splendidè, sicut inuitauerant honorificè, modestia eius maluisset honorem declinare; & ideò non silebat, inter eos apparatus vocari nimis incongruè tenuitatem suam. Sed vicit hanc virtutis repulsam vis ea officiorum; & Bellarminus tametsi perfusus verecundiæ colore, coactus est interesse significationibus iis opinionis magnæ, quam de ipso Ciuitas præ se ferebat. At cùm discessit Tarento, longè euenit aliter in oppido Calabriç, quod Russetum appellant. Hîc quia nec domus meritoria præsenti pecuniâ, nec gratuitum hospitium precibus impetrari poterat, diu hæsit; donec tandem miseratione rarâ in domunculam ruinosam, fumo deterrimam, & vbi humana subsidia suppeterent nulla, admissus

 est.

eſt. Et nihilominùs in eo tuguriolo obſcuro, fœdoque, multò habitauit libentiùs, quàm Tabernæ pretioſus hoſpes; vt paupertatis incommoda experiretur.

Cùm ad Collegia veniret, tamquam aliquis è Cælo aderat, ſanctus, innocens, mitis, & qui charitatem parauerat loco auctoritatis. Neceſſitates omnium audiebat, vt Parens: nauos laudabat; & ſi quorum virtus ſegnior eſſet, hos adiuuabat benigno alloquio: adferebatque honorem dignis; ſolitus contrà, ſi qui deficerent, vel non punire, ſed monere tantùm vt eos pœniteret, vel pœnam irrogare ſeram, ſed aliquam, & omnino talem, ex quâ neque clementiæ neque ſeueritatis exceſſus vllus metueretur. Ceterùm ſatis habuit, ſi virtute illi culpam corrigerent, & abolerent noxæ memoriam nouâ gloriâ vitæ ſanctioris. Onera ſubditis, non ſubditos oneribus accommodabat; ne pondus eos, aut opprimeret impoſitum, aut imponendum deterreret. Imbecillis admouebat fomenta paternæ pietatis; ne abiecti animo ſeipſos deponerent; & conſtitutos in mœrore Socios medicus animorum egregius, aut curabat blandè, aut verbis dulciſſimis, quando factis non poterat, ſolabatur. Denique omnes auctoritate, non imperio regebat, venerabilis vir miraculo litterarum, venerabilior

ſan-

ſanctitate. Conueniebat homines Societatis perſtudioſos, & erga Collegia beneficos, eiſque officia atque obſequia, gratique animi ſigna omnia ſinceriſſimè offerebat.

In aggregandis ad Societatem hominibus apprime circumſpectus ac prouidens, rebatur tales eſſe deligendos, non modò qui naturæ laude eſſent inſignes, & in corpore etiam proſperæ virtutis; ſed qui multò magis animis præſtarent; poſſentque, domi foriſque victores ſui, aggredi patique fortia; & ſic pro aliis moliri magna, vt ipſi deinde viuerent paruo. Id vt certiùs fieret, cognitiones meritorum ſine conſiliis per ſe ſolus non exercebat; ac aliquos poſtmodum admittebat, vel ſecùs, quemadmodum ſuadebat eorum excellens, vel abiecta virtus. Neque ſolùm causâ huius habendi delectus; ſed & rei cuiuſuis moliendæ, ſolebat priùs cum viris prudentibus in commune conſulere. Maximè verò hoc egit, ſi quando haberet hominem penes ſe, cui familiare pectus gereret, & apud quem excutere mentem omnem liberè poſſet. Eam in partem illud ceſſit feliciter, quòd id temporis Neapolitani Collegij gubernaculo præeſſet Mutius Vitelleſcus; de quo antiqua ei prudentiæ, fidei, & virtutis opinio; & quem norat ſemper inter conſulendum proſpicere optima. Propterea alloquendi eum causâ (ſi-

ue quòd amicum reueritus, siue quòd sponte demitteret se) semper ipse è Professorum domo, quæ est Prouincialis Præsidis habitatio, ad Collegium se conferebat: neque Mutius vmquam impetrare potuit, vt accerseretur potiùs; tametsi aliquamdiu hinc obsequio, hinc modestiâ inter deferentes inuicem, non magis mutuâ quam inexplicabili demissione, certatum fuerit. Ceterùm, cùm inter se mirâ concordiâ viuerent, & tantùm officiis contenderent: ex eâ consensione animorum Prouincialem inter & Rectorem, incredibile est quantum Prouincia tota caperet ornamenti, atque præsidij; & quàm ibi esset inter optimè parentes, & iustè imperantes, læta Societas. Aderat quippe nullus animo tam omisso, in quo non emicaret alacritas quædam iis capessendis quæ iubebantur; ne quâ fortè amaritie dulcedo ea suauissimi regiminis corrumperetur. Vt quæ dixi fidem habeant, subnectam testimonium P. Fabij de Fabiis, viri integerrimi, & qui de se sanctitatis famam, verum vtique vestigium virtutis, post obitum reliquit. Is profectus Neapolim, primò vt Visitator Prouinciã auctoritate supremâ lustraret, ac deinde vt Prouincialis Præpositi munere fungeretur, nactus occasionem scribendi ad Cardinalem Bellarminum; *Quoniam*, inquit, *Deo ita placuit, vt in Prouinciâ detentus*,

detentus, non potuerim tibi, ſicut optaſſem, ore tenus gratias referre ob inſtructiones & monita, quibus me in digreſſu meo cumulaſti, & ex quibus plurimum adiumenti capio exequendis iis, quæ mihi à ſanctâ obedientiâ præſcribuntur; mearum eſſe partium duxi, ſaltem litteras mittere, quæ ſermonis vicem obeant. Sed vtinam hæ denuò impetrent noua conſilia & monita, quæ rurſus adiuuent me in Prouinciæ regimine, atque adeò me etiam regant. Sperarem enim fore, vt id cederet in laudem plurimam Diuinæ Maieſtatis. Etenim, quemadmodum in his partibus adhuc ad gloriam ſuperat recordatio conſolationis magnæ, quam ex dulci conſuetudine tuâ hauriebant tum noſtri, tum externi omnes: ita ego vim non mediocrem ex iis monitis perciperem, quæ me fortaſſe, veluti alterum te, ſenſim ac ſuauiſſimè repræſentarent. Viſitator Neapolim, Nolam, & Salernum; Præpoſitus verò Prouincialis Barium atque Barulum obiui. Iam inſtant Comitia Prouinciæ. Sacrificiis ac precibus tuis me commendo, ac Deum oro, vt te ſoſpitem diu velit ad totius Eccleſiæ commune bonum. Neapoli XVIII. *Kalend. Maij* M. DC. Hinc facilè apparet, quæ fama ſecuta ſit eius gubernationem. Etenim miti vir ingenio, vitia magis quàm virtutes diſſimulans, & vitia nihilominùs diſſimulatione ipsâ coërcens, habitus eſt inſtar ſideris maximè proſperi & ſalutaris,

lutaris, ex quo vnusquisque securus benigni afflatus, trahere vim & lucem posset; vt in Vineam Domini cultor lætus incumberet. Quam laudem in Bellarmino nemo postremam duxerit, si reputet difficile admodum esse, absque damno vel seueritatis vel lenitatis imperare, præsertim hominibus, datis vt pareant, non vt seruiant; hoc est Religiosis, qui subiectionem filij pati debent, quæ sit simul absque seruitute, simul absque libertate.

CAPVT XI.

Romam reuocatur, futurus CLEMENTIS VIII. *Pontificis Theologus; cum quo Ferrariam proficiscitur.*

DVm ita iusto, moderato, & longè firmissimo (quo nimirum obedientes gauderent) Prouinciam gubernabat imperio; Romæ obiit Franciscus Toletus Cardinalis CLEMENTI Pontifici apprimè gratus, & vir prudentiâ, doctrinâ, virtute tum in omni vitâ, tum in Purpurâ eximius. Ideò vt iactura ea compensaretur, Pontifex Bellarminum accersiuit; dignum eum ratus, qui alterius defuncti loco sibi atque Apostolicæ Sedi Theologus assideret. Anno itaque M. D. XCVII. mense Ianuario, Romam veniens, à CLE-

MENTE

MENTE VIII. excipitur humanissimè, iubeturque habitare Vaticanis Ædibus; tum vt esset muneri suus honor, tum vt Pontifici adesset Oraculum omnium horarum. Sed Bellarminus, cui semper ambitio, & quæ ad honorem conferunt, visæ fuerant odiosæ res; & è contra diuersoriolum intra suæ Religionis septa, consuetudoque simplex ac nitida Sociorum, pro deliciis habebantur; obtinuit per interpositas preces Petri Cardinalis Aldobrandini, vt in Pœnitentiario Collegio degere posset, qui locus Vaticanæ Regiæ proximus est: & hoc pacto oculos Aulæ multimodis interpretes declinauit; ac simul habitans inter suos, momentis omnibus Pontifici aderat. CLEMENTEM induxit ad electionem hanc, cùm fama quæ de Bellarmino latè percrebuerat, tum verò quia doctrinam eius libauerat aliquando suspexeratque, euoluens Tractatum ipsius de Translatione Imperij, quem ab vno Cardinali acceperat, dum esset in Conclaui Comitiorum. Dein adeptus Ecclesiæ summum regimen, quadam die Bellarminum consuluerat; an è re communi crederet, si Romæ in publico Gymnasio, cui à Sapientiâ nomen, Philosophia Platonis traderetur. At Bellarminus, tametsi Pontificem pronum ad id videret, nihilominùs liberè affirmauit, periculum certius à Platone quàm

quàm ab Ariſtotele manare in ingenia poſſe, ſi inter Chriſtianos ille cathedram habeat; non quòd pronuntiata ſingula eius Auctoris infecta ſint erroribus, ſed quia doctrinæ Catholicæ magis affinis Plato, quàm Ariſtoteles eſt; metuendumque propterea, ne capti ſimilitudine rerum, in quibus conuenit, ſenſim animi ab incorruptis ad vitioſa deſcendant. Et fore perinde aiebat, atque experimur plus ingeniis afferre damni, ex hac ſimilitudine, Hæreticos Auctores, quàm Scriptores Ethnicos. Subdidit poſteà, ignorari à nemine, Origenem Platonis dulcedine & facundiæ eius lenocinio deprauatum, libros ſcatentes erroribus Eccleſiæ reliquiſſe; atque id cauſæ fuiſſe, cur Plato idem in v. Synodo ſit proſcriptus: ideoque ne Religioni plus noceret, quàm prodeſſet ingeniis, cenſuit meritò ei cathedrâ interdici debere. Iudicium tam prudens & graue Pontifex laudauit, ac Bellarminum poſteà ad Conſilium accerſiit frequentiùs; cùm interim opinionem de ipſo augerent multi, & præ ceteris Cæſar Cardinalis Baronius, vir priſci moris integerrimique. Etenim is, quotieſcumque per eos dies quærebatur Vir præclarus, qui impleret amplitudine pari ſpatium illud virtutis, quod occupauerat anteà Cardinalis Toletus, vnum Bellarminum eum videri paſſim affirmabat.

Pontifex

Pontifex certè, tametsi erga Bellarminum propenderet admodum, inchoatam ei gubernationem non abrupisset, nisi suasisset hoc ei Cardinalis Baronius, hominem esse dicens ad ea munia factum: quem inaudiuerat sæpè ita in consultationibus loqui, vt ingens omnium quæ diceret, tum admiratio, tum fides esset; & vt coniunctionem felicem in eo summæ doctrinæ, ac summæ modestiæ, suspicerent vniuersi. Videlicet studiorum similitudo, & voluntatum etiam consensio contraxerat pridem hæc duo Ecclesiæ lumina; quæ in bonum eiusdem Ecclesiæ conspirabant coniunctione prosperrimâ. Hinc ea Baronij vox manauit, quâ Bellarmino dixit aliquãdo; non tam arctè Ionathæ ac Dauidis vtramque animã conglutinatas fuisse, quàm ipse arctè ipsius animam nexu amicitiæ complecteretur. Hinc & desiderium illud vehemens oriebatur, intuendi eum vestitum simili Purpurâ: quod satis exprimebat, iterando voces illas: *Quis mihi det te fratrem meum?* Cùm verò cooptatus fuit in eius amplissimum Ordinem, erat animus idem, adeò vt tantùm eos corpora diuiderent. Proinde in rebus dubiis consulere inuicem, ac iuuare inter se fide magnâ. Et quando Cardinalis Bellarminus morabatur Capuæ, vti bonus Pastor inter oues suas, tum Cardinalis

Baronius

Baronius ægrè absentiam ferens, auctor ei erat, vt in Vrbem ad tempus remearet; quod habetur in Epistolâ eius fermè in hæc verba: *Testis, inquit, est Deus, me nihil tam cupere, quàm vt simul adsis: conferrem ego tibi subinde res meas, & tu statueres in portu naufragum cor, quod in pelago mergitur flebilium ærumnarum. Et verò si id susciperes consilij, nemo iniquiùs interpretaretur; te ad menses paucos, & animo redeundi, Romam cogitasse. Fecit hoc aliquando Cardinalis Carolus Borromæus, sanctißimi laudatißimique Vir exempli; & multos profectò conspectus tuus recrearet.*

Non defuêre tamen intereà temporis, qui inter ipsum Bellarminum & Cardinalem Baronium corrumpere consensum illum mutuum malignè conarentur. Desumptus verò est fomes dissidij ex iis, quæ ambo diuersa pronuntiauerant, de Veneratione Sanctorum. Etenim in edito libello, in quo deerat Auctoris nomen, refellebantur quæ Cardinalis Bellarminus differuerat lib. 1. de Beat. Sanct. cap. 10. potissimùm ex eo capite, quòd aduersarentur directè his quæ de argumento eodem Cardinalis Baronius pridem scripserat. Agnouit Bellarminus id parere absentiam suam ex Aulâ: nam qui talia spargebant, præsentem traducere veriti fuissent. Nihilominùs malignitas eorum frustrà hæc moliri

visa

viſa eſt : nam ipſe tantummodò rem non diſſimulauit ; & pacis ſtudio atque concordiæ illuſtrans magis rationes ſuas, cetera perſuaſionem habuit Deum affore patronum innocentiæ.

Fuere itaque perpetuò in Cardinali Bellarmino beneuolentiæ huius mutuæ indicia paria,& proſecutus eſt ideò lacrymis obitum Cardinalis Baronij, publicus comploratur in Templo,vbi ei preces funebres perſoluebantur; & domi etiam priuatim, dum familiam hortaretur ad pietatem. Nam obortis lacrymis in dulci commemoratione Collegæ ſui demortui,ſilere coactus eſt,antequam ea,quę dicere propoſuerat,abſolueret ; cùm ex fletu ſæpiùs redintegrato, ſermo eius interpellaretur. Et ſanè doloris hæc ſignificatio fuit notabilis in Viro,qui apprime potens ſui,Agnatorum funera ſiccis oculis audire conſueuerat: quod Epiſtolæ indicant, quas dedit in obitu ſuorum.

Sed redeo ad hiſtoriæ ſeriem : Pontifex menſe necdum euoluto, conſcripſit Bellarminum inter eos qui Sacræ Inquiſitioni Romæ ſunt à Conſiliis. Iubebat quoque adferri ad eum libellos ſupplicum pro conſcientiæ rebus ; & priuſquam gratiæ reſcriptum daretur,mandabat iudicium eius expectari. Has inter occupationes à Cardinali Taurufio ro-

gatus quoque eſt, vt fidei Chriſtianæ capita in tractationem breuem contraheret, quâ teneræ ętatis aures imbuerentur, cum adiunctâ explicatione vberiore. Opus vtrumque vix abſoluerat, cùm Pontifex illud iuſſit prælo dari, vt eiuſmodi piarum inſtitutionum varietas tolleretur.

Interim quia propter obitum Alphonſi Ducis Eſtenſis in antiquam ditionem Romanæ Eccleſiæ deuolutus erat Ferrariæ Principatus, CLEMENS Pontifex profecturus eò, præter Cardinales & Præſules, quos duxit aſciſcendos pro honore comitatus, inter aſſeclas alios præcipuos Bellarminum adlegit. Ferrariam verò cùm venit, iuſſit Collegio Societatis, quoniam in eo Bellarminus inter ſuos hoſpitaretur, titulo piæ erogationis, quâuis hebdomade numerari aureos viginti quinque. In hac Ciuitate Bellarminus nactus opportunitatem eſt, ſuam & Societatis vniuerſæ obſeruantiam offerendi Margaretæ Auſtriacæ, Hiſpaniarum Reginæ, quæ tum nuptui data Philippo III. Catholico Regi; vnaque etiam Alberto Auſtriæ Archiduci, qui contulerat eò ſe, occaſione connubij Regij. Hîc dum CLEMENS Pontifex moraretur, Cardinales tres, Cæſar Baronius, Siluius Antonianus, & Franciſcus Maria Taurusius, inuitarunt ſe vicinitate loci, vt Vrbem Venetiarum,

tiarum, sitam in vltimo recessu Sinus Adriatici, simul adirent. Qui quoniam à Bellarmini consuetudine non poterant auelli, coegerunt, vt ipse vnà secum iret. Mox reuersi sunt Ferrariam omnes; & Bellarminus priusquam Romæ denuò esset, examini Episcoporum præpositus fuit à Pontifice: cum quo etiam, admonitu Præsidis Generalis, negotia plura prudenter iuxtà & feliciter ibi Ferrariæ tractauerat. Et fuit sanè admirationi omnibus; ipsum summis infimisque carum nihil de communi beneuolentiâ, nihil de famâ & opinione virtutis, in Aulâ frequentissimâ, ac plenâ viris ad summa nitentibus, amisisse. Peperit verò hunc ei fructum modestia, & demissio, quæ duo maximè amorem conciliant; nemoque erat, qui morum consuetudinem illam, quam ambitio nulla pollueret, non plurimùm amaret. Aulæ se raro dabat, & tantùm necessariis de causis, vel cùm à Pontifice vocaretur. Pro conditione singulorum obsequia diuidebat: eratque oris tam custoditi, vt contra neminem indebitè loqueretur; sed prosequeretur potiùs omnes laudibus, quæ merito vniuscuiusq; congruerent. Denique in re nullâ vehemens, sedatè cuncta moliri videbatur; ciuilis animi elegantias, ac naturæ placidæ amœnitates, ita coniungens graphicè cum religiosâ & composi-

tâ grauitate, vt desideria expleret omnium. Tanta verò lux rectè factorum, inuidiæ inter Aulicos, inter quos rarò ea tamen quiescit, materiam omnem surripuit ipsum obscurandi. Romam vix remeauerat, cùm à Pontifice Tractatum de sacris piacularibus Indulgentiis, quasi scriptorum Voluminum appendicem, scribere iussus est. Itaq; eum ad finem in Collegium Romanum retulit se, hoc est in antiquam sedem studiorum suorum. Erat iam in Vrbe rumor de ipso ad Purpuram euehendo: vox proinde tam honorifica, & multò magis promerita viri, exigere videbantur cubiculi pro eo laxioris spatia, & librorum etiam in promptu copiam. Nihilominùs per eos dies cubiculo cæco, peruetusto & odoris grauis vti debuit. Nec ideò contrahebat animum, vel se querimoniis dabat: imò potiùs ita erat obedientiæ & paupertatis fructu lætus, vt ex eo pænè triumpharet. Accedebat iactura temporis, & incommoditas; cùm noctu præsertim necesse haberet lucétem lychnum manu præferens in Bibliothecam ire, vt ex Auctoribus in pugillares referret, quæ posteà generantem animum in partu operis iuuarent. Quam necessitatem indiciis nullis respuere visus est, sed gerebat se perinde, quasi nihil ipse in Societate, aut fecisset insolitum, aut scripsisset. Interrogatus verò à Pontifice,

habi-

habitarétne commodè in Collegio, respondit sibi esse consultum benè: quemadmodum subridens, narrauit posteà familiaribus suis. Cùm verò existimarent aliqui, fortasse id non ita ex prudentiâ factum ab administris, qui in Collegio minora disponunt; rem totam Petro Antonio Spinellio, qui tum erat Collegij Moderator, exposuerunt. Sed ille respondit, haud imprudente se id obuenisse; imò & mandatum fuisse de industriâ, vt ceteris documento esset Bellarmini virtus: qui nimirum ingenio & virtute magnus, forte illâ tenui contentus viueret. Quæ probatio virtutis, proueniens à Viro, qui peritus existimabatur hominis interioris, instar elogij referri poterit de Bellarmini modestiâ; quandoquidem ita voto euentus, ita opinioni virtus respondit. Verùm aliàs quoque sæpiùs ostendit, quàm libenter sui cognitione libratus ad abiecta & humilia demitteret se. Quippe honoribus numquam arrisit, quos Viri primarij sępè ei deferebant. Sed dum hos honores aspernaretur, ne offensioni foret modestia, verbis maximè aptis contemptum eorum ornabat. Quadam die CLEMENS Pontifex, qui in Tusculanum secesserat à turbâ negotiorum, & mole Principatus; equum instratum pro Bellarmino misit, vt & ipse ad Ædem Virginis Deiparæ, quam à Cryptâ fer-

ratâ nominant, comitaretur. In viâ deinde eum accersiuit, & descendere molientem inhibuit, iussitque ad lecticam equitare, vt vnà sermonem ducerent. Mox etiam præcepit, vt capiti galerum imponeret, & ex eo tempore cœpta est fieri coniectura, ab his qui erant in Aulâ gnari rerum, breuî fore, vt Cardinalatus ei deferretur.

Sed & Bellarminum ipsum hæ significationes, aliæque persimiles, in eius rei suspicionem induxerant. Idcircò summâ fide & candore P. Claudio Aquauiuæ Generali, id quod vulgò alij ferebant, & quæ secretò ipse volutauerat, indicauit; spe nimirum fore, vt vir ingenio præcellenti & prudentiâ summâ excogitaret consilia, quibus, cùm res ita ferret, à mente illâ Pontifex emoueretur. Parte ex aliâ, dum cogitaret ad eum honorem amplissimum inuitos nullos trahi; versaretq; animo, non ita multò antè Viro cuidam eximio sua ipsius merita ad Purpuram recensenti respõdisse Pontificem in hęc verba: Dignus enimuerò, sed enim Iesuita est: aliquomodò sibi blandiebatur, interpretans hæc indicio esse posse, Pontificem alia meditari. Vanis tamen Aulicorum ingeniis ficta hæc non fuisse, euentus docuit; & apparuit hoc dicto tantùm voluisse Pontificem tegere, quod patefecerat anteà honoris significatione tam variâ.

VITÆ

VITÆ ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Cogitur à CLEMENTE VIII. *Pontifice Purpuram induere.*

CONSCIO & conſentiente Pontifice Bellarminus conſtitutus Rector in Pœnitentiario diui Petri Collegio, gubernaculum menſes duos vix tenuerat; cùm poſt inia Ieiunia Cineralium, appetentibus feriis Quatuor temporum, in Aulâ rumor de nouis Cardinalibus creandis diſſipari cœptus eſt: nec erat crebrior in totâ Ciuitate ſermo. Igitur licentiâ veteri, varios pro ſuo quiſque ſenſu deſignare, & plurimos falsò: ſed de Bel-

larmino fama, quæ aliquando eligit, non errabat; Purpuramque ei omnes, tantùm quia par iudicaretur, ominabantur. Intellexit ipse, quæ passim de se iactarentur, & non leuem eam auditionem ratus est. Ceterùm suspecta potiùs, quàm manifesta res videbatur, cùm ex Palatio nihil dum emanasset: eo silentio Pontificis clausa mens erat. Attamen ipse, pridie quàm haberi Senatus deberet, sub noctem statuit, Prępositum Generalem syngraphâ monere obtestarique, vt dignitatem illam à se depelleret, si ea fortè sibi deferretur. Adiecit quoque, (modò id expedire crederet) aditurum se Pontificem, vt hanc ei mentem lacrymis, si minùs voce, detraheret. Quòd si voti compos rediret, fore vt nihil pensi haberet imprudentiæ notam, ac suspicionem quam fortasse subire potuisset, tamquam specie recusantis cuperet Purpuram, dum illam deprecaretur.

Interim v. Non. Mart. anno M. D XCIX. manè, in Senatu Pontifex nouos Augustos Patres XII. nominauit, & inter eos Robertum Bellarminum, de ipso in hæc verba prolocutus: *Hunc eligimus, quia non habet parem Ecclesia Dei quoad doctrinam; & quia est nepos optimi & sanctißimi Pontificis.* Etenim CLEMENS Pontifex hac electione, cùm illud efficere voluit, vt rependeret priuata beneficia,

quæ

quæ à MARCELLO II. Bellarmini Auunculo susceperat Siluester Aldobrandinus Parens eius, dum Florentiâ solum vertere coactus; statim initio Pontificatus, Vrbis Romæ Præfectus ab eo creatus fuerat; tum verò munerari egregios Bellarmini labores obitos pro Religionis ac Fidei defensione, occludereque ora Hæreticorum, allatrantium rebus gestis Romanorum Pontificum. Nam in expeditione ad Polonos, audiuerat illos, inter plura, Cardinalium delectum vituperare; quasi absque examine meritorum fieret, neglectis optimis, dum Cæsar Baronius ac Robertus Bellarminus, tanta nomina, subtraherentur in honore Purpuræ oculis Ciuitatis. Horum enim apud ipsos manebat admiratio, tametsi eosdem odissent, vt victi. Quare ad amplissimam dignitatem Bellarminus iamtum ore inimicorum etiam poscebatur: indeque fiebat, vt dum boni æquitate atque amore virtutis, mali obtrectatione & malignitate Pontificem extimularent; ipse simul virtutibus suis, simul vitiis aliorum ad gloriam raperetur.

Dum hæc verò in Senatu agerentur, & circumstaret Curiæ magni secreti impatiens Aulicorum expectatio, Cardinalis Petrus Aldobrandinus, Clementem Sannesium Marchionem è Palatio ad Bellarminum descen-

dere,ac ei deliberata nuntiare iubet; intentato metu anathematis & noxæ letalis, si pedem domo efferret, quamdiu potestatem Pontifex ipse non faceret. Eâ denuntiatione auditâ, insedit eius pectori tantus dolor, vt attonito incluserit vocem. Sed vbi ab insigni mœstitiâ perturbatus eius animus, collegit aliquantulùm se, Patres Collegij deuocauit omnes; quò ipsi, quibus integra mens ad consilium erat, communiter suaderent id quod in rem foret, vt posset declinare eam, quam interpretabatur imponi sibi onerosam dignitatem. Inter eos qui conuenerant, Ioannes Baptista Costa senio & peritiâ rerum primus, frustrà dixit, tamquam de integrâ re sententiam quæri. Pontificem, quod diu parturiuit eius animus, peperisse; factam in Senatu promulgationem; imperatum etiam, vt cohiberet se domi. Proinde non apparere declinandi prouidentiam, & in recusando posse parum prodesse virtutem. Idem sensêre omnes, quibus præsentibus agitata ea fuerant, præter vnum Bellarminum; qui vt præsidia mutuari aliunde summâ ope niteretur, Collegij Ministrum ad Cardinalem Petrum Aldobrandinum misit,& gemebundus rogauit Pontificis conueniendi potestatem; cùm perpelli se religione diceret, nisi sua ipse Sacramenta ei testaretur. Sed hæc indu-

industria, apud dispositas aures nihil impetrauit. Responsum est, Cardinalem non posse tum à Pontifice audientiam ei flagitare; cùm destinatum haberet Pontifex de ipso non aliter statuere. Tum Bellarminus tot circumuallari se animaduertens, vnde emergi non posset; flere cœpit, videns submoueri se ab eâ dulcedine tranquillæ pacis, quam expertus tot annos in Societate fuerat: vt propterea iterauerit voces illas, quibus in re simili gemuerat olim Sanctissimus Pontifex GREGORIVS MAGNVS: *Ne vocetis me Noëmi, sed vocate me Mara; quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens.* Interim adsunt, qui in adita Pontificis ipsum deducant ad pileum Cleri purpureum sumendum. Ibi dum alij, qui Cardinales creati cum eo fuerant, apparant se Tonsurâ & ornatu cetero, vt ad Pontificem eant, solus Bellarminus immotus hærebat; nec persuaderi vllatenus ei poterat, vt nigram sui Ordinis tunicam, violaceâ mutaret. Mox eò descendit, ab intimo Conclaui Pontificis, Petrus Cardinalis Aldobrandinus; ad quem illicò accessit Bellarminus, rogauitque impensissimè, vt liceret sibi in statu Religionis & paupertatis, quem Auctore Deo susceperat, perseuerare. Sed Cardinalis Aldobrandinus respondit; Pontificem ei præcipere sub Excommunicationis pœnâ, ac metu ino-

inobedientiæ, vt initæ deliberationi tandem acquiesceret. Tum verò dicto quidem audiens Bellarminus fuit; sed obortis lacrymis vbertim fleuit, dum Tonsuram & vestem Cardinalis, tantùm obediens, cetera inuitus, acciperet. Sic ad Pontificem ductus est: & cùm adhuc eo præsidente vellet, quæ disposuerat, & quæ sentiret, expromere; inhibitus est intentato Excommunicationis & culpæ letalis piaculo. Sic publicæ vtilitati seruiendo potiùs quàm affectibus, inducta sunt Cardinalis insignia lacrymanti Bellarmino; & dum circum omnes lętarentur, ipse solus tristior, ac velut in funebrem pompam vocatus aderat: modestiâque suâ & demissione, pudorem se magis decere quàm Purpuram ostendebat.

Pòst emersus tantisper ex eâ perturbatione, ac tenue solatium ex solâ facti necessitate habens, Epistolas plures ad diuersos scripsit, significans in eis, commiserationi obnoxium se, non inuidiæ, ob eam, in quam Pontifex eum induerat Purpuræ necessitatem. Nam circumuentum curis ac sollicitudinibus tunc maximè, si vmquam aliàs, indigere se fusis ad Deum precibus aiebat, vt tanti muneris mensuram impleret, & pericula simul vitaret, quæ subsunt formidabiliora iis, qui in altum euehuntur. Hæ ipsius Epistolæ querimonia-

moniarum plenæ, quia erant ſcriptæ demiſſione mirâ, legebantur à nemine, quem non raperent in admirationem virtutis. P. Iacobus Crucius inter alios (qui in Societate noſtrâ eſt iam Aſſiſtens Italiæ) fermè in hæc ei verba reſpondit: *Suſpicio equidem attonitus, nec ad ſatietatem tamen, demiſsionem, quam ceteræ laudi anteactæ ſimillimam exprimis in litteris tuis. Dicerem characteres illos Reliquiarum loco me cuſtoditurum, ac veneraturum perpetuò, niſi ego, ne id moleſtiæ tuæ foret graue, metuerem.* Sic ille. Sed & alij, quibus nota mens Bellarmini erat, & qui norant ſenſum illum veræ virtutis eſſe, non ſimulationis; incitarunt ſe mutuò, vt litteras ad eum darent, quæ conſolatione, non gaudio fungerentur. Multos cùm ſileam, non poſſum quin Cardinales duos recenſeam, de quibus tum Romæ illuſtris erat virtutis opinio. Alter Auguſtinus Valerius Cardinalis, & Veronæ Epiſcopus, Epiſtolam abſoluerat eruditiſſimam atque pulcherrimam; cùm aduertens ei aliquid deeſſe, adiecit hæc alia: *Epiſtolam tuam dum relego, agnoui prætermiſſas à me partes conſolationis; propter onus impoſitum tibi nouæ & laborioſiſſimæ dignitatis: Dominus regit te, ô candidiſſime Præſul, & optime Cardinalis, & nihil tibi deerit. Non deficiet te animi vigor ille, illa alacritas, quam neceſſariam reris,* *vt*

vt negotium hoc tam pertinens regere poſsis. Deeſt nihil, vt tu ſatis quidem noſti, timenti Deum: cuius miſericordia atque clementia efficiet, vt quemadmodum ex eius deſtinatione in ſacro Cardinalium Collegio Collegas nos eſſe conſpicimus; ita & Ciues demum cæleſtis Patriæ eſſe, atque frui ſimul eius beatiſsimo conſpectu, lætariq; ambo vnà poſsimus. Alter Franciſcus Maria Tauruſius Cardinalis, & Archiepiſcopus Senenſis, cùm eo qui ab Epiſtolis, in ſcribendo vti renueret, ne tantâ voluptate fraudaretur, ſic ipſemet ſcripſit: *Numinis prouidentia fuit, & voluntas atque auctoritas Sanctiſsimi Domini Noſtri* CLEMENTIS *Papæ VIII. vt tu inter Cardinales cooptareris. Nihil erat tam excelſum, quod non virtutes iſtæ tuæ, tuuſq; animus mereretur. Ideò cùm ſemper te in loco imo ſtatueres, is qui conuiuium parauerat, dicere debuit: Amice aſcende ſuperiùs. debuit dare manum etiam renuenti, & compellere, vt conſequereris ad locum primum. Amplitudinem iſtam tuam gratulor ego Eccleſiæ vniuerſæ, gratulor Pontifici, gratulor toti Collegio Cardinalium: in quod aſſumptis tot aliis inſignibus viris, Pontifex, dum te illis aggregauit, virtutem ipſam aſſumere viſus eſt. Sed miſeret me tui, planeq; doleo, dum ad ſanctas occupationes tuas, ad ſtudia, me conuerto: nam hoc pacto etiam plorauit* S. GREGORIVS *ſuam*

ſuam Rachelem, ſuumq́; tuguriolum. Senatus habendi, Pontificalia ſacra, conſultationes, negotia vel Eccleſiæ vel Vrbis, viſitationes acceptæ viciſsim & redditæ, multitudo adeuntium, in qualem iacturam euadent pretioſi temporis? Opus erit famulos mercenarios admittere, rationem de expenſis & de annuo cenſu ſubducere, obſequi ſæculo huic odioſè nimis officioſo. Denique in auersâ parte tot capita ſunt ærumnarum, vt ſanè pars huius Numiſmatis aduerſa tanti non valeat. Nihilominùs in hoc ſtatu tam excelſo, in his occupationibus ſummis, quæ gubernaculo Eccleſiæ vniuerſæ obſequuntur, is qui Cardinalis eſt, poteſt intereà ſententiæ vnius oraculo, ſi in loco & cum ſpiritu magno feratur, plus prodeſſe ſibi & publicæ vtilitati, quàm ſi annos plures in ſeceſſu Religioſo latuiſſet. Foueamus in hoc ſublimi gradu illam humilem conſuetudinem, cui inter ſepta Religionis conſueueramus, & lucebit coram hominibus, tamquam Ciuitas ſupra montem poſita. P. Generalis Præpoſitus, ceteriq́; è Societate dolent, in Familiam ſuam ſecundò iam patere aditum ad ſpecioſos titulos & honores; atque in eam, quaſi altero ianitore, denuò Purpuram intrare. Sed euentus auctor, vt ſpero, erit; S. Spiritus hanc fuiſſe mentẽ. Pontifex verò nõ iterùm Societati adferet ex ſimili iacturâ mœroris ſimilẽ cauſam, &c. *Senis, prid. Non. Mart.* M.D.XCIX. Sic ipſe.

Iam

Iam quia opiniones etiam Societatis, & ſenſus eius domeſticus, in hac electione Bellarmino ad gloriam eſſe poſſunt, P. Claudij Aquauiuæ Generalis Præpoſiti litteras hoc loco inſeram ad Præſides Prouinciarum Societatis miſſas; vt hi deinde vniuerſos condocefacerent, efficerentque, ne in Societate vlli, ea quæ acta Romæ fuerant, duriùs interpretarentur. *Manauerit fortaſſe*, inquit, *ex litteris aliis fama eorum, quæ Deus diſpoſuit circa P. Roberti Bellarmini noſtri nuperam in Cardinalium Ordinem aſſumptionem. Exiſtimo nihilominùs eſſe è re muneris mei, vt de eâ magis diſtinctè ſcribam. Si enim percenſuero, quæ euenerunt; reſtinguam, aut certè leniam ſenſum illum, quem in honorum inſignibus admittendis Societas habet; & ex quo certatim optamus, vt nos perpetuò Deus in noſtrâ contineat humilitate. Cupio igitur, ab omnibus haberi pro re compertâ, non ex parte Societatis modò cum Pontifice ſeriò actum eſſe, rationeſq; propoſitas, quibus inducta pridem eſt, ne huiuſmodi honores ac titulos, niſi pro poteſtate adigatur, admittat; ſed ab ipſo P. Bellarmino etiam Pontifici ſignificatum eſſe quàm demiſſiſſimè, ſe id optare vnicè, vt in quibus moribus diu vixerat, in his poſtremò poſſet deſinere ac mori. Nihilominùs Pontifex, & ſe maturè deliberaſſe, & rem Deo gratam eſſe exiſtimauit. Ex quo factum eſt deinde,*

inde, vt Bellarmino ſupplici, nec aures nec animum, quoad rem præſentem, dederit. Quinimò, antequam inſignia prima Cardinalium, ita vt erat in veſte Societatis, acciperet; pro ſe dicere incipientem, & precaturum ne paupertatis ſacramento ſeminudum inuolueret amiculis ex Purpurâ, Pontifex loqui prohibuit; eminatuſq; eſt fulmina cenſurarum, momento infligenda, ſi de Purpurâ reiiciendâ amplius fari pergeret. Cùm hæc verò ita ſe habeant, eſt quòd noſtri omnes gaudeant; dum vident, tum à Societate, tum à Cardinali id quod facto opus erat, non fuiſſe prætermiſſum. Ceterùm venire in ſpem poſſumus, fore vt debeat in Dei obſequium euadere iſthæc eius electio. Etenim cùm ita ſponte à Pontifice dignitas ſit in virum collata, doctrinæ, integritatis, ac religionis tãtæ, quantæ eſt Bellarminus; ominari poſſumus, eum in Eccleſiâ Cardinalem exempli laudatiſſimi futurũ, deditum vtilitati publicæ, & Societati beneuolum, ſicuti communis expectatio de eo pollicetur. Denique vt his noſtrûm omnium votis obſecundet Deus, & vt ipſi Bellarmino vires largiatur, quibus ipſe, quâ virtute eminere in Societate ſolitus erat, eadem eminere poſſit in Purpurâ; ideò in Prouinciâ Sacerdotes ſinguli rem Diuinam ſemel, ſinguli qui à Sacris non ſunt ſemel Roſarium, Numini offerent. Interim omnium me ſanctis Sacrificiis & precibus commendo. Roma,

mæ, Pridie Non. Martij M. D. XCIX.

Atque hic ſenſus eſt, quem tenera hauſit Societas ab IGNATIO parente; quando ab eo vitam primam accipiens, didicit ſimilem egregiorum virorum euectionem, quaſi ſuis caritura luminibus, formidare. Indicaſſe iam paucis etiam debemus, quid egerit Politiana Vrbs, Patria & ſedes nutrimentorum eius. Hæc enim ſummo ſibi honori duxit, Ciuem ſuum tantâ cum gloriâ meritorum Purpurâ inſignitum Romæ fuiſſe. Inter argumenta tamen lætitiæ eius, documenta pietatis dedit Thomas Bellarminus, Cardinalis frater, dum in egenos largitiones pro opibus liberaliter erogauit; itemque Cœnobia varia, & amica Numini loca adiuit, ſupplicationes expoſtulans pro fratre iam Cardinali; vt à Deo, qui principium ei amplitudinis dederat, perfectionem omnem eidem imploraret. Sed nobilis etiam gratulatio fuit, quâ ex tam læto nuntio Taberna Ciuitas Calabriæ, vbi hoſpes aliquando Bellarminus fuerat, geſtire propemodum viſa eſt. Rem his verbis Cardinali perſcripſit P. Ioannes Calefatius è Societate noſtrâ. *Cùm primùm Tabernæ*, inquit, *vulgauit fama, tibi Purpuram delatam fuiſſe: ad triduum veſperi, dum tenebræ incederent, vidimus tecta Vrbis luminibus clareſcere, & conſonare cantu omnia; certaruntq; vrbicis plauſibus etiam*

etiam rurium propinquorum gaudia. Erat verò consolatio ingens lacrymas aspicere, quas omnium oculi natantes gaudio, & trahentes quoque in partem lætitiæ mæroris signa, interim funderent. Superauit omnes tamen Sodalitas Pietatis, quam vocant : nam ordo assectlarum eius, tres noctes illas, totâ Vrbe incessit cum luminibus; & dum Hymnum Te Deum laudamus concineret, alternabat per interualla eas voces: IESVS *viuat, & viuat Bellarminus. Vicissim has voces populus vniuersus iterabat, atque intereà campanæ omnes læto festoq; perstrepebant sono.* Atque hæc pars aliqua eorum est, quæ Bellarmino assumpto ad Purpuram euenere. Quo tempore etiam ij, qui ceteroqui felicitatem eorum, quos in æquo viderint, ægris oculis aspicere solent, clarè lætati sunt; fatebanturque à Bellarmino ad eam dignitatem id afferri, quod ab eâdem accipere non potuisset.

CAPVT II.

Quis ei sensus, & quæ consilia fuerint, quando Cardinalis creatus est.

VBi respirare cœpit, interiores sensus animi conuocauit omnes; ac meditans, in quæ pericula lubricæ sint & præcipites honorum arduitates, quæsiuit quibusnam sub-

ſidiis inter illas morari poſſet, abſque eo quòd causâ ſalutis caderet. Secretum id clàm animo agitatum, penetraui è ſcriptis eius variis; ex quibus partem eruam deſcriptionis illius, quam ſibi propoſuerat prudens Architectus, vt ædificium quod inchoauerat virtutis, exædificaret, illudque ſub protectione Dei cæli, ac ſub eius tutelari prouidentiâ ſtatueret.

Conſilium præcipuum fuit, ita diſponere omnia, vt cor in tranquillo eſſet, ſeque Diuinæ voluntati perfectiſſimè ſubmitteret. Habet hoc Epiſtola, quâ VIII. Idus Nouembris M. DC. I. Henricum à Lotharingiâ Epiſcopum Verdunenſem hortatus eſt, vt in Antiſtitis officio contineret demum ſe æquo animo; dum ei à Pontifice integrum non fieret, Sacerdotij infulas deſerere, vt Societati noſtræ, ad quam adſpirauerat, aggregaretur. Rationes quippe eas attulit, quas occaſione ſimili expertus in ſe optimas fuerat: *Quod ad pium*, inquit, *deſiderium tuum attinet, adipiſcendi pennas columbarum, & volandi ad locum dulciſſimæ quietis, dicam quod ſubit animum meum. Non puto ſolidiorem quietem, & ſalutis maiorem ſecuritatem in re aliâ poſſe inueniri, quàm in Dei voluntate, quæ animæ viribus totis adimpleatur. Illam ego Domini vocem præter omnes amaui ſemper. Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me. Verumtamen non*

mea

mea voluntas, ſed tua fiat. Empti pretio magno ſumus: proinde tamquam ſerui obedientiam noſtro Hero debemus. Dum conſcientia noſtra teſtis eſt, non quæſiuiſſe, non optaſſe, non elegiſſe nos locum ſublimem, & in præſentiâ honorem nihili ducere; quo & abdicare nos etiam, ſi liceret, liberet; ſanè eſt quòd gaudeamus, & acquieſcamus voluntati Dei, quam Pontifex nobis inſinuauit. Paſtorale onus eſt ſollicitudinis atque periculi plenum; neque fortaſſe, vt exemplum in me ſtatuam, minùs graue onus eſt dignitas Cardinalis. Sed ſi Opifici, ſi Emptori noſtro placuit has in anguſtias, in hæc pericula nos vocare; ecqui-nam ſumus, vt dicere poſſimus ei, Cur ita feciſti? Qui nos dilexit, & animam ſuam pro nobis poſuit, dicere dignatus eſt Petro, & in eo Paſtoribus omnibus animarum: Si me amas, paſce oues meas. Ecquis erit, qui reſpondere Domino audeat: Nolo paſcere oues tuas, ne perdam animam meam; niſi ſit aliquis, qui non Deum, ſed ſeipſum amet? Dei amator verus cum Apoſtolo ait: Malo anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, quàm non ſubire ſarcinam, cuius mihi pondus impoſuit Diuinus Amor. Quamquam eſſe diſcrimen ſalutis nullum poteſt, Charitas vbi regnat. Nam eſto: imprudentes, vel ex imbecillitate in multis labimur; nónne operit charitas multitudinem peccatorum? Illuſtriſſime & Amantiſſime Præſul, ſi ſpes affulgeret

geret vlla, fore vt, Deo & Vicario eius consentientibus, ad Religionis quietem tu quidem venire & ego redire possemus, id omnino eligendum esset; sed spe prorsus omni destituimur. Quæ mihi frequens repeto, eadem & scribere volui sanctæ animæ tuæ; quam ob onus Pastorale angi video. Sic in litteris ipse. Dispositâ hoc pacto animâ; tum ab amicis variis, de quibus ei opinio virtutis maior suberat, subsidia votorum flagitauit apud communem Dominum. Ex hís P. Bernardinus Realinus fuit, vir ei satis notus perfectionis sanctimoniæq; famâ. Rogauit verò eum, vt mente defixus ad lumen Dei introspiceret; num ea dignitas iniecta inuito ac repugnanti allatura impedimentum esset, circa animæ salutem. Ille postquam supplicabundus cum Deo diu ac multùm egerat, rescripsit se iudicare, haud difficultatis plus habiturum eum in Purpurâ, vt saluus fieret, quàm si priuatus in Societate mansisset. Quin & adiecit, credere omnino se, honorem illum ipsi delatum fuisse, tum vt inde magis laudaretur Deus, tum vt ipsius quoque quotidie magis merita augerentur. In alterâ item Epistolâ idem Realinus hæc ferè habet: *Agnosco charitatem Societatis* IESV, *quâ fuit indutus semper animus tuus: tametsi corpus iam non induat eadem Societas, &* IESVS; *nisi quia omnia sunt* IESV, *qui & ipse habitu se induit non*

non suo. Fateor me debere fundere pro te preces ad Deum; si minùs propterea quòd tu eis indigeas, certè vt ego satisfaciam obligationi meæ. Quare in præsentiâ hoc ago, imò & agam in posterum, sed de paupere mensâ. Quoad onus impositum tibi non opinanti, equidem vnà tecum doleo. Sed spero tamen futurum, vt qui dixit, Onus meum leue, promissa hæc verbi sancti sui cumulare debeat efficaci augmento, tum Societatis nostræ, tum obsequij Diuinitatis suæ. Sanè tam insignis obedientia, qui fieri poterit, vt non loquatur victorias? Fiat igitur promptè voluntas IESV. Sic Vir sanctus Viro sancto animæ solatium suppeditauit: & Bellarminus innixus prouidentiæ Dei, consequi ex eo paulatim cœpit, vt quotidie minùs animus eius fluctuaretur.

Quia verò spem Iustorum Dei metus comitatur, qui eos admonet, ne situ ac deliciis torpeant; cœpit pariter secum discutere, num coram Iudice Deo in eâ dignitate admittendâ culpæ aliquid interuenisset. In quâ re cùm sui arbitrij nollet esse, consulere maluit Viros harum rerum peritissimos. Formauit proinde quædam capita interrogationum, quæ P. Franciscus Rocca (erat is ei à Confessionibus) ex ipsius autographo descripsit; cum responsionibus additis à Viro, cui ea fortasse Bellarminus proposuerat, & sic ordinabatur.

 I.Quem-

I. Quemadmodum ſit in eam dignitatem ingreſſus? an per oſtium verum? Reſpondetur: Vtique per verum.

II. Poſsitne inoffenſo Numine in eo ſtatu viuere? Reſpondetur: Omnino poſſit.

III. Inſiſteréne meliùs poſſit obſequio Dei, ſi ad priſtinum vitæ modum redierit? Reſpondetur: Id verò anceps eſt.

IV. Eſsétne hoc maióris documenti? Reſpondetur: Hoc item in ambiguo eſt.

V. Videretúrne ſaltem impetrari poſſe? Reſpondetur: Vix quidem.

VI. Securiúſne eſt, aure ſimplici obtemperare vocanti Deo, atque iubenti per interpretem vocem Vicarij eius; nec de cõmutando ſtatu ſollicitum eſſe, ſed in eo gradu perfici, in quem obedientia eum collocauit?

Capiti huic poſtremo reſponſio deeſt: & veriſimile eſt, ſex eas poſtulationes fuiſſe ad P. Clavdivm Aqvavivam à Cardinali Bellarmino miſſas (nam ſolitus erat de ſimilibus rebus cum eo conſultare) reſponſa verò illa eum reddidiſſe. Manifeſtum enim eſt, etiam in ampliſſimâ Cardinalis dignitate Bellarminum aduerſus Generalem Præpoſitum, propè quodam ſubmiſſionis miraculo, retinuiſſe priſtinam obſeruantiam. Et vt dicam obiter de hac Obedientiæ Religioſæ ſubiectione, quam ne in Purpurâ quidem erubuit; in Vrbe

be Româ postulatus Patronus sacrarum Virginum Ordinis sancti Augustini, quæ sanctæ Marthæ nominantur, nihil in eâ re deliberauit, priusquam à Generali Præposito veniam haberet: cùm sciret ab instituto Societatis pium eiusmodi feminarum regimen in aliis Religiosis laudari vtique, in suis tamen non probari. Ita circumspectè ambulans coram Deo, sibi tamen plaudere numquam videbatur; etsi nullius noxæ reus coram hominibus appareret. Quin imò, vt ij referunt quibuscum vnà vixit, molestè admodum summa eius demissio splendore illo dignitatis perstringebatur. Hoc indicarunt satis, tum lacrymæ, quibus se appellatum ad eum supremum Ordinem pro afflicto statim lamentatus est, tum voces illæ, quibus aiebat esse flammas corpori suo circumfusas, amictum illum Purpuræ, eoque se propemodum circumuri. Hæc verò non ideò dixit, quasi dignitatis gradus ac tituli inter vitia sint, non cum virtutibus; etenim ad Ecclesiam regendam, & Ordinum discrimina retinenda, sunt inducti diuinitùs; sed quia videbat, dum eius gloriæ gestaret insignia, animi augeri pericula, adimique eius tranquillitatem. Hinc postmodum Capuæ degens, Pastor in vigiliâ gregis, aperuit vni ex intimis familiaribus deliberationem, quam iniuerat abdicandi se,

ponendique Purpuram, si CLEMENTI VIII. superstes foret. Sed diu re discussâ, iudicarunt ambo potestatem haud impetrandam; vtpote quæ esset fermè sine exemplo; cùm non debeat sanctitas & dignitas huius Purpuræ, quam Ecclesiæ fortitudo & Martyrum sanguis colorat, inter res illas fluxas numerari, quibus Religiosi Viri, consilio vitæ seuerioris, nuntium remittere cum laude solent. Amicus tamen, qui consultus de eâ re fuerat, suspexit propositum animæ magnæ, quo illud ipsum tam mite & tam moderatum sacræ Purpuræ decus ponere meditabatur: suasit verò, tentaret eam abdicationem vel ideò, vt si minùs obtineret, exemplum certè speciosi conatus transmitteret ad posteros. Etenim omni actâ Purpurâ, deposita eadem clarior fuisset; adeò spreta in tempore gloria, fit cumulatior sæpenumerò, dum recusatur. Sed vt ei animus erat ab omni specie simulationis alienus, vbi audiuit se tantùm ad famam, cetera inutiliter petiturum; renuit hoc tentare, propter metum latentis in tam sublimi cogitatione vanitatis. Sed desideria eadem denuò emergebant, quoties rediret persuasio, fore id promptum effectu, aut certè non arduum. Quadam die Canones Sacros euoluens, quia sibi visus erat inuenisse vestigium aliquod rei; quam anhelus adeò sectabatur;

batur; posse nimirum absque aliâ auctoritate aliquem à semet abdicari; Præpositum Generalem rogauit, vt aliquot Theologorum meditationi quæstionem illam daret. Pertæsus enim Aulæ, atq; obscura speciosis, quieta turbidis anteferens; solitudinis verò amator, dulcissimorumq; Sociorum ad eos, inter quos fuerat educatus, reuersionem disponebat. Sed Præpositus rescripsit; verteret aliò curas; & crederet eumdem consensum fore in retinendo ipsum, qui in eligendo fuerat. Quare videns sibi omnes obstrui aditus ad eam recusandam, quam inuitus induerat dignitatem, statuit ita vestem honoris gerere, vt fastum eius abiiceret; & vt quam ponere vetabatur dignitatem, eam saltem perpetuò fastidiret. Ad hæc, vt retineret simul Religiosi Viri moderationem, tria hæc sibi præscripsit. Primò, vitæ rationem ne immutaret, quam in Societate olim parsimoniâ victus, quotidianis precationibus, contemplatione, & sacrificiis instituerat. Secundò, ne aggregaret opes, néve agnatos opimaret; sed e censu annuo, quidquid expensis necessariis superfuisset, Templis id Pauperibusque erogaret. Tertiò, ne à Pontifice prouentus peteret copiosos, néve acciperet à Magnatibus munera. Quæ ipse omnia raro documento constanter, ad obitum vsque, custodiuit.

CA-

CAPVT III.

Retinet vitæ modum, quo vixerat pridem, quantum patitur Purpuræ conditio.

MOres cùm non variant, fortunâ in melius variante; & cùm animus accessu amplitudinis nouæ non extollitur; virtutem id enimuerò indicat excedentem humana omnia. Multi cum admiratione laudem hanc agnouerunt in Cardinali Bellarmino; qui meritis quæsitam dignitatem adhuc modestiùs tenuit, quàm acquisierat. Et sanè in eo lumen illud Purpuræ circumfusum vmbrâ demissionis, spectaculum erat, in quo non poterat facilè distingui, delectaret magis, an ad virtutem instrueret. Haud multùm erat necesse, vt externi, nedum Societatis homines, siue scriberent absentes, siue coràm inuiserent, custodirent sanctè leges obsequij, quibuscum amplissima ea dignitas adiri solet. Comitate & alloquiis officia præoccupabat omnium, insederatque eius animo honoris summi tam parua dignatio, vt nisi eum Cardinalem esse alij meminissent, ipse in obsequiis accipiendis reddendisque videretur eius propemodū obliuisci. Dixit interdum, haud se minoris tunc æstimare fratres suos, filios Matris suæ, nempe Societatis, quàm æstimauerat

uerat pridem: quippe qui voluntatem & amorem erga illos cum habitu non posuerat; & repererat in Purpurâ nihil, nisi molem curarum ac sollicitudinum, atque adeò periculi formidinem. Hinc solitus erat studia hęc sua promere frequenter; dum ostendebat delectum Societatis semel initum, semel placitum, eiusque instituta à se pro æternis semper habita fuisse. Quin imò augebat quotidie de eâ opinionem, commendans Diuinam misericordiam, cuius beneficio in Societate iam adultâ vigere spiritum eumdem illum fateretur, qui in tenerâ viguerat; custodiamque legum, pacem animorum, & subiectionem erga Tutores parem, atque olim fuerat erga Parentes. Quæ omnia non ignarus loquebatur is, qui in eâ tot annos, regionibusque adeò disiunctis, vixerat; functus insuper muneribus primis Rectoris, & Præsidis Prouincialis. Verùm haud ideò erat parcus commendandis aliis Religiosorum Ordinibus; sed afficiebatur plurimùm erga illos, in quibus Patrum virtus, & sanctimoniæ flos afflaret fragrantiam suam; & in quibus cultura animæ interior minimè desideraretur.

Propterea nihil tum erat illi gratius, quàm si interdum è Societate aliqui eum adirent; semperque cum his finis sermonum erat, petere ac precari, vt subinde reuerterent, ac denuò

nuò interuiſerent. Eamdem ob cauſam prope Romanum Collegium habitauit; nec eo contentus, optauit etiam ſuffodere viam, vt clàm ad ſuos, quando libêret, ſuggrederetur. Verùm quia hoc non impetrauit, ſiue difficili humo nec acceptante occultum opus, ſiue ob cauſas alias; ex eo propinquo loco ſaltem virtus ipſius hoc habuit commodi, vel ſolatij, vt nolæ pulſum audiret, eiuſque interuallis ſua diei facta noctiſque partiretur: prorſus vt corpore dumtaxat in alienâ domo, nobiſcum animo & factis verſari atque agere videretur.

Pari ſtudio curabat, vt cum hoc ornatu interiore congruerent, quæ gerebat exteriùs. Vultu eodem honorem intuitus, quo eum acceperat, ſuæ famæ numquam ſeruiuit; & honorantes tantùm non auerſabatur; Religioſo homine indignum ratus, veneratione delectari. Inuitarunt Patres Societatis initio ad Romanum Collegium, vt ibidem in Purpurâ primùm exciperetur: & tum ipſe, veritus poëſim, quæ, vti par alioqui erat, gratulatione fungeretur, componi aliquid de ſe, tametſi à præſtantiſſimis, prohibuit: impetrauitque à Collegij Rectore, vt materia carminis eſſet illud; *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.* Nec aliter interfuit; tam erat alienus, vt propriis adſiſteret laudibus. Tametſi verò ita gloriam fugit; extra inuidiam qui-

quidem,ſed non tamen extra gloriam fuit.

In omni vitâ leges Societatis, conſuetudineſq; vel minimas tam ſanctè coluit, vt optimis & perfectiſſimis exemplo eſſet. Menſem integrum quotannis, in Ædibus Quirinalibus Nouitiorum, ad S. Andreæ, pias commentationes, quas Exercitia vocamus, obiuit; & eo maximè tempore, omni genere pietatis prælucere aliis viſus eſt. Ingreſſus eam domum, ſtatim percunctari ſolebat, an quis fortè oblangueſceret; ſtudio inuiſendi, ſolandique; & multi arbitrati ſunt, eius precibus ſanitatem, imò & vitam aliquos, de quorum certo exitu Medici pronuntiauerant, à Deo impetraſſe. P. Octauium Lorenzinum reperit morbo ita graui afflictari, vt non Medici modò, ſed ipſemet Cardinalis, ſiniſtra ei & vltima metuerent; nihilominùs poſtquàm aſſederat aliquantulùm piis in alloquiis, meliora iudicia de illo ſenſim inire cœpit: ac poſtremò antequam emigraret, ægrum luſtrali aquâ perluens, adiectâ precatione ſalutari, ei vitæ ſpem pollicitus eſt: nec aliter poſtmodum euenit. Tempore exercitiorum degebat in ſuo conclaui ferè perpetuò, nec patiebatur, vt ſecretum conſilium & cauſam animæ meditanti aliquis parum tempeſtiuus interueniret, fraudaretque eo anni ſpatio, quod ipſi vacuum à curis atque ab Aulæ moleſtiis erat. Ne in

hortum quidem deſcendebat, vt captaret genus laxamenti neceſſarium his qui opere mentis fatigantur. Si quando libri alicuius deſiderio teneretur, numquam permiſit è Bibliothecâ ad ſe illum deferri; propterea quòd vetet lex, ne libri abſque veniâ indidem efferantur: & tametſi Rector hoc deprecaretur, ad communem Bibliothecam ibat, atramentarium eò circumferens, & calamariam thecam; dum interim ſupra modum Tyrones, hæc in Purpurâ fieri, mirarentur. Menſæ apponi non patiebatur cibos, niſi ſimplices, & qui abſque blandimentis expellerent famem; requirebatque illos menſurâ & conditione pares iis, qui pro communi triclinio parabantur, iuſſis redire integris, ſi quæ adferrentur exquiſitæ dapes. In Collegio Romano etiam, dum ibi aliquos dies Cardinalis habitauit, eâdem victus moderatione, & eodem quo ceteri ſtudiorum loco, nempe Bibliothecâ publicâ vti voluit. Aliquando cùm tonderi debuiſſet, ad domeſtici Tonſoris cellulam viſus eſt deſcendere, planè per gradus humilitatis omnes; quippe hoc adepturus, vt Sampſone feliciùs crinem ſimul minueret, & virtutem augeret; inhibuerat, ne ſicut mos & dignitas exigebat, Tonſor ad cubiculum accerſeretur. Occaſione eius annui ſeceſſus domeſticos adhortabatur ſubinde, & addebat

exemplo

exemplo vocem virtutis; quæ persuadebat mirificè vel ideò, quoniam facta simillima orationem comitarentur. Et tum quidem, inter septa illa tenerrimæ Societatis, quò adhærescerent firmiùs nouella germina solo supernæ vocationis, dixit aliquando: *Tot annos vixi in Religione, absque eo quòd scirem, quid mæstitia esset; & iam Cardinalis, quid lætitia sit, penitùs ignoro. Numquam Purpura mihi æquè visa est onus & miserum & graue, quàm cùm intellexi, quantò sit molestius eam fastidire, quàm accipere. Vestram hanc ego quietem amaui olim, & duxi, multò esse beatius ingemere studijs, Religionisq́ frangi oneribus, quàm Aulæ pompis & periculis interesse.* Interdum incitabat, vt assuefierent dicta maiorum capessere perinde, ac si per ea imperaret Deus; cùm diceret nullum nos indicium certius propitij Numinis habere posse, quàm si iubenti alacres obediuerimus. Atque vt ostenderet, à se minimè rem difficilem suaderi; adiecit, è Societate vnum sibi notum esse, qui constanter annos perpetuos XL. obtemperauerat: cùm se interim celaret, de quo id narrabat; sicuti deinde amico impensiùs roganti non penitùs id negauit. Grauiùs & vehementiùs loquebatur, dum adhortaretur eos ad contemptum amplitudinum, & neglectum sæculi huius ficti atque fallentis: quò illi perfectè muta-

rent ſtudia, ſedarentque omnem cupidinem vanitatum. Et tum, quoniam metueret, ne auctor huius rei parum idoneus iudicaretur; *Hæ veſtes purpureæ*, inquit, *inhærent mihi haud ſanè aliter, quàm trunco alicui, qui onus illarum habeat, expers verò ſenſus ſit, & nihil inde capiat vel emolumenti vel gloriæ: cùm obſtrictus ego ſim nihilominùs obligatione votorum, ſicuti anteà, & legum religioſarum omnium, quoad Purpuræ conditio permittit.* Aliàs auditus eſt, oratione item inſtitutâ de Mundi vanitate, poſtquam de dubio exitu Salomonis egiſſet, Regis ſapientiſſimi, hæc poſtremò diſſerere: *Veſtes, quæ me ornant, verè ærumnoſæ mihi ſunt & graues; ita vt eas quotieſcumque conſpicio, fleam.* Poſteà pileum purpureum capiti adimens, ac manu eum oſtentans, obortis lacrymis addidit: *In pœnam eorum, quæ in vitâ deliqueram, dedit mihi hanc Purpuram Deus.* & ſtatim ex inopinato abſoluit, relictis omnibus defixis in tantæ admiratione virtutis. Item, ex eodem loco verba faciens, dignum ſe dixit, cuius miſereſcerent potiùs, quàm cui inuiderent: quia ex quo Cardinalis fuerat, quęcumque in præſentiâ corpori aut animo ſuauia ſunt, ea diffluere à ſe omnia ſenſerat. Corporis verò iacturæ adſcribebat, quòd non poſſet interdum exhilarari inter fratres, & dulciſſimos ſocios, & cum eis, poſt diutinos labores ſtudiorum,

diorum, permiſſâ in loco, imò exactâ mutui ſermonis veniâ, aliquo tempore anni vſurpare ruris otijq́ue amœnitatem: vt hinc intelligeretur, quid ex ſuâ copiâ ipſe non caperet commodi, quid caperent illi ex ſuâ inopiâ: quam ipſe inopiam tranquilliùs olim, nec eodem animo, ac deinde amplitudinem illam tulerat. Ad iacturam animæ pertinere dicebat, quòd in eâ dignitate nihil comperiſſet, niſi quæ ſpiritum affligerent; & cognoſceret nihil eſſe præſtantius atque optabilius, quàm conſcientias hominum depoſitas curare, atque opitulari Deo pro eâ re poſcenti opem, non indigenti. In quo munere pio, tametſi Capuæ, triennio Archipræſul deſudauerat: nihilominùs, quâ erat modeſtiâ, æſtimabat noſtræ Societatis homines longè ab hac parte feliciores vel ideò, quia non vni tantùm loco anguſtam operam elocarent; ſed immigrarent ſæpè in regiones varias, vt ſaluti plurimorum obſequerentur. Sed cùm humilitatis ſint hæ poſtremę voces (ſiquidem Capuæ, & vbique magna moliri viſus eſt) primæ procul dubio voces erant veritatis; nempe ipſum, ex quo Purpuram induerat, reuocatum è medio tranquillitatis, omne illius religioſi laxamenti commodum, quod mentem à ſtudio hebetem reſtaurat, perdidiſſe. Teſtantur nimirum familiares eius, quàm parcè & quàm cautè

 commo-

commoditates admitteret; tantùm iis non exclusis, quas necessitas posceret. Ceterùm enim hoc habuit proprium, vt adderet rigoris aliquid semper ad vsitatas Religiosæ vitæ asperitates.

Non semel aduersâ valetudine, quâ fuerat tentatus, excussâ, relictus fuerat ita viribus attenuatis, vt moueri atque ingredi ægrè sufficeret. Tum hi, quibuscum ei vitæ consuetudo familiarior, rogare impensè, vt ferri sellâ gestatoriâ se permitteret, quoties pedem è Conclaui vel è domo efferret: sed numquam impetrarunt; tametsi è Cardinalibus *aliqui*, seu propter ægritudinem, seu propter senium, id passim agerent. Ægrotauerat fortè id temporis, cùm PAVLVS V. Pontifex auctâ beati Aloysij Gonzagæ veneratione, concessit Rem Diuinam ad Aras nominatim fieri, cum eius imploratione, tantùm in Ædibus Societatis. Aderat festi eius octauus dies, cùm ipse inuitatus antiquâ pietate erga Iuuenem sanctissimum, Medicos rogauit, potestatem facerent ituro quàm propè ad Collegij Templum. Sed cùm illi annuerent, modò ab aurâ defensus, & in gestatoriâ sellâ iret; potius habuit, voto suo fraudari, & carere solatio tam pio, quàm vti commoditate non vsitatâ, vel à Medicis imperata negligere.

In Tusculani propinqua rura, sicut & Tibur

bur ad Collegium Societatis eum Patres inuitarunt sæpè; cùm sit necessarium, vt dixi, interdum per honesti spatia laxare animũ studiis negotiisque fatigatum: labor enim, voluptasque dissimillima naturâ, nihilominùs societate quadã naturali inter se iuncti sunt. Sed initio Purpuræ, bis aut ter tantùm ad paucos dies, passus est induci se ad eam rationem iustissimi secessus. Deinceps, quoties rogaretur causam, cur abnueret eam, adferebat; nempe S. Carolo in more hoc olim non fuisse. Viginti annis totis, quibus Cardinalis vixit, ferè vtendas vestes alias non habuit, præter illas, quas à CLEMENTE VIII. Pontifice primùm acceperat. Indumenta detrita resarciri perpetuò iubebat; & manicas dumtaxat in eis mutari, si hæ vsui deficientes, aut nõ ita perfecti luminis forent. Rubram subuculam veterem, & æuo-laceram, numquã permisit sibi à famulis detrahi, vt indueret nouam; & cùm obiit, inuenta hæc est, instar centonis, assutis è vili panno frustulis minimùm octo; adeò triumphauit se paupertate suâ, clàm saltem, inuolui. Tibialia non erãt vllius operis, aut pretij; sed ex panno, vel ex pelle, nec suppositis lineis: mansitq; ita semiamictus, etiam cùm tibiæ nonnumquam vlcerosæ ingredientem pænè destituerent: etenim in Societate sine illis tegi anteà didicerat.

Inter induendum diu recuſauit Cubicularij opem;& is affirmauit, nec in pedis digito, nudum à ſe viſum Cardinalem Bellarminum, niſi cùm poſtremis annis pedes tantùm præbuit excalceandos, & tibias exuendas; cetera ſufficiens, quando cubitum ibat; & ſe deinde totum induens, manè cùm ſurgeret. Hieme aduerſus inclementiam Cæli vix muniebatur: & cùm à frigore ſupra modum excruciaretur, atque intumeſcerent ei manus acri gelu, villosâ manicâ ferè vſus numquam eſt; tantùm chirothecas induens, non vt minueret frigus, ſed vt tegeret in manibus ægritudinem. Hibernis menſibus, etſi lecto exiliebat multò ante primam lucem, ſibique parabat ipſe lumen, donec aurora eſſet; haud propterea in conclaui ſuo foculum ardere permiſit, priuſquam tempus audientiæ appeteret, idque ſolùm in gratiam adeuntium. Imò cùm P. Claudius Aquauiua ſuaſiſſet, ne ignem horis illis frigdiſſimis recuſaret; reſpondit, legiſſe ſe in Vitâ PII V. Sanctiſſimi Pontificis, foco eum caruiſſe: & idcircò malle eius imitationem ſequi. Idem teſtatus eſt Cardinalis Creſcentius in hæc verba: *Vir erat aduerſum ſe ſeueritatis tantæ, vt ſibi, ne in vltimo quidem ſenio, vllatenus indulgeret. Et cùm ab ipſo exigerem, vt duriſsimâ hieme aliquid neceſsitati daret; permitterétque, dum ſurgeret*

geret

geret ante auroram, focum in cubiculo instrui, respondit: Si hoc fiat, quandónam exercebit nos virtus Patientiæ? Aliquando postquam externi iam abierant, visus est è foculo suis manibus semiustulatos torres reprehendere, & custodire in sequentem flammam; tum vt posset incommodi aliquid pati, dum ita in Conclaui calor minueretur, tum vt non egerent inde pauperes. Quòd si Aulici hoc aduerterent, ad velandos fines virtutis in eâ parsimoniâ, petebat ioco; an non censerent ipsi etiam, esse contra leges hominis deparci, ligna ita prodigere? Mensa fuit hominis adeò temperantis & frugi, vt qui ad initia Purpuræ vltra nummos argenteos tres quouis die pro se impendi vetuerat, postmodum duos tantùm insumi præceperit. Verùm domestico obsonatori visum id immodicè parum; & ideò dicto audiens non fuit. Cardinalis tamen, quia de imminutâ sibi annonâ persuasionem habuit, merito non caruit apud Deum, qui solet etiam desideria munerari. Solemnibus prandiis & cœnis hæc apponebantur; vulgaris caro ter in hebdomadâ, patina pulmentarij, & pomum. Ad diem lunæ ouis tantùm vescebatur; ad Mercurij, Veneris, & Saturni, & per Aduentum totum ita ieiunabat, sicut in Quadragesimâ, & in diebus pro festis Sanctorum. Coëgit tamen is qui

ei à Confeſſionibus, vt poſtremis annis ſibi diem ſaltem vnum reſtitueret. In eâ ipsâ trium dierum inediâ, quam in hebdomade quauis cuſtodiebat ſponte, menſæ numquam accumbebat ante meridiem, & ſi quando à publicis negotiis domum ſeriùs reuertiſſet, prandium differebat, vt familia priùs curaretur: & poſtquam ea digreſſa per otium è triclinio erat, tum demum ipſe incipiebat; adeò familiare habuit, quibus ex Purpurâ dominabatur, iis ex modeſtiâ & demiſſione famulari. Hunc abſtinentiæ modum tenuit quoque in ſtatu aridæ ſenectutis; & quamuis defectu cibi noctes vigiles ſæpè traduceret, in veſperâ ſumebat dumtaxat fruſtulum cibarij panis vino perfuſi, & poſteà bibebat ſemel. Ceteris cœnis & prandiis, quando ſe plurimùm inuitabat, tertium hauſtum non excedebat. Nulli ferculo, cùm rectè parabatur, arriſit; vel monuit contrà, quid facto opus, ſi malè condîtum apponeretur: quippe cùm cibo non delectare palatum cuperet, ſed ſuſtentare naturam. Temerè interdiu nec bibit vmquam, nec ſumpſit potionis loco, quamlibet ob cauſam, frigida poma, vel è ſaccaro bellaria. Renuit quoque in æſtiuis caloribus ora perluere gelidâ, quam egereret ſtatim. In quâ laude mirâ conſtantiâ perſeuerauit ſex quoque menſes poſtremos, in quibus

bus valetudine permoleſtâ, ita vt ſiti propè inareſceret, tentatus eſt. Erant intereà ſolatio Martyrum exempla, quos propter copiam profuſi ſanguinis aiebat ſimillimos fuiſſe Chriſto Domino in Cruce ſitienti. Denique conuiualia oblectamenta non alia addita epulis, quàm prælectio libelli alicuius pij; qui animæ voluptatem miniſtraret, dum corporis conſulebatur neceſſitati.

Attamen hoc genus vitæ vſque adeò temperans, quod etiam duris iudicibus videri nimium poterat, ipſi Bellarmino viſum non eſt explere menſuram votorum; eò quòd cuperet adhuc magis imitari Sanctos illos, qui vt vim retractantem corporis perfectè reprimerent, carnem ſuam afflictationibus aſperrimis perdomuerunt. Cœpit aliquando ſolis nutrire ſe herbis & leguminibus; ſed repentè inſalubres cibi, alimento noxio in venas diffuſo, morbum ei crearunt: quare Medici iuſſere, vt parſimoniæ priori ſe redderet; cùm interim ipſe ſuſpiria traheret, & ad id pręſtandum vires maiores, aut ætatem minorem optaret. Hanc porrò viuendi rationem procul à deliciis, quibus ad ferendos labores remolleſcere animi ſolent, quia expertus in Societate, tum ad ſtudia idoneam, tum ad ſpiritus vigorem & ad corporis quoque incolumitatem aptam fuerat, coluit perpetuò: &

P 5 cùm

cùm foret genus quoddam necessitatis haud expers occultæ pœnæ; pœna erat ei magis grata, quia ceteris minùs nota videbatur. Nec enim ignoramus, eius studia fuisse semper, quas obiret frequentes corporis afflictationes, verbera, & ciliciorum asperitates, eas hominum oculis subtrahere; vt esset ipse spectaculo dumtaxat Superis ac Deo. Præter hunc modum frenos iniiciendi propriis cupiditatibus, quò faciliùs eas regeret; ostendit etiam, veluti eius artis Magister, quàm non victo esset animo, dum planè potens sui consuefecit inferioris hominis potestates, vt voluntati subiectæ penitùs parerent. Huius indicia fuere, nihil auersari eorum quæ insuauia euenirent, etiamsi ex iis forent, quæ statim eiicere homines, naturæ quodam impetu, nauseabundi solent. Quare non domi, non vbiuis locorum, si res è sententiâ minùs fluerent, in querimonias agi, atque inclamare famulos. Pedes fortè ei obcalluerant; & licet in dies molestia cresceret, non ideò sibi vitiatam cutem, & cum eâ dolorem adimi permisit: cùm diceret, acerbiora eos pati, quos purgatorius ignis & gehennæ cruciamenta, vel probant, vel puniunt. Caloris perinde patiens, ac de frigore narrauimus, sæpè visus est in cubiculo, vbi Sol æstiuus agebat perpetuum diem, circa meridiem sudore fluens,

fluens, atque æſtu languens, componere & ſcribere ad horas plures; in quo tamen cubiculo familiares eius hærere non poterant, quin ſtatim madore ſummo perfunderentur. Culices, ſicut & paruas alias animantes, veluti à Deo traditas pro exercitio patiendi, vultu miti tolerabat; ita vt nec ipſe oppoſitâ manu, neque excientes ventulum alij eas abigerent.

Cardinalis Creſcentius refert, Bellarminum, veluti patientiæ victimam, muſcas à vultu ne depellere quidem ſolitum fuiſſe; tametſi odioſæ nimiùm eſſent, ſicuti Romæ in æſtu ſolent: cumque hoc mirarentur hi qui aderant; tum ipſe ſuauiter, haud æquum videri dixit, perturbare animantes illas, quibus non ſupererat Paradiſus alius, quàm volitandi ea libertas, ac poteſtas, vbi libeat, morandi.

Capita hæc rerum in vnum congeſta, ſicut indicant ſatis, eum ita comparatum fuiſſe, vt ad omnia, quæ obuenirent, poſſet vſurpare illud; *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti:* ita prudentibus rerum æſtimatoribus Bellarminum quaſi virtutis miraculum quoddam perenne ſubſtituerunt. Ea verò res gloriam Societati plurimùm auxit: ſiquidem Cardinalis Bellarminus, à multis appellabatur *Ieſuita* tantùm à ſuis in Purpurâ

va-

varians; videlicet vt is,qui vestem dissimilem, cetera Societatis tenuerat. Aula item vniuersa, nata Virorum Illustrium factis censendis æstimandisque, sicut & vulgi persuasio, longè duxit admirabiliorem hanc innocentię semel initæ & numquam imminutæ laudem, quàm Sanctitatis lumen aliud magis clarum; idque postrema ægritudo eius, & mors egregiè confirmauit.

CAPVT IV.

Quâ ratione disposuerit domum, & familiam ordinarit.

STatim atque Bellarminus Cardinalis fuit; adlecto in Oeconomum Petro Guidotto, quem ab integritate & à prudentiâ cumprimis nôrat, iniunxit ei, vt consultor nauus & industrius eorum omnium esset, quæ necessaria domi forent. Illud verò & hoc initio, & semper deinceps memorauit; se non Dominum annui census, sed esse eius distributorem tantùm; eiusque negotij religionem & conscientiam omnem se in illum reijcere. Pro se verò poscere cibi ac potionis modum necessitate finitum, non voluptate; pro familiâ victum decentem: & pro eâ velle ita disponi, vt nihil abundaret, nihil deesset. Paruit Oeconomus, & in coëmendis iis quæ sufficerent

desi-

desiderio domus, imitatus moderationem illam est, quam sibi Cardinales aliqui parsimoniæ maioris, & clarioris probitatis, Romæ præscripserant. Posteà rem omnem cœpit ad trutinam æqui librare primùm meditatione suâ: & de eâ mox aliquot Patres Societatis inspectæ prudentiæ consuluit; quò ita constaret ei, num aliquid paupertati Religiosæ parum congrueret. Sed nec visa sufficiens est inquisitio ea tam diligens: proinde cuncta quæ habuit domi vtenda, retulit in syngrapham, & ad P. Claudium Aquauiuam Generalem Præpositum transmisit, postulans ab eo modum argento, supellectili, familiæ; vt hæc essent, non tam pro gloriâ Purpuræ, quàm pro inopiæ voto, quo se obstrinxerat in Societate.

Ille singula æstimauit, laudauit omnia; tantùm interpretatus est rem documenti maioris, si sellas cubiculi ex holosericò villoso instrui non permisisset. Cardinalis vix hæc audiit, cùm imperauit, vt quatuor, quæ solæ erant eius ornatus, diuenderentur; atque ideò sedes aliæ cultu simplici, & pretij ferè vulgaris, earum loco emptæ fuerunt.

Exemplum similis notæ, quam tradidit mihi exceptàm è Cardinalis scripto is qui ei à Confessionibus, quia continet, quo pacto se & familiam aleret, consultò, vti modestiæ parsimo-

ſimoniæque ipſius indicium magnum, hoc loco referam. Ita verò incipit:

Ad victum, veſtitum, Sacrificium, & quæ ſunt huius generis, ferè nihil eſt additum. In familiâ numerantur capita circiter triginta quinque; octo ſufficerent, vel decem: ſed quæritur, an citra decorum Purpuræ, poſsit comitatus imminui. Ex his deni ſunt honeſtæ conditionis, quindeni infimæ ſortis; ceteri honeſtioribus famulantur.

Tres rhedæ ſunt: nam equorum ſæpè aliquis æger eſt, & equi coniuges ac pares ægrè ac vix longo tempore inueniuntur. Rhedæ verò minimùm duæ, vt frequentari poſsint publica munia, requiruntur.

Supellex eſt tenuis, & priuatæ elegantiæ. Nihil ex argento præter candelabra, guttum, polubrum, cochleariola, & fuſcinulas. Cibi vaſis fictilibus miniſtrantur; ſellæ intectæ omnes corio. Aeſtate pellibus pictis cubicula tria, hieme tantùm duo belluatis periſtromatis, ſed vilibus veſtiuntur.

Annui redditus diuiduntur, vt familiam alant; vt ſalaria diſpenſentur; eos, qui à pedibus, veſtiant; ſoluant pro conductâ domo. Ex his quæ ſuperant, datur Conſanguineis aliquid, vt minùs egeant: reliqua, vel cedunt pauperibus nutriendis, iuuandiſq́;, vel Eccleſiæ ornandæ; in ærarium ne aſsis quidem infertur.

Ex

Ex hac ſubductâ familiæ, expenſarumque, & vtenſilium notâ, rei ſuæ diſpenſator fidelis & prouidens videri poteſt. Sed quia meditabatur aſſiduè, num re aliquâ poſſet carere, quadam die veſtem vnius cubiculi è purpureo panno parietibus detraxit, miſitque ad Domum Profeſſorum noſtræ Societatis, ne deeſſet Patribus, quo in hieme tegerentur: iuſſitque, vt ex eo noſtris ſubuculæ thoraces fierent; cùm diceret, ſpoliatos parietes ſenſum, vt algeant, non habere, quemadmodum habent ij qui Deo famulantur. Imò vt ad occaſiones varias affirmauit, detrahere voluiſſet e cubiculis cultum omnem, & nudis parietibus habitare; ſi Cardinales aliqui antiquiores, & primæ auctoritatis hoc egiſſent: nam id ipſe veritus eſt inchoare, ne res ea ſermones, ſicut omnis nouitas, pareret; & ne ob nimiam, & fortaſſe ſuſpectam ſeueritatem aduerſus luxum, ab aliquibus inceſſeretur. Saltem cubiculum, in quo habitabat vltimis ædibus, cùm ornatu nullo tegeretur, ſuum illud appellabat; & cetera hoſpitibus ſeruire, vel Purpuræ, aiebat. Accidit, vt prouentus, quos percipiebat è *Prioratu* ſancti Andreæ cis Alpes, poſtremis annjs cœpti ſint admodum imminui. Quare cùm nequiret eoſdem ſumptus domi ſufferre; aliqui conſilium dedere, vt imponeret eleëmoſynis modum.

modum. Verùm ipſe ne vel obolo fraudaret pauperes, potiùs rhedam vnam, vnum cubiculi adminiſtrum, vnum à pedibus, vnum à Sacris ex familiæ albo ſuſtulit. Atque ita non deſeruit antiquam artem benefaciendi.

Domum regebat Parentis more, numquam declinans in alterutram partem, aut largitatis nimiæ, aut nimiæ parſimoniæ; ſalaria multò ante diem ſingulis repræſentabat; famuli à pedibus bis quotannis veſtiebantur ſimili panno, & donabantur ſemper antiquis veſtibus. Aduersâ valetudine ſi qui corriperentur, aderat eis Medicus idem, à quo Cardinalis curabatur: cuius etiam expenſis è Tabernâ medicamentariâ eis pharmaca miſcebantur; atque eoſdem ipſe commiſeratione ſummâ idemtidem inuiſebat. Donaria etiam, ſi quæ mitterentur ex his quæ ad rem cibariam ſpectant, diſtribuebat in familiam. Exigebat porrò ætatis maturitatem, præter mores & virtutem annis parem, in iis quos admittebat ad ſui famulatum. Quod cauſæ fuit, vt adnumerare inter Aſſeclas ſuos, præter alios, noluerit iuuenem nobili genere, quem primùm nouerat Ferrariæ; cùm nimirum ei ætatis honor deeſſet. Vitia, quæ in Aulicis ſuis conſtanter abominatus eſt, præcipua fuerunt, quæ aliis ſunt offendiculo; nempe in Deum & Cælites impiæ voces, labecu-

læ

læ vel minimæ contra caſtitatem, vetitaque alearum genera. Quæ quidem omnia exoſus eſt adeò, vt qui ſe eis polluerent, ſcirent certò, ſe ex familiâ excidiſſe. Ad hæc adiri ſe mendaciis non patiebatur: abſtinebant etiam omnes à fallentibus verborum ambagibus, quas ille concoquere, vti alienas artes ab ingenio ſuo, nequibat; & ab hac parte ſeuerus, cetera lenis ac facilis habebatur. Modum veſtibus eorum non præſcripſit; ſed tantùm indicauit, ſibi gratius fore, ſi byſſo non vterentur; vt autem eſſent magis probi, has leges omnibus propoſuit:

Interſint omnes Sacro quotidie, ac Dei Sanctorumq; implorationi: etiam quotidie bis nixi genibus orent; manè ſemel cùm euigilant; iterùm veſperi, quando cubitum eunt: interdiu Roſarium recitent, aut ſimiles preces.

Animum exomologeſi ſingulis menſibus ſemel minimùm expient: ſacram Synaxim ſaltem ſumant feſtis diebus Chriſti Domini Reſurgentis, Pentecoſtes, Virginis Annuntiatæ, Commemorationis Omnium Sanctorum, Natalis Domini, & Purificationis B. Virginis.

Doctrinæ Chriſtianæ compendium, ſi qui non didicere, tradant illud memoriæ. Aduerſus Deum & Sanctos atrocia dicta, & periuria deteſtentur. Omnibus ignorent modis, tam dicere quod turpe dictu, quàm quod factu inhoneſtum

frequẽter esset communis obligationis; quoniam metueret, ne quis fortè pietatem fingeret; & quoniam nouerat quantum Aula & Religio differant. Sic publicè instituens omnes, tum demum se eorum Dominum existimabat, quando sciret Cælesti Domino perfectè eos obtemperare. Sed & prætereà si cognosceret priuatim in aliquo mores notari, emendationem præparans, non ad reprehensionem statim ferebatur: sed temporis ac loci captans opportunitatem, clàm aliis, eos qui peccauerant, admonebat quàm lenissimè; non plura addens, quàm quibus rem exponeret. Ea verò lenitas profuit ad corrigendum magis, quàm profuisset obiurgantis seueritas; præsertim cùm adderet, se perinde atque amicos eos velle commonitos. Ex hac modestiâ non modò illi verecundabantur vehementiùs, quàm ex obiectu ipso criminis admissi; sed erudiebantur etiam, vt certatim essent inuicem obsequiosi: id quod cupere se indicauerat sæpè, & monstrauit apertè occasione quam narro. Eum adiuerat vnus è famulis, cuius munus erat domi mensam apparare; & querimoniarum plenus, doluerat, datam sibi mulctã, vt careret triclinio, & communi epulo, propterea quòd erga Præfectum mensæ officij terminos exuisset. Cardinalis adiudicauit pœnæ: & hominem redarguens,

Si honeſtiores, inquit, Aulicos meos conſueui egomet revereri, patiárne ergo infimæ familiæ eos eſſe contemptui? Pòſt vbi culpam obiurgatione hac perſtrinxerat, pœnam remiſit. Queſtum verò eum hominem reor; quia erat inuſitatum ex eâ familiâ quemquam pœnis mulctari, ſiue hoc defugeret ipſa Heri lenitas, ſiue talia non ferret laus diſciplinæ in iis famulis, qui cùm nihil contra morem cuperent, nihil etiam per metum prohibebantur.

Ex hac benignitate Cardinalis, & Aulæ viciſſim inſtitutione optimâ oriebatur, vt rari dimitterentur, vel emigrarent ſponte; ſiquidem omnes poſtquam in eius ſe familiam dederant, certâ erant perſuaſione, viuendum ibi eſſe perinde, ac ſi in Religioſo aliquo, & à prauis documentis alieno loco verſarentur. Et meritò ita iudicabant; cùm viro deſeruirent, qui ſatis intelligeret, eſſe Domini in eo culpam, ſi domeſtici modum excederent: imò ſi peccarent ij, fore ſuæ Aulæ mala æquè grauia, non æquè excuſata, propter ætatem, & Religionem quam profitebatur. Ideò nullus ſeruorum erat in totâ domo, qui non penſi haberet, quid coram tam pio Domino aut diceret, aut faceret: dum parte ex aliâ, quæ ſeruiendo quis interdum peccaret indiligens, id ab eo toleraretur indulgentiâ ſummâ. Accidit

dit anno Sæculari M. DC. vt à ſolemni ritu Veſperarum in Templo S.Petri quadam die deberet ipſe ad Palatium, vnà cũm Cardinalibus aliis,deducere Pontificem. Toga purpurea, & candidis ſuffulta villis requirebatur: quam famulus à pedibus, cùm interim obdormiſceret,ad eum ſeriùs attulit. Cardinalis adæquè ſui potens, quaſi neſciret iraſci, & vultum indiciis nullis varians, ſemel tantùm, toga vbi eſſet, interrogauit. Tum Ioſephus Vignaneſius cubiculi Præfectus, & eius conſanguineus,vt officij admoneret ceteros, ſtatim è familiâ hominem ſepoſuit. Ea tamen ſeueritas Cardinali parum arriſit: idcircò lenitate indignationis locum occupante, permiſit vt ille poſt dies pauculos rediret; ratus eam aliquot dierum abſentiam ſatis eſſe, ad familiæ exemplum pariter, atq; ad exiſtimationem alterius tuendam, qui hominem ſepoſuerat. Verùm hæc patientia eius, Aulicos reddebat intereà imparatos ad obſequiũ; præſertim quia non ita erat facile ſtatis horis, aliquando circa auroram ei adeſſe: tam ille properè inueniebatur promptus ad ea quæ deliberauerat pridie, cùm diſponeret diem. Attamen quoties neceſſe habuit opperiri famulos; quia conqueri de eis non conſueuerat, idcircò illi accedebant ſecuri,nec metuebant, ne fortè ægri aliquid ab eo audirent. Ali-

quando cùm Cardinalium consessum nescio quem dimitti celeriùs contigisset, asseclas suos expectauit diu; & vbi aduenerunt, neque de absentiæ causâ, neque de morâ eos postulauit. Quam eius modestiam, & silentium, nemo in familiâ erat, qui lentæ naturæ tribueret, & nō adscriberet potiùs virtuti. Quia vnusquisque nouerat, eum ab ingenio præferuidum esse. Sæpè enim, cùm Dei vel Ecclesiæ causa vrgeret, studio magno accendi, micare oculis, & ardere vultu toto visus fuerat; tametsi mox colligeret se, & iustissimam iram sineret languescere sensim, ac redire lenitatem.

Contrà non impediti sermonis, sed planè disertus & eloquens erat, quando eorum in se benè collocari officia animaduertebat: nā ea libenter commemorabat, & gratias referebat etiam, oblitus ferè se Dominum esse. Si quid cuiquam subinde onerosius præciperet, eum pro inopiâ suâ remunerabatur; vt saltem illi gratum animum suum exprimeret. Affirmant generatim omnes, neminem cuiusuis conditionis ab eo esse pro imperio appellatum; rogabat enim, aut indicabat, fore sibi gratum, si hoc nimirum, si illud agerent: & cùm aliquò mitteret quemquam alienis horis, siue imbres essent, siue æstus nimij, pro eo statim rheda parabatur. Sacerdotibus, si qui

qui Templo alicui operam deberent, potestatem faciebat, suo etiam cum incommodo, vt horis constitutis interessent muneri pio. Item, vt ei qui ab epistolis scribendi onus minueret, ipse litterarum magnam partem exarabat, & tradebat illas ei tantùm obsignādas. Latinas ferè omnes concipiebat: & ex iis quoque solùm exscribi eas sinebat, quæ pingi meliùs deberent, & ad Principes destinari. Demum aliâ re nullâ se Dominum inter eos ostendebat, quàm excellentiæ notâ, & quadam præstantiâ virtutis, quâ inter eosdem eminebat. In his quæ sunt reliqui, semper ceteroqui paratus inueniebatur exequendis iis, quæ famuli suggererent. Badinus Nores, qui Præfectus Cubiculi eius vltimo septennio fuerat, reputans quàm soleret properè Cardinalis deferere omnia, cùm admoneretur adesse aliquos, qui spatium sermoni orarent; habuit pro re compertâ, ipsum, vt obedientiæ merito non careret, deliberasse famulis suis obtemperare; quoties in his quæ ad eorum spectarent munia, etsi non pro imperio, deuocaretur. Cubiculi Administer Augustinus Mongardius, qui ei deseruiuit ad obitum vsque, ferè sine obseruantiæ modo, simplicissimè cum eo loquebatur: monebat, moueret se loco, assurgeret, adduceret se aliò; expertus ad eiusmodi nutus & voces num-

quam lentas Cardinalis aures. A primis tenebris vesperi Aulicos suos à custodiâ cubiculi liberos fecerat, vt singuli se ad sua referrent. Et ab eo tempore, si necessariò quis ipsum adiret, adpositum in mensâ lumen accipiens, per intermedia cubicula, abeunti prælucebat; atque ita ipse Cardinalis & Dominus, sponte suâ, & ex modestiâ, nihil à famulorum imitatione cessauit. Sperare ab eo Aulici & Asseclæ eius opulentos & magnos redditus Ecclesiasticos non debebant; tum quia eorum ipse ferè indigens erat, tum verò quia deliberauerat Capuæ beneficia non ad alios, quàm ad ipsos Patriæ Clericos, vt infrà subdam, transferre, quoties propter aliorum obitum vacarent. Idcircò, præter salarium & cibaria, quibus ipsos domi sustentabat, solùm eis annuam pensionem, decisam ex suismet redditibus, dedit: & fuisset conatus maiora, si par animo facultas hoc permisisset; aut certè nisi credidisset, viuere libenter paruo animum, cui timor Dei thesaurus est.

CAPVT V.

Quæ Consilia CLEMENTI VIII. *Pontifici dederit.*

DIxerat Cardinali Bellarmino sæpiùs CLEMENS Pontifex, ad Purpuram se illum

illum deuocasse propterea, vt haberet apud se vocem virtutis; à quâ nimirum, inter voces fallentes adulantis Aulæ, veritatem securus audire posset. Proinde iniunxerat ei, moneret seriò, si quid aduerteret, pro Ecclesiæ bono debere rectiùs & consultiùs agi. Has voces, sicut mandata omnia Pontificis, Bellarminus venerans, cùm etiam intelligeret Cardinales hoc munus cum Purpurâ induere, vt suo iudicio res probare ac improbare, & non pendere ex alieno vultu seu nutu debeant; paruit iubenti: atque vsus eâ rarâ moderatione Principis, apud quem videbatur fore gratior oratio singula monentis, quàm silentium cuncta aut pleraque damnantis; scripturam circa Pontificis munus præcipuum concepit, & eam CLEMENTI quàm demississimè transmisit. Optimi Consiliarij monita prono & auscultante animo audiuit Pontifex, atque in eius scripturæ margine per capita fere singula, scripto item suo, adiecit quædam, partim vt se expurgaret, partim vt ostenderet, se aures monitori submittere, & contestari angustias animæ suæ.

Vtramque scripturam interseram hoc loco, verbis ijsdem, ne oracula contingat, aliter atque accepta sunt, reddi: & ne à priuati Scriptoris oratione molliùs fortè sonus maiestatis referatur, quo cum egerunt inter se Viri duo

ſummi; alter in Eccleſiâ nemini dignitate, alter nemini doctrinâ ſecundus. Incipit Bellarminus:

Summus Pontifex triplicem gerit in Eccleſiâ Dei perſonam: eſt enim Paſtor, & Rector Eccleſiæ vniuerſæ; eſt Epiſcopus Vrbis Romæ proprius; eſt Princeps temporalis Eccleſiaſticæ ditionis. Sed inter omnia eius officia primum locum tenet ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Hoc enim eſt primum, ſingulare, maximum. Primum quidem, quoniam Apoſtolus Petrus multò antè factus eſt Paſtor totius Dominici gregis, quàm Epiſcopus Antiochenus, vel Romanus. Singulare autem, quoniam multi ſunt alij Epiſcopi nobiliſsimarum Ciuitatum, multi quoque Principes temporales; ſed Pontifex Orbis terrarum, Chriſti Vicarius Generalis, Paſtor vniuerſalis Eccleſiæ, ſolus ipſe eſt. Denique maximum, quia Epiſcopatus Vrbis Romæ ſuos habet definitos limites, eoſq́; ſatis anguſtos, vt eſt etiam Principatus Eccleſiæ temporalis: at Summus Pontifex nullos habet in Orbe terrarum limites, niſi quos ipſe Orbis terrarum habet.

Porrò officium hoc tam antiquum, tam magnum, tam ſingulare, tam proprium ſibi, tam neceſſarium Eccleſiæ, facilè poterit Summus ipſe Pontifex implere; ſi Eccleſiis ſingulis bonos Epiſcopos præficiat, eoſq́; ſuo muneri ſatisfacere curet, &, ſi opus ſit, cogat. Siquidem boni Epiſcopi

pi bonos eligent Parochos, bonos Concionatores, bonos Confessarios; itaque animarum salus, nisi per ipsos steterit, in tuto erit.

At si fortè negligentiâ Episcoporum, vel Parochorum, aliquæ pereant; sanguis earum de manu Pastorum particularium requiretur. Summus autem Pontifex animam suam liberabit; quippe qui fecit, quod suum erat, ne perirent. Sin autem Summus ipse Pastor Ecclesiis particularibus, vel Episcopos dederit minùs bonos; vel vt ij fungerentur munere suo, non diligentem operam dederit; tunc sanè animarum illarum sanguis de manu Pontificis Maximi requiretur.

Hæc me consideratio ita vehementer exterret, vt nulli hominum magis ex animo compatiar, quàm Summo Pontifici, cui plerique omnes inuidere solent. Nam S. Ioannes Chrysostomus, magno cum animi sensu, scribit, paucos ex Episcopis saluari; propterea quòd difficillimum sit tot animarum sibi creditarum bonam rationem reddere. Neque blandiri nobis debemus de bonâ conscientiâ, de rectâ intentione, de sanctis operibus; cùm Apostolus Paulus dicat: Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum. *Quare fretus Apostolicâ benignitate deponam in sinum pientissimi Patris, seu potiùs ad pedes eius, scrupulos meos, qui me, vt verum fatear, quiescere non sinunt.*

Ad

Ad hoc exordium Bellarmini Pontifex, *Hoc quoque nos terret*, inquit: *ſed cùm corda hominum ſoli Deo pateant, nec poßimus nos niſi homines eligere; duo interdum exempla nos conſolantur. Primum, quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus elegit duodecim Apoſtolos, præuiâ pernoctatione in Oratione: quod neſcimus an in aliâ occaſione fecerit; & nihilominùs inter illos electos vnus fuit Iudas. Aliud exemplum eſt, quòd duodecim Apoſtoli, pleni omnes Spiritu ſancto, ſeptem elegerunt Diaconos, inter quos vnus fuit Nicolaus, tam inſignis poſteà Hæreticus. Quæ exempla pro ſuâ infinitâ bonitate putamus Deum Omnipotentem, pro conſolatione Eligentium, in Eccleſiâ reliquiſſe.*

Pergit Bellarminus: *Videntur igitur mihi ſex quædam res eſſe, quæ reformatione indigeant, nec ſine periculo negligantur. Prima res eſt diuturna vacatio Eccleſiarum; de quâ re exſtat Epiſtola S. Leonis ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, in quâ iubet ſine morâ prouideri Eccleſiis, ne gregi Domini diu deſit cura Paſtoris. Extant quoque plurimæ apud S. Gregorium Epiſtolæ, in quibus admonentur ij ad quos ſpectat electio, quàm citiſſimè Paſtorem vt eligant. Et ſi fortè neceſſaria fuiſſet aliqua mora, conſueuerat idem Pontifex vacantem Eccleſiam commendare vicino Epiſcopo, non ad fructus percipiendos, ſed ad ſollicitudinem*

eius

eius Ecclesiæ interim gerendam. Itaque studebant sanctissimi illi prudentissimiq́; Pontifices continuò vacantibus Ecclesiis prouidere, ne Rei efficerentur animarum, quas ob defectum Pastoris perire contingeret. Difficile enim esset paucis explicare, quantum detrimenti capiant Ecclesiæ viduatæ; in qua vitiorum abrupta se Grex præcipitet, dum caret Pastore; quantum siluescat Vinea Domini, dum caret Agricolâ.

Pontifex ad hæc, *In hac primâ re*, inquit, *siue in hoc primo capite fatemur nos peccasse, & peccare. Sed plerumque in causâ est difficultas inueniendi viros idoneos. Et quamuis sæpè multi nobis proponantur, cùm per nos ipsi nequeamus sumere informationes, & cùm aliquando experti simus, illos, quibus hanc curam demandauimus, nos decepisse, vel ipsos ab aliis deceptos fuisse, tutius interdum putauimus, memores sententiæ S. Pauli,* Manus citò nemini impoſueris, *differre, ne deciperemur. Tamen recordamur tempore Magni Gregorij fuisse Ecclesias, quæ diu vacabant; & hac de causâ solitum fuisse vni Episcopo. aliam Ecclesiam non suam commendare, vt interim curam illius haberet.*

Rurſus Bellarminus: *Secunda res est*, inquit, *promotio minùs vtilium Prælatorum; deberent enim prouideri Ecclesiæ de bonis personis, non autem personæ de bonis Ecclesiis. Fateor tamen optimam illam esse prouisiònem, cùm*

vtrumque

vtrumque simul fieri potest, vt & personæ benè merenti, & Ecclesiæ vacanti vtiliter prouideatur. Ac vt alia nunc præteream, Concilium Tridentinum affirmat, peccare mortaliter eos omnes, ad quos quocumque modo spectat Episcoporum promotio, nisi eos præficiendos curauerint, quos Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint; quæ est communis Doctorum sententia. S. Gregorius rectum ordinem esse dicit, vt quærantur homines ad Episcopatum, non vt quærant homines Episcopatum: & S. Bernardus, Qui pro se rogat, *inquit*, iam iudicatus est. *& infrà:* Cunctantes & renuentes coge, & compelle intrare.

Subiungit Pontifex: *Scimus hoc; & quantum in nobis est, semper præ oculis habemus, prouidere Ecclesiis, non autem personis; nisi quando & Ecclesiæ & personæ æquè nos prouidere putamus. Sed prima & maxima ratio Ecclesiæ habenda est. Sententia, quam affert, vera est: sed si de dignioribus est agendum, numquam prouidebitur Ecclesiæ; quia nescimus modum, quem tenere poßimus, vt sciamus, quis dignior sit. Quoad ipsos Episcopos, hoc etiam nos torquet, quia si nolimus dare Episcopatus petentibus, vel his qui nobis ab aliis proponuntur, nescimus quomodò poterimus Ecclesiis prouidere, præsertim Ecclesiis non ita magnis, & modici redditus. Si Dominatio vestra scit aliquem modum,*

dum, libenter audiremus, & amplecteremur. Multa enim possunt, & quidem verè dici; sed cùm ad praxim deuenimus, in magnas incidimus difficultates.

Bellarminus item, *Tertia res*, inquit, *est absentia Pastorum ab Ecclesiis; quid enim prodest idoneum eligi, si non resideat? nam oues suas agnoscere, easq; Sacramentorum administratione ac bonorum operum exemplo pascere non possunt, qui gregi suo non assistunt, vt per se notum est. Inter hos numerantur Episcopi, qui Nuntios Apostolicos agunt, quorum aliqui per annos multos Ecclesias suas non viderunt. Nonnulli, relicto ministerio pascendi animas sibi creditas, Magistratum politicum gerunt. Multi, relictis ouibus suis, Romæ iis in rebus occupantur, quæ per alios commodè fieri possent. Fateor quidem, aliquos Episcopos à residentiâ per obedientiam excusari; neque illud inficior, Summum Pontificem certis de causis, atque ad tempus Episcopos aliquos à residentiâ eximere: sed nescio an Deo placeat, vt tantus numerus Episcoporum, tam longo tempore, cum tanto animarum detrimento, à propriis Ecclesiis absit; quos certè suo muneri satisfacere non posse perspicuum est.*

Pontifex ad ista: *In hoc fatemur*, inquit, *nos peccasse, quia nimis facilè indulsimus Episcopis, vt possint Romam venire, & difficilè Româ*

mâ dimittuntur. Anteà, si Dominatio Vestra velit recordari, longè pauciores residebant. Quoad Nuntios; putamus decentissimum esse, vt Nuntij sint Episcopi, quia Episcopis imperant, & maioris auctoritatis sunt, quàm Principes, & Populus: & nisi tantâ hominum penuriâ laboraremus, citiùs eos mutaremus. Quoad eos qui politicos Magistratus gerunt, non est hoc tempore in Statu Ecclesiastico nisi vnus aut alter, & tam propè ad suum Episcopatum, vt quouis die, nedum quauis hebdomadâ, possit esse in suâ Ecclesiâ, & ferè quauis horâ in suâ Diœcesi. Reuerà nos non nisi Nuntios diu absentes retinemus, quorum mutatio ob magna & periculosa negotia facilè fieri non potest.

Bellarminus iterùm, *Quarta res,* inquit, *est polygamia spiritualis; cùm videlicet vni personæ plures Ecclesiæ committuntur. S. Bernardus in Epistolâ ad Comitem Theobaldum rem totam tribus verbis absoluit, cùm ait, id non esse licitum, nisi dispensatoriè ob magnam Ecclesiæ necessitatem. S. Thomas scribit beneficiorum præsertim Curatorum multiplicitatem, non solùm contrariam esse Iuri Canonico, sed etiam Iuri naturæ: non quòd ita sit intrinsecè mala, vt nullo modo honestari possit; qualia sunt adulteria, mendacia, & similia: sed quòd absolutè mala sit; possit tamen ob certas circumstantias honestari, vt ob Ecclesiæ necessitatem. Ex quo colligit*

ligit idem S. Thomas, eum qui ex dispensatione duas Ecclesias habet, non esse tutum in conscientiâ; nisi causa illa adsit, nempe Ecclesiæ necessitatis, vel certè maioris vtilitatis; quoniam dispensatio non tollit, nisi vinculum Iuris positiui: & hanc S.Thomæ doctrinam omnes Theologi probant. Quare timendum est, ne forte non sint in conscientiâ tuti, qui aliquando duas Ecclesias habent, vnam Cardinalitiam, alteram non Cardinalitiam. Causa enim, cur Episcopis Cardinalibus duæ permittantur Ecclesiæ, non videtur esse necessitas vel vtilitas Ecclesiæ, sed maior personæ dignitas vel commoditas.

Denuò Pontifex, *Quoad istam polygamiam,* inquit, *ea interdum est solùm in istis sex Episcopatibus Cardinalitiis, circa quos nihil mutandum duximus, cùm à Prædecessoribus nostris, etiam post Concilium Tridentinum, res hæc examinata fuerit, & ita constituta. Et turbare ordinem Collegij, & redarguere facta Prædecessorum nostrorum, & tot Cardinalium, non visa fuit nobis res quæ sine scandalo fieri possit.*

Quinta res, inquit idem Bellarminus, *est facilis translatio Episcoporum de vnâ Ecclesiâ ad aliam. Translatio enim Episcoporum, secundùm Canones, atque vsum veteris Ecclesiæ, non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatẽ, vel maiorem vtilitatẽ. Neq; enim instituta sunt Ecclesiæ*

R *propter*

propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias. Nunc autem quotidie translationes fieri videmus, eâ solùm de causâ, vt Episcopi vel honore vel opibus augeantur. Proptereà notum est ex cap. Inter corporalia, de translatione Episcoporum, vinculum matrimonij spiritualis esse aliquomodò maius, quàm vinculum matrimonij corporalis; & ideò non posse solui, nisi à Deo, siue à Vicario Dei declarante voluntatem Domini sui. Quis autem credat velle Deum, vt ob solum temporale lucrum, vel honorem, vinculum huius sancti coniugij dissoluatur? Præsertim cùm id sine detrimento animarum fieri nequeat, vt experimentum ipsum docet. Neque enim Episcopi Ecclesias diligunt, quas breuì se deserturos sperant, vt ad alias commodiores transeant.

Nos, inquit præterea Pontifex, *cum difficultate transferimus, & non defuimus monere Principes per Nos, & per Nuntios nostros.*

Sexta res, subdit vltimo capite Bellarminus, *est Episcopatuum resignatio sine legitimâ causâ: nam si tam est arctum ac penè insolubile vinculum inter Episcopum & Ecclesiam, vt Canones docent; vnde fit, vt tam facilè vinculum istud quotidie solui videamus? Alij retentis fructibus Ecclesiam resignant, ac si quis vxorem repudiet, & dotem retineat. Alij diuites ex redditibus Ecclesiæ effecti, renuntiant Episcopatui,*

tui, vt ad maiora ſibi viam aperiant. Alij nepotibus Sedem renuntiant, vt ſpecie renuntiationis poßideant Sanctuarium Dei. Alij malunt in Romanâ Curiâ Referendarij eſſe, vel Clerici, quàm extra Curiam Sacerdotes Magni. Denique alij cauſantur aëris inſalubritatem, alij prouentus exiguos, alij populi proteruiam. Sed Deus nouit, an iſtæ iuſtæ ſint cauſæ reſignationis, & vtrùm eiuſmodi Epiſcopi quærant quæ ſua ſunt, an quæ Ieſu Chriſti.

Nos, vltimò item inquit Pontifex, *reſignationes difficillimè admittimus, non niſi examinatis cauſis in Congregatione rerum Conſiſtorialium, & aliquando admittimus ob ineptitudinem reſignantium.*

Demum addit in fine Bellarminus: *Hæc ſunt, Beatißime Pater, quæ mihi hoc tempore ſuggerenda Sanctitati Veſtræ eſſe videbantur; vt conſcientiam meam hac in parte exonerarem. Quæ ſicut à me ſincero animo ſcripta ſunt; ita benigno vultu vt à Beatitudine Veſtrâ legantur, cum omni reuerentiâ & demißione etiam atque etiam precor.*

Poſt hæc CLEMENS etiam ipſe in verba deſinens, quibus videtur è Maieſtate deſcendere ad Chriſtianam ac Pontifice dignam humilitatem: *Hæc paucula*, inquit, *ita curſim diximus, non ad excuſandas excuſationes in peccatis; ſed vt ipſa potiùs miſereatur diffi-*

cultatibus, quibus impliciti in has ærumnas incidimus. Fatemur enim, nedum in istis, sed in aliis multis nos, imò in omnibus peccasse, & in nullâ re muneri nostro satisfecisse, nec satisfacere. Roget igitur Deum Omnipotentem, vel vt suâ diuinâ & efficacissimâ gratiâ nobis opituletur; vel, quod magis optamus, vt nos ab hoc mortali vinculo absoluat, aliumq; subroget, qui omnibus numeris officium sibi iniunctum absoluat.

Sic ambo sese per scripturam allocuti sunt: & iam historiæ beneficio auditi in Orbe terrarum, fortasse imponent Hæreticis silentium; dum ij vel de Bellarmino spargunt, eum fuisse veri consilij periculosâ libertate deterritum, ne Monitorem ageret erga Pontifices; sed & infractum vitio assentandi, cum fortunâ ipsorum potiùs, quàm cum ipsis locutum esse; vel Pontificem & Cardinales traducunt, primisque Ecclesiæ luminibus fœdam illam, quam ex proprio cœno exhalant, caliginem offundere nituntur. Discent, opinor, nec à Bellarmino solitum dissimulanter agi; nec posse vitia enormia, quæ Pontificibus ipsi affingunt, alibi quàm in ipsorum diris inueniri. Certè in scripturâ, quæ debebat fide litterarum secretò adire Pontificis solius aures, si grauiora fuissent quæ stylo perstringeret, cur voluisset ea supprimere is, qui persequitur leuio-

leuiora tam sanctè; tametsi quædam ex eo genere sint, quę humanus animus numquam satis, in tam vastâ gubernatione, defugiat? Scripturam hanc verò, cùm adiectis à Pontifice responsis, ita vt fuit vtriusque manu exarata, accepit ab ipso Cardinali Bellarmino P. Stephanus de Bubalis; apud quem exstat hodieq; nobile huius rei monumentum.

Ferè per idem tempus cœpta Romæ agitari controuersia fuerat inter Religiosum Ordinem S. Dominici, & Societatem nostram circa opiniones P. Ludouici Molinæ, De Concordiâ Gratiæ, & Liberi Arbitrij. Quam sententiam etsi aliqui, eò quòd ex vnius priuati Scriptoris nata ingenio erat, minimè censebant defendi debere à Societate vniuersâ: attamen ij, qui tum præerant, aliter deliberarunt; tum quia nostrorum Professorum pars maior in Academiis eam tuebatur, tum verò quia iudicabatur in primis idonea ad nostri æui hæreses peruincendas. Quoniam itaque videbatur materia magni momenti, & in quâ stabiliendâ tot olim Patres & Concilia desudauerant; CLEMENS Pontifex partis vtriusque theses & pronuntiata in cœtu Theologorum proponi mandauit, eaque meditari ac miscere sermonibus etiam ipse cœpit. Idcircò Cardinalis Bellarminus, cum quo de iis Pontifex disseruerat non rarò,

commentarium composuit: in eoque primùm controuersiæ totius descripsit statum, coactis in pauca partis vtriusque rationibus; ac pòst adiunxit, quid demum sentiret. Opusculum hoc æstimauit Pontifex: sed cùm patroni aduersæ partis vrgerent contrà; nouas difficultates suggerendo, afferendoque incommoda plura, quæ nasci posse inde ominabantur; Bellarminus adhuc Tractationes alias duas celerrimè confecit, & soluit argumentationes obiectas; atque has item accipiens Pontifex, plausit erudito labori. Verùm spatio cœptum est in comperto haberi, quàm non ex æquo futura ea disceptatio videretur: paulatim enim Pontificis obsideri aures ab aduersæ partis propugnatoribus penitùs visæ sunt. & demum res eò cessit, vt Pontifex Cardinalibus diuersis affirmauerit, velle se de Controuersiâ decernere. Sed enim id non propterea Bellarminum expauefecit: quin imò candidè atque liberrimè auctor Pontifici fuit; in negotio, ex quo multa & summa penderent, festinandum lentè; imò ne festinandum quidem esse. Pontifex nihilominùs, qui in re expendendâ haud sibi fuisse videbatur indiligens, facturum se propediem quæstioni finem, quem apud se disposuerat, repromisit: & tum Bellarminus clarè futurum dixit, vt de eâ numquam definiendo pro-

pronuntiaret. Quoniam verò Pontifex retulit se ad eadem quæ semel dixerat, Bellarminus rursus pari constantiâ negauit fore vmquam, vt de re illâ decerneret. Atque hoc totum Cardinalis manu suâ testatus est, custoditurque in reconditorio Scripturarum Societatis. Neque hoc Pontifici modò, verùm & Cardinali à Monte adhuc maiori firmitate prædixit, vt alibi constabit ex huius testificatione, quam referam. Libertas hęc sentiendi aduersum ea quæ Pontifici prima erant, fuit aliquibus occasio interpretandi, Bellarminum ex eo tempore speciem magis in amicitiâ Pontificis, quàm vim tenuisse; nec potitum esse, sicuti priùs, æquabili apud ipsum gratiâ: creuitque rumor in Aulâ (quæ est rimandis offensionibus nimis interdum sagax) cùm viderunt non multò pòst, eum Capuæ Archiepiscopum esse renuntiatum, & Româ emigrare; tamquam Pontificis abalienatâ mente discederet, amoueretur que de industriâ, ne promeret quæ sentiret. Verùm hi sermones Bellarmini animum haud induxerunt, vt quod semel, sicut existimabat ipse, veritati dederat, reuocaret. Angebatur animi tantummodò, dum reputaret nata opinionum dissidia inter Religiones duas tam egregias; & tametsi sciret vtrimque neminem offendi decere, cùm in comperto sit,

Controuerſiarum huiuſmodi legem eſſe, iudicium animi citra damnum affectus proferre; nihilominùs, ſi fortè quid in affectu immutaſſet ingenium, optabat, vt ambæ in gratiam redirent, quò in Eccleſiæ vtilitatem fortiùs illarum coniuncta virtus incumberet.

Et verò, quàm fuerit propenſus erga eum Ordinem, indicauit ſatis Deſiderius Scaglia Cardinalis eiuſdem Ordinis, dum de Bellarmino, *Religionem meam*, inquit, *ſummè veneratus eſt, & Sanctos ac Beatos eius apprimè coluit. Hiſtorias eius quoque legit frequentiſſimè, affirmauitq; ſe inde præclarè incitari ſolitum ad perfectionem omnem. Ex quo decere exiſtimabat, vt alia qualibet benè inſtituta Religio ante oculos perpetuò eas haberet, & exempla inde gubernationis, doctrinæ, ſanctimoniaq; ſumeret.* Quod ad controuerſiam verò antedictam ſpectat; totum triennium, quo Cardinalis Bellarminus aberat, CLEMENS Pontifex negotij molem ſentiens, vti erat optimæ mentis, coram ſe & Cardinalibus aliquot diſceptari de eâ voluit, atque excedens è viuis ſpatium PAVLO V. Succeſſori reliquit; vt commiſsâ ſubinde diſputantium acie, demum iudicauerit tempori aptum, partes ambas diſcedere integro certamine, ac neutrò inclinatis ſententiis. Vetuit verò, ne alterutra pars cenſuris in alteram ageret; & ſic placuit,

vt

vt pari exitu exarmarent ambæ, aut ſaltem receptui canerent; rediretq́ue ab eo congreſſu certamen ad exedras Academiarum, vbi liceat cuique ſentire quæ velit: quemadmodum fieri iam, ignotum eſt nemini; quoniam in Theatro fit Orbis terrarum.



VITÆ ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Capuæ Archiepiſcopus renuntiatur, cum inſigni totius Prouinciæ vtilitate.

TRIENNIVM circumegerat ſe, ex quo ei Purpuram (de quâ alij ambitione certant) Pontifex quieſcenti dederat. Necdum tamen prouentus vllos certos illi contulerat; alebatque ſe interim Bellarminus eo cenſu breui, qui annuè in Cardinales pauperes diſtribui ſolet. Obſtupuit verò Pontifex, & Aula vniuerſa, ipſum adeò propoſiti tenacem fuiſſe; nec redditus rogaſſe ſaltem, vt cum familiâ ſe ad decorum Purpuræ ſuſtentaret.

taret. Cardinalis Baronius, præ aliis, miratus est hominem, qui ita despicatui haberet diuitias; quas è sapientibus plures vituperant, quàm fastidiunt: & ideò sponte suâ (vt erat incenso erga ipsum studio) quoties vacabat Sacerdotium aliquod, Pontifici toties Bellarmini merita memorabat; subsidium inopiæ petens, ac monens, vt quia eum euexerat ad Purpuram, absolueret beneficium suum, adderetque etiam congruum eidem Purpuræ censum. Perpulit ea res Pontificem, vt excusationibus cum Bellarmino vteretur: quas ipse audiens, gratias primò referre; deinde cum Pontificiâ pollicitatione certare, ne quid vltra vsum necessarium haberet. Ad excusationes verò, fassus est sibi fuisse abundè consultum: nam, etsi parum habenti, nihil defuerat. Sed excepit Pontifex: *Quæ à me habes, hæc admodum exigua sunt, cùm plerique haud artibus tuis pares, maiora his acceperint. Tibi, quamdiu me seruauerit Deus, prorsus nihil defuturum scio, at non ero ego superstes perpetuò.* Tum Bellarminus iterùm: *Profectò neque casus hic in mœrorem mihi, aut in damnum euaderet: nam si me destituant, quæ necessaria sunt, vt personam sustineam quam gero; occasio ea erit, vt postulem meum mihi restitui nomen: meq; ad Religionem referam, vbi neque cubiculi neque panis me copia deficiet; quæ duo essent abun-*

abundè desiderio meo, vt tenuis vita, quam ducerem, non mihi pudori, nõ cuiquam oneri foret. Modestiam hanc animi, tam alieni ab opibus appetendis cumulandisque, etsi suspexit & commendauit Pontifex; statuit nihilominùs quamprimùm ei prospicere. Idcircò quia paulò pòst diem postremum obiit Cæsar Costa Capuæ Archiepiscopus; cùm non quærendus esset qui eligeretur, statim huius Antistité Ecclesiæ BELLARMINVM creauit. Qui oneri nouo ac magno non ausus est refragari: quia tametsi ab eiusmodi gradibus amplitudinum sponte reprehenderet pedem; ratus quantò plus ascenderet, tantò se magis in lubrico stare; nihilominùs per Purpuram excussus à statu priuatæ securitatis, propior gerendo, quàm petendo Episcopatui erat: etenim instituto suo, quod Societati vniuersæ commune est, iudicabat accommodatum, si pro Dei obsequio in salutem animarum incumberet; seque ad simile vitæ genus accingeret; atque illud est, quod in expeditionibus piis, quas Missiones nominamus, Societatis Religiosi vbique terrarum obeunt.

Capua, in pulcherrimâ Campaniæ orâ, Vrbs est vetustate originis, & crebrâ fortunæ varietate apud historias celebris; exactisque sæculis in toto Regno etiam Vrbium caput. Ædes eius maxima, exstructa magnificè, ab anti-

antiquitate ipsâ eſt venerabilis; & piis Sanctorum Reliquiis, reique veſtiariæ ornatu ſacro abundat. Sanctus Protomartyr Stephanus eſt eius tutelaris; atque ab Ioanne Pontifice XIII. erecta in Metropolim, & complexa tum Epiſcopos Suffraganeos nouem, habet in dotem annuè vberes redditus, vt Clerum copioſum alat. Canonici vnà cum Archipræſule, quaterdeni numerantur. Parœciæ in Vrbe ſunt fermè numero viginti; præter Cœnobia propè Religionum omnium, Sacrarum Virginum ſepta, Clericorum Seminarium, & Templum Annuntiatę Virginis propter Xenodochium; in quo ægri nitidè ac ſumptuosè curantur. Diœceſis tamen vrbi circumiecta, non explicat ſe in longos limites; nec habet defenſa mœnibus Oppida; ſed multitudinem innumerabilem Pagorum; in quibus Arę & Templa prouentibus inſtructa non contemnendis. Inter hos Pagos nonnulli ſunt frequentiſſimorum capitum: vti Pagus S. Mariæ Maioris; in quo, cum inſigni Collegio Cleri, ſunt pluſquam octingentæ, aut circiter mille domus.

Idem Clemens Pontifex, ſicut Bellarminum inter Auguſtos Patres adlegerat, ita honoris causâ, voluit ſacris cum ritibus inaugurare; idque egit ſecundo die Dominico, à celebritate Chriſti Domini reſurgentis: quo die ad

ad aras ex Euangelio prælegitur, *Ego sum Pastor bonus.* XI. Kal. Maij, anni M.DC.II. approbata hæc Electio omnium Ordinum plausu fuit; vt potuerit meritò Cardinalis Cæsar Baronius, in Annales Ecclesiasticos eam inserere; occasionem idoneam arripiens, dum referret postulatum Othonis Imperatoris, qui à Ioanne Pontifice XIII. obtinuit, vt Capua vrbs, in quam ambo conuenerant, nouo titulo Ecclesiæ Metropolitanæ insigniretur. *His diebus*, inquit, *quibus hæc scribimus (quod non tacendum) maximum accessit eidem Ecclesiæ ornamentum; dum vacante eâdem Sede, obitu Cæsaris Costæ Archiepiscopi, delectus est à Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papâ* VIII. *ad nobilissimæ Ecclesiæ regimen, vir doctissimus ac religiosissimus, Robertus Bellarminus S. R. Ecclesiæ Cardinalis, virtutum meritis toti Christiano Orbi conspicuus, exoptatus votis, collaudatus suffragiis, atque exceptus plausu; illud sacro Collegio acclamante:* DIGNVS, DIGNÆ.

Copia, his peractis, Bellarmino fuit, exprimendi in re iam suâ quod in aliis expetiuerat; nempe vt Episcopi, cùm Romæ sunt, citò ad Ecclesias proprias remigrent. Triduo enim, quàm inauguratus fuerat, ex Ædibus Pontificiis, cùm sacrum Pallium accepisset, ad Collegium Romanũ contulit se; tum, vt denun-

tiato

tiato iam itinere, domeſtica ſupellex commodiùs anteiret; tum, vt crebra officia adeuntium in eo digreſſu euitaret, & citiùs ad Sponſam, Amicam, & Columbam ſuam, (quemadmodum admirante Româ & Aulâ fecit) proficiſceretur. Salutauit verò in Collegio dulciſſimos ſocios, & mutua eorum officia admiſit iucundè; quippe inter eos degens, inter quos adulatio, veri affectus venenum, metui non poterat.

Interim audita eſt Capuæ fama Paſtoris egregij, & inter ſigna publicæ lætitiæ varia, vnum ad Cardinalis Bellarmini gloriam in primis pertinere viſum eſt; quòd nimirum eo nuntio, formæ optimæ deſiderium in multis excitatum fuerit, & aliqui etiam eius rei initium fecerint iam tum in moribus ſuis, deliberauerintque è vitiorum cœno ſemet extrahere, atque inire conſilia vitæ hôneſtioris. Prorſus vt ſperari deberet ex eius præſentiâ prouentus virtutis maior; quandoquidem ad ſolum abſentis nomen ita incaleſcere viſi fuerant. Veniâ abeundi à Pontifice impetratâ, Capuam peruênit itinere proſperrimo: Ciuitas verò in expectatione magnâ erat, cùm nulli dubium foret, meditatum ad eam Prouinciam animum adferri ab eo, qui inſtruere ſolitus fuerat Antiſtitês alios; & quem Pontifex non tamquam Epiſcopum

face-

faceret, sed tamquam cum facto ageret, illuc destinauerat.

Bonus Pastor vt in primo ingressu, pabulo animas pio reficeret; antemiserat Indulgentias pro his, qui Sacramentis animum expiassent. Atque has opes, cogitationesque secum vehens, Kalendis Maij solemni pompâ Vrbem intrauit. Populus omnis effusus obuiàm fuit, sed Sacerdotes præcipuè cum insignibus suis; atque eum propè Diui ipsi tutelares exceperunt. Fruebatur nouus Pastor conspectu ouium suarum; inter quarum vota, preces, & laudes ibat; in eisque virtutes varias distinguebat. Ad Templum verò accedebat: perinde, ac si manum ingredienti daret S. Stephanus Protomartyr ac Patronus: quem veluti præsentem intuens, animo motus est; & solemni indutus habitu, Sacrum Ecclesiasticâ Maiestate decantauit. In fine vniuersis benè precatus, pias Indulgentias populo impertiuit. Hæc eadem animorum iucunditas fuit continuata postridie: nam rursus instructo agmine sacro, Sancti Protomartyris brachium Supplicatione perlætâ circumlatum est, atque eâ re Cardinalis Bellarminus populum biduo exhilarauit.

Ex eâ diè, vt Pastorem egregium exhiberet se ouibus suis, sibimet illius imitationem

pro-

proposuit, de quo scriptum est: *Ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.* Factis enim ea, quæ præstare alios cuperet, conabatur in se priùs exprimere; vt hoc pacto cunctis efficaciùs opitularetur. Ad diem sanctum Christi in Cælum ascendentis, cœpit pro concione dicere; ac visa est res inusitata, Ecclesiasten audiri extra Aduentus & Quadragesimæ ferias. Sed vt ad id Vrbem consuefaceret, etsi primis congressibus frequentissimum non fuerat Auditorium, haud propterea intermisit Apostolicum sonum, qui est adeò proprius Episcoporũ: sed quamdiu ibi moratus est, extra tempus solemnium ieiuniorum, concionatus est Dominicis ac festis diebus, semper in auctiore Ciuium numero. Vix autem credi potest, quàm admirandos effectus pepererit sermo, de ore fluens Pastoris tam eximij: qui audiebatur modò commonefacere omnes de his, in quibus obsequi Deo sit necesse; modò precibus & obiurgationibus vrgere, vt vitia fugerent, vt virtutes persequerentur; & re ac voce illud præstare, ad quod sacri Oratores ab Ieremiâ instituuntur: *Ecce constitui te super gentes, & super regna; vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Quæ res, cùm succederet feliciter; induxit eum etiam, vt postremis litteris datis ad Clemen-

tem Pontificem, in quibus ei recurrentes anniuersarios dies Diuinorum Natalium faustos ominabatur, eidem valdè auctor fuerit & deprecator; ne, cùm in Ecclesiis Antistites nouos præficeret, inter virtutes alias, de quibus cognosci lex iubet, crederet minùs præcipuam esse facultatem ipsam conciònandi. *Memineris*, inquit, *Beatissime Pater, Episcopos olim reliquisse aliis temporarias procurationes, ac statuisse de se illud: Nos autem verbo Dei, & orationi instantes erimus. Hunc morem docuit nos Christus Dominus, Episcoporum omnium Episcopus, quem & secuti deinceps Sancti Pastores alij sunt; ac postremò Carolus Borromæus, de quo verissimè dixerim: Non est inuentus similis illi hoc æuo nostro. Is enim, cùm sæpiùs rogaretur (quemadmodum retulit ad me Episcopus Auersæ) vt N. inter Episcopos adsciscendum proponeret* GREGORIO XIII. *constanter abnuit; eò quòd minimè idoneum norat, vt ad populum concionaretur. Hoc verò esse munus Episcopi primarium, Concilij Tridentini auctoritas, & ritus ipse inaugurandi Episcopos, manifestum reddunt. Sacrum enim Euangeliorum librum in eorum humeros collocamus: vt agnoscant, suum ipsorum onus debere esse studium Euangelij. Pòst idem liber ab eis inter manus accipitur, auditurq; singulis intereà dici: Accipe Euangelium: & vade prædica populo*

tibi

tibi commisso. Atque ea videtur forma propria, & necessaria, inaugurationis Episcoporũ. Aptitudo hac autem concionandi, in amplis Vrbibus, vti Romæ, Neapoli, & Mediolani, vbi reperiũtur Concionatores plurimi & optimi, haud videtur requiri perinde, atque in secundis Ciuitatibus; quarum tam ingens est numerus. In his itaque, si Episcopus non loquitur, extra Quadragesimæ dies tacent omnes. In Quadragesimâ etiam audiuntur sæpè Concionatores, quos merces quàm Charitas conduxit; & qui æris quàm animarum inhiant lucro. Itaque sunt hæ miseræ ciuitates, quasi infelices agri; quos Cælum, dum rigat vbertim cetera, mensem vnum dumtaxat, in annos singulos, aspergit imbribus suis; & ex quibus agris proinde colligas nihil, præter dumos & steriles herbas. Sic in epistolâ ipse.

Ex eâ repurgatione morum, pro suggestu generatim obitâ, vt descenderet ad singularia, quæ euelleret, inquirere primùm cœpit, quid in totâ Ciuitate & Prouinciâ validum, quid ægrum esset, vt hoc pacto corrigeret sanaretque eos, in quibus deprehendisset ægrotare mores: sed pro iis parabat tantùm medicamenta illa, quæ paterna eius pietas duceret magis esse consentanea benignæ curationi. Plurimus fuit in extirpandis iis, quæ vitiorum quasi plantaria videbantur. Reperit intra Vrbem Capuam, & foris ad eos Pagos, in

quibus erat frequentior populus; non in angiportis modò apertè: sed, quod multò perniciosius erat, secessione occultisq; conuentibus iuuentutem aggregari, ibique talis chartisque lusoriis (aduersus quæ duo tamen alearum genera, leges ibi omnes armantur) pænè ad insaniam furere. Facinus augebat, quòd præter damna ludi, alia inde gliscerent flagitia; execrationes in Deum, rei alienæ direptiones, familiarum detrimenta, & probra libidinum diuersa; quæ moribus corruptis inferebat ea colluuies. Porrò, cùm intelligeret, tametsi vetarent eos ludos Regni edictiones, à Laicis administris permitti eos nihilominùs, causâ emolumenti nescio cuius; & satis agnosceret, absque brachij, vt aiunt, sæcularis complexu haud posse validè morem deiici, quin exsurgeret denuò, imperantique obluctaretur. Ideò, qui anteà deliberauerat, auctoritate propriâ licentiam illam profligare, ac detonare Censuris aduersus eos, qui ita operam simul ac rem familiarem atque animam luderent; existimauit fore consultius, si vnà in id conspirarent Regij, & coniunctim imperium, quà sacrum, quà publicum, inficientem consuetudinem labefactaret, eliminaretque. Ad eum finem, quia etiam potentius erat malum, quàm vt minores per Magistratus sedaretur, Neapolim amico scripsit,
vt

vt Proregem super eâ re, & Capuæ Patronos adiret. Is ergo nactus secundas aures cùm Proregis, tum Regentis Martos, qui Patronus vrbis erat, facilè legem impetrauit, quâ ea gymnasia corruptelæ penitus vetarentur. Interim Cardinalis hoc prudenter egit, ne res emanaret, & ne Ciuitatis magistratui esset in comperto, ipsum auctorem Legis illius fuisse; quippe cùm putaret multùm conducere communi rei, si studeant Episcopi à Ministris Laicæ potestatis, amorem fauoremque colligere: aiebat enim, animarum gubernationem necessariò pessum ire; si à Pastore, is cui publica est auctoritas, abalienetur. Edictione Neapoli transmissâ, & re ab Vrbis Gubernatore strenuè susceptâ, nihil tempori datum est; sed statim ardore magno cœptæ interdici aleæ, & in aleatores pœnæ propositæ sunt, tum quæ corpus, tum quæ animam affligerent: breuique, nemine aduersum nitente, omnes à ludis iis reuocati sunt, & conciliabulum praui moris dissolutum est, publicâ cum vtilitate, Deique etiam insigni cum gloriâ.

Dum his artibus ad modestiam sensim Ciuitas reducebatur, corrigebanturque in populo, quæ irrepserant prauæ consuetudinis exempla; haud neglecta interim Cleri cultura, & repurgatio fuit: cùm constet in his,

quæ ad virtutem aut secùs pertinent, grande reliquis documentum esse, populorum capita Sacerdotes. Ex eorum numero vnus erat aleæ infamiâ notatus, & tali. Vt sanaret igitur affectam ouiculam, & ad caulas eam retraheret, statuit bonus Pastor vlcus premere leniùs; vtpote veritus, ne si dolores coorirentur, plus remedium, quàm morbum ipsum metueret. Primò itaque placidè ac sedatè interrogat, cur Ecclesiasticus & Sacerdos aleæ rumorem non expauerit; sed luserit imò palàm, oblectamenti causâ, vel indecori quæstus? Respondit, se à re familiari destitui; & vitam ideò, nisi per ludum, sustineri à se non posse. Tum Cardinalis promptâ pecuniâ statim ei quæstum omnem aleæ repræsentauit; adhortans, vt quoties referre tantumdem, aut plus vellet, toties ad se cum illâ innocentiâ rediret; nec puderet honestè accipere, quod alioqui per nefas quæsiuisset. Hoc facto, ille mutatus est in virum alterum; redditúsque ex aleatore Sacerdos, is qui tam impotenter ad alueum ab aris rapiebatur. Sed vt singularia omittam, cùm primùm sacri regiminis clauum accepit, Sacerdotes, quibus demandatæ Tribus animarum fuerant, num doctrinæ idoneæ ac vitæ integræ essent, singulos pertentauit. Orsus visitationem ab Æde primariâ, reperit multa in eo Collegio Cleri

ri perperàm agi, notabilemque obrepsisse desuetudinem solemnium cærimoniarum. Prætereà plurimos per Templum inambulare, & negotia ibi transigere peræquè atque in foro; quin etiam per portas ipsas Templi, non absque loci sacri iniuriâ, gestores cum oneribus suis vltrò citroque commeare. Occasio autem erat mercatus, qui in exteriore areâ fiebat, cum incondito vulgi strepitu; adeò vt sæpè diuinos modos ea res interturbaret. Ratus hoc indignissimum esse Cardinalis Bellarminus, breuî effecit, vt abusus hic cessaret: nam portam Ædis, ex quâ in aream aditus patuerat, muro impediuit, in eâque altare dedicauit. Sic diuisis sacris locis, & negotiosis, domus Dei restituta est; ita vt domus orationis tantùm esse deinceps iudicaretur.

Pro Clero item prohibuit, ne qui sacris erant initiati, inter infimos ministros templi haberentur; & quò suus ordini esset honor, vetuit ne ij, qui in Ecclesiâ sunt primi gradus, vltima procurarent. Iussit prætereà, Theologicam prælectionem, & alteram quæ est de rebus conscientiæ, magis frequentari; iisque ipse non rarò auditor intererat. Quoties conuentus Cleri, seu Capitula, vt vocant, cogi oporteret, interueniebat semper; & pro eis sanciuit vtiliter multa, quæ hodieque seruantur. Cærimonias, vt præscribuntur in Roma-

no codice, restituit; effecitque vt rectiùs vsurparentur. Si qui ex certamine dignitatis contendissent, vter alteri præsideret, hos conciliare, ac reducere ad officia certa studuit dexteritate mirabili. Et quia Concilium Tridentinum præcipit, vt inter Canonicos Sacerdotum sit numerus maior: cùm essent deni Presbyteri tantùm, Diaconi totidem, viginti verò Subdiaconi; tametsi antiquæ taxationes & emolumenta aliter fieri ægrè paterentur; negotium ita flexit eius charitas, vt dissentiente nemine, deliberatum de Sacerdotibus fuerit, vt deinceps essent minimùm viginti. Ad Canonicorum subsellia, quemquam è Laicis adscendere, numquam permisit; sed ab Odeo vniuerso submouit, pristino Ecclesiæ more, profanos omnes: cùm verò vir primarius sedem suam, sicuti consueuerat, eò inferri voluisset, id ei prohibuit pari constantiâ, atque olim S. Ambrosius Magno Theodosio: ac significauit per internuntios, stationem illam dumtaxat eorum esse, qui aræ ministrant; ceterum Templum vacare Laicis. Vt in functionibus sacris obeundis augeretur Maiestas, cantum induxit modulatũ & grauem. Odeo intererat quotidie, etiã in matutinis precibus: festis verò diebus assidebat ad Horas omnes. Et quia Archiepiscopus inter Canonicos numeratur, percipitq; propterea partem com-

munium

munium diſtributionum, quoties diuinis laudibus interfuerit; Cardinalis Bellarminus, partim vt eâ tametſi tenui ratiunculâ ditaretur, eamdem, vtpote acquiſitam incommodo ſuo, cum voluptate maiori erogaturus in pauperes; partim vt præſentiâ ſuâ Canonicos inſtrueret, quàm piè ac modeſtè deceat eos Cantica & Hymnos ſacros modulari; circa primam lucem Odeum cùm ipſis frequentauit, poſtquam in conclaui matutinas eaſdem preces nixus genibus recitauerat. Expertus verò eſt, ſuauem iuxtà & efficacem artem eſſe impetrandi quæ vellet, ſi eadem ipſe prior exequeretur. Hieme, quia templum erat præfrigidum, & quia conſuetudo ferebat, vt matutinæ laudes ante diluculum inchoarentur; præclarè tum à frigore exercebatur: nam intererat, more Pontificum, linteatus; nec inſtructâ pellibus veſte, aut manicâ villosâ, aut chirothecis aduerſus horæ tam alienæ frigora muniebatur. Rogarunt amici ſæpiùs, vt ſe inſtituto illi negaret ſubinde: præſertim cùm ob præſentiam eius viderentur iam redacta omnia ad formam optimam: ſed ipſe maluit Apoſtoli vocem, quàm ea conſilia ſectari: qui, *Laboret*, inquit, *operando manibus ſuis, quod bonum eſt; vt habeat, vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Ob eam cauſam Oeconomum etiam admonuerat, ne rationibus inferret

S 5 ſum-

summam aureorum triginta, quam in singulos menses lucrabatur, Ædem sacram frequentando; nam eam ipse in conclaui custodiebat. Et erogandæ per honesta pecuniæ cupidus (quam virtutem perpetuò tenuit, ex quo paupertatem necessariò exuerat) manu suâ eam honestioribus quibusdam distribuere optabat; solitus propriam vocare, & factam priuato nomine largitionem; cùm Archiepiscopatus largitiones alias, pauperibus diceret non tam sponte dari, quàm ex obligatione deberi. Præterire non possum in hac re argumentum ingens modestiæ eius, quâ sibi primo anno religioni duxit; quòd in Odeo, dum Chorus, vti fit, Psalmos & Hymnos alternaret, in vicem ipse non cecinisset; vt is, qui Officij diuini pensum in cubiculo anteà persoluerat: veritus enim, ne Distributiones immeritò accepisset, voluit Romæ viros prudentes rem discutere; & quamuis ab ijs deinde audierit, haud obligatione conscientiæ vllâ adigi se, vt pecuniam renumeraret, redderétve quasi malè perceptam; nihilominùs in Conuentu Canonicorum dixit, se eam restituturum, nisi vltrò ipsi eam condonarent: cùm interim adderet, se in ipsos transferre meritũ piæ largitionis, quam illo anno erogauerat. Quin & reipsâ soluit nonnemini, qui velut de obligatâ sibi summulâ eum postularat.
Dein-

Deinceps cecinit ſemper; cùm inſuper feſtis ac religioſis diebus, poſt ſolemnia ſacrorum, è ſolio in ſuggeſtum migrans, etiam quando rem ſacram decantauerat, horarium ſpatium concionabundus expleret. Hanc formam itaque in Eccleſiaſticos Ædis primariæ, conſtantiâ & labore vim aduerſam ſuperans, induxit tandem: pro quâ, vt eſſet perpetua, cœpit educare primam indolem, & eligere eos, qui muneri, cui deſtinabantur, eſſent animo ac virtute pares. Idcircò in Seminario Cleri auxit numerum Alumnorum, & curauit, vt ſimul litteras & mores probos in eo diſcerent, redderenturque exercitati quoad munia Cleri, circa aras modeſtè & grauiter obeunda. Quòd ſi certò intelligeret, adoleſcentes aliquos ingenio præſtanti arctari anguſtiis rei familiaris, atque impediri, ne, poſt diu trita limina primæ litteraturæ, ad diſciplinas maiores niterentur, Neapoli eos alebat; quò ibi ſupremis facultatibus operam nauarent. Sed ne ſuâ ſpe interim fraudaretur, & priuaret ſubſidio inopes alios; præter induſtrias plures, quibus de inopiâ ipſorum certior fieret, ſacramentum & fidem exigebat ab iis, à quibus commendabantur. In ſacrorum Ordinum inaugurationibus parcior erat; neque id honoris cuiquam deferebat, niſi ſpectatâ priùs peritiâ. Res enim rara, virtus eſt; & fit modi-

modici pretij, quidquid passim impetratur. In his verò, atque eius generis aliis, Sacræ Tridentinæ Synodi decreta semper coluit. Cùm Parochis suis Ecclesiæ destituebantur, subrogabat eos, qui in certamine sapientiæ specimen præ aliis dedissent; nec inuitatu alio, quàm doctrinæ, grauitatis, & maturæ virtutis, hoc vmquam egit. Alia beneficia, quibus adnexa non erat animarum procuratio, solis ciuibus, non autem affeclis suis distribuebat: quippe, cùm prouentus eos diceret fuisse à maioribus ad commoda Ciuium institutos. In Ecclesiasticum Collegium adlecti ab eo nobiles viri fuerunt, aut prçstantes commendatione illustrium meritorum; nec Ciuitatem adeò ægram inuenit, vt Clerum non posset Templis suis abundè suppeditare. Quòd si opulentum sacerdotium alteri conferret, idque sacros iuxta Canones esset oneris alicuius capax, pensionem pro Clericis pauperioribus, de quibus suberat expectatio maior, imponebat; idque egit etiam, postquã Ecclesiæ regimine se abdicauerat, mensibus iis, in quibus beneficiorum dispositio ad ipsum spectabat. Cùm verò pauperum necessitates & merita tunc ignoraret absens, per epistolas flagitabat notulam seu indicem eorum; virisque etiam Religiosis scribebat subinde, vt adolescentes tres aut quatuor laudabili

bili vitâ, honestis natalibus, ingenio felici, & à solâ re familiari miseros nominarent, quò eis copiolam aliquam conficeret. Interdum de iis Capuæ ciues interrogabat, qui Romæ versabantur: & Pompeio Garigliano imperauit aliquando eiusmodi album inopum; monuitque, vt eos, quibus domi forent angustiæ maiores, subditâ lineolâ notaret: atque iis pensiones vltrò ad triginta, ad quadraginta, interdum etiam ad quinquaginta aureorum annuè, quas non rogauerant inutiliter verecundi, tribuebat. Hos effectus autem paternæ charitatis odorati deinde plures, inuitarunt se, vt quæ opus haberent, ea promptè peterent: & tum si quando nequiret omnibus, quotquot supplicauerant, gratificari; excedente votorū numero, beneficium vnum, aut alterum, quod petebatur, dolebat sanè, præsertim sicubi deberet meritum, aut necessitatem grauem aliquorum, sine sperato subsidio, præterire.

Capuæ, anno millesimo sexcentesimo vigesimo, Ecclesiasticum beneficium vacauerat; & Sacerdos quidam inops, affinis alterius demortui, Romam, ipso Quintili mense, venerat, pensionem à Cardinali postulaturus. Porrò, ita vt appulerat anhelus, in eius conspectu stetit, cùm vix ferret auram; siquidem æstas erat, & calores vt in Vrbe maximi. Cardinalis

dinalis ſupra modum flexus ad commiſerationem eſt, amplexatuſque hominem: hoccine, inquit, temporis & auræ, ac vitæ cum periculo tanto, huc penſionis vnius deſiderio aduenis, qui de re ſcribere poteras, nec ego abnuiſſem? Poſt hæc monuit, eâdem veſperâ ex Vrbe pedem efferret; ne ab hauſtu Cæli grauioris, eo tempore anni, in quo ingruere morbi ſolent, periculum adiret; & tractatum tempeſtiuo cibo, atque adeò inſtructum viatico, cum penſione annuâ aureorum triginta, exhibens egregiè ſe parentem inopum tutoremque, ex Vrbe dimiſit. Hinc oriebatur, vt quoniam eâ benefaciendi arte, quaſi eſcâ delectabili, omnium ceperat animos; liberrimè poſſet Eccleſiaſticos exigere ad rationem honeſtatis, quæ decet ipſorum dignitatem: fiebat enim feliciter, vt virtus, quam ita munerando lactauerat, creſceret, ac reſponderet prorſus huic eius nutritiæ charitati. Mœrebat tamen, & angebatur animi, ſi quando (vt falli ſolent ſæpè hominum ſpes) fraudaretur ſummâ votorum; & ad commune bonum minimè interdum idonei euaderent ij, quos benefaciendo nutriuerat. Apud omnes denique, quà ſupremos, quà infimos, pro comperto erat, Bellarminum Capuæ morari, non vt ſe, vel ſuos opimaret; ſed vt, quaſi cælum, incumberet perpetuò cæleſtis eius animus

mus in alienam vtilitatem, foueretque singulos præsentiâ suâ pariter, atque opibus suis.

CAPVT II.

De visitationibus, Synodis, Aedificiis, & Cœnobiorum reformatione.

QVamdiu in Ecclesiâ suâ sedit Cardinalis Bellarminus, hoc habuit ex destinatione præcipuâ; vt non segni situ innocens esset, sed strenuè obiret Episcopi munia, &, quoad posset, subditos suos in splendorem daret, & gloriam filiorum Dei; etiam ipse iterùm eos parturiens, donec formaretur in eis Christus. Bonus Pastor propterea extra ouile suum vix vmquam inuentus est: nam semel tantùm, ad dies pauculos, Procidam, cùm ibi esset Abbas, & bis Neapolim migrauit; primò, vt Cardinalem Gesualdum Archiepiscopum per officij vicissitudinem resalutaret, apud quem bidui moras non excessit; iterùm, obscuro habitu, non purpureo, vt ignotus interesset pompæ sacræ, in quâ ea Ciuitas ad Sanctos Tutelares D. Thomam Aquinatem aggregauit. Præter eas occasiones, etsi rogatus precibus multorum, numquam induci potuit, vt eò rediret. Amabat enim suos, & ipsum hi vicissim (qui amor omnium est cultu optimus) redamabant.

Etsi

Etsi verò commoratio eius in vrbe Capuâ, visitatio quædam perennis erat; cùm indidem, velut è communi speculâ, exploratum haberet, quidquid per Prouinciam ageretur: nihilominùs, quia subibat animum, optimos Pastores suis magis oculis quàm alienis gregem lustrare; expeditionem hanc impigrè suscepit, & triennio diœcesim totam ter obiuit; semel etiam administros suos secum vnà circumducens, vt quæ opus forent, sapientiùs atque efficaciùs decerneret. His verò perfunctus, quando intelligere non poterat, num exequendis his quæ iussa fuerant, subditi animo fuissent languido ac remisso; tunc eò destinabat, qui inquirerent, & de rei statu renuntiarent.

Dum diœcesim lustrabat, non dissimili formâ vsus est, atque olim Christus Dominus, nempe duobus discipulis antemissis ad loca, in quæ profectionem adornabat. Vt enim probè nouerat, Episcopos ad Ecclesiæ regimen multis & manibus & oculis indigere; semper Patres Societatis binos habuit in vsu huius adiumenti. Itaque P. Simon Francus operarius industrius, & constans in suscipiendis laboribus piarum expeditionum, vnà cum altero comite ac socio iubebatur antecedere, ac parare plebem perfectam; quà concionando passim, explicandoque doctrinam

nam Fidei,quà mysteriis sacris animas repurgando; vt præberent deinde Pastori dispositas aures, & cum fructu maiori vocem eius audirent: Cardinalis ipse mox aderat, à loco sancto visitationem auspicaturus. Vbique è suggestu, vel sede super aræ gradum positâ, sacris alloquiis populos instruebat; ministrabat eis Eucharistiæ Sacramentum, Ecclesiæ nouellos milites Chrismate sacro inungebat. Cùm interim conflueret multitudo ingens pietate summâ, atque amplis in eum studiis: quasi adesset Pontifex è Cælo missus, sanctior & augustior humano visu. Patrum Societatis excursiones, quærentium quos ab se dimitterent meliores, fuere in diœcesi perennes; eratque mittenti & missis læta ea expeditio. Alebat illos tamen Cardinalis impendio suo; ne Parochis, aut populis oneri essent. Item ex his ad vrbem alios euocabat, eosque ibi relinquebat, veluti sui vicarias voces, dum esset abiturus: vt concionarentur interim, & sacra ministrarent, dum foris ipse procuraret minores greges, templaque & loca pia pagatim visitaret. In eâ porrò diœcesis recognitione adducebat comites expeditionis paucos, vehiculis ad profectionem proprio ære comprehensis; & imperato etiam, vt quæ sibi & comitatui forent necessaria, ex vrbe Capuâ submitterentur; ne oppida, per quæ iter

duceret, vllo ſumptu onerarentur. In eodem itinere aſſeclis & familiaribus interdixerat, ne munera à quouis acceptarent; ſibi verò, vti erat rei nullius perinde ac propriæ quietis impatiens, omnia poſtputauit, præ illorum commodo, ad quos ibat. Spatium cuiuis erat adeundi, vt neceſſitates ei proprias narraret: excipiebat verò ſingulos benignè; & nemo intrabat cum inopiâ, qui non aliquâ inſtructus copiâ ab eo reuerteretur. Reperit Eccleſias plures, re veſtiariâ & vaſis ſacris adeò deſtitutas, vt alicubi venerabilis Euchariſtia in ligneâ pyxide cuſtodiretur; calices autem, operis antiqui, maleque fuſi, vix aut ægrè myſterio apti iudicarentur. Hos expenſis ſuis, in aliquam elegantiæ formam refuſos, inaurauit; argenteas pyxides coëmit, & inſtaurauit omnia. Liberalitate ab iſtâ, ſicut ab aditu facili ad aures eius paternas, haud promptum explicatu eſt, quàm frequentes eleëmoſynas, quidquid vbique erat pauperum, ad ſe corriuaret. Ordinario Diſpenſatori aderant quouis momento, qui libellos darent; quos cum notâ largitionis, à Cardinali ſubſcriptâ, mox referebant. Sed addam vnum, ex quo coniici ſimilia poterunt, quæ ſileo.

Miles, qui Regis caſtra deſeruerat, petiit à Cardinali aureos triginta, quibus transfugæ crimen redimeret: & impetrauit ſtatim: ſed.

Præ-

Præfectus rationum, cuius erat ſoluere, hominem conſpicatus, qui vt ad aciem remigraret, & rurſus in caſtris mereret, adeò inſignem poſcebat largitionem; cœpit primò rem ſuſpectam habere, deinde conteſtari, fore prorſus excedens, ſi ad ſimiles quoque mulctas exoluendas debeat manus aperiri; etenim de benignitate, aiebat, vt ſit perennis, parcè hauriendum eſſe. Cardinalis contrà, decens non eſſe ait, eleëmoſynam & eius cauſas adeò explorari: proinde monuit, exhiberet ſe hilarem datorē, quem diligit Deus; & addidit: *Ego me, non mercatorem memini eſſe, ſed Epiſcopum; atque ab Epiſcopi conſpectu, pauperum quemquam triſtem diſcedere facinus reor. Si prompta pecunia non ſuppetit; aut commodato ea accipiatur, aut oppignoretur aliquid ex vaſis argenteis, veſtibus, & ceterâ ſupellectili.* Sic ipſe proprium habuit, malle decipi, quàm odioſè nimis inquirere de neceſſitate pauperum: cùm eligeret potiùs, cui non oporteret dare; quàm non perinde, cui oporteret. His exemplis, idem Præfectus rationum Petrus Guidoctus aiebat, opus iuſti voluminis impleri poſſe, ſi ea memori animo retineri potuiſſent; at, quia quotidiana erant, menti ferè aſſiduitate ipsâ viluerant: vt mirum non ſit, Cardinalem communibus lacrymis, dum diſcederet, gaudio cùm

adueniret, excipi solitum; tamquam eum, qui veniebat in nomine Domini, & qui Pastoris ac Patris viscera parata omnibus afferebat.

Ad visitationes adiecit Synodos, quas Episcopis tantopere sacri Canones commendant: & in hac etiam parte studuit S. Caroli vestigia sectari; de quo, tamquam de Pastorum raro nimirum exemplo, dicebat subinde: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Episcopalem*. Sicut lustrauit ter diœcesim omnem; ita ter, hoc est quotannis, Synodum coëgit. Inquirebat primùm in eâ, vt quisque vitam honestè, aut secùs ageret: & tum, si quid in moribus corrigi deberet, prauos vsus tollere, sanare affectas animas, impudicitiæ probra, famosa præsertim extinguere, inducere mores optimos nitebatur: cùm in cunctis præceptor egregius, pro imitatione substitueret exemplum sui, & faciem virtutis in se lineis simillimis repræsentaret.

Præcipuum consilium tamen erat, Cleri forma atque institutio: idcircò quia compererat crebris experimentis, propter incuriam aut imperitiam Parochorum, ruralium præsertim, ex Christianis multos Christum ignorare; declarationem vberem Symboli Apostolorum Italico idiomate composuit, atq; edi statim curauit; quò Rectores animarum,

rum,quibus ad concionandum facultas non ſuppeteret, haberent quæ populo legerent ſaltem,in celebritatibus anniuerſariis Chriſti Domini,& myſteriorum eius. Atque ita quò vox Antiſtitis non poterat pertingere; ibi cum fructu magno ſaltem ſcriptura eius audiebatur. Munus hoc tradendæ Chriſtianæ doctrinæ demandauit aliis pariter, & per ſe obiuit; ad feſtos ac religioſos dies deſcendere ſolitus in Ædem ſacram, rudioreſque ibidem inſtruere. His manu ſuâ etiam prœmiola diuidebat; prorſus vt inter quos erat dignitate maximus, inter eos adhuc exemplo maior appareret.

Prouinciale Concilium, quod in Eccleſiâ Metropolitanâ fuerat intermiſſum ab annis duode-viginti, Epiſcopis Suffraganeis indixit; initumque eſt adprobatione mirâ, & omniũ ordinum communi beneficio. Quoniam tamen de anteacti Concilij ſanctionibus relatum ad Pontificem, & facta Romæ earum recognitio cum laude fuerat; ſed nec promulgatas,nec vſui datas eas fuiſſe ſanctiones conſtabat: ideò cùm placerent magis vetera decreta, quàm vt noua conciperentur, ne nimiùm leges creſcerent;itum in eam ſententiam eſt, vt ederetur antiquum Concilium, modicâ cum acceſſione capitum aliquorum, quæ ad ſtatum præſentem condu-

cerent. Iudicium quoque habitum eſt circa neſcio quæ perperàm geſta, in diœceſi duorum Suffraganeorum, non abſque iacturâ Eccleſiaſtici prouentus. Viſæ propterea ſunt interuenire conditiones, ob quas Tridentina Synodus ſpectare ait ad Metropolitanum cognoſcere de iis; vt ille de re dein perſpectâ referat ad ſanctam Sedem. Id autem muneris tantùm non abnuit Cardinalis Bellarminus; quandoquidem dignitate inter alios eminebat. Ceterùm pluris animarum ſalutem æſtimans, quàm propriam dignationem, ad Alexandrum Mediceum Cardinalem ſcripſit (qui tum ſacræ Congregationis caput erat; & poſteà fuit totius Eccleſiæ Pontifex Leo XI.) & ſignificauit futurũ opportunius, ſi negotij arbitrium iniungeretur alteri; cui plus experientiæ eſſet, & minus operæ, quàm ſibi: propoſuit verò Epiſcopum Calui, Epiſcopum Sinueſſæ, vel etiam Epiſcopum Caſertæ: adiecitque, hæc à ſe non ſcribi modeſtiæ causâ; ſed quia coram Deo, & pro Eccleſiæ ſuæ bono ita ſentiret. Pontifex, & ſacra Congregatio conſiliũ laudarunt; & deſtinauerũt arbitros eius cauſæ Antiſtites Calui ac Sinueſſæ; qui, vt erant integerrimi ambo, atq; antiquâ prudentiâ, pronuntiauerunt de eâ æquiſſimè: & ad cõmodũ Eccleſiaſtici cenſus, ac ad rei ſacræ vtilitatẽ res ea demum ceſſit.

Hac

Hac occaſione Concilij Prouincialis, Cardinalis Bellarminus non potuit quidem erga Epiſcopos, dum Capuæ omnes aderant, id officij præſtare, vt domi vniuerſos haberet: nam Archiepiſcopi habitatio anguſtior, quàm pro hoſpitum copiâ, eius ſpatia charitatis non æquabat. Menſæ tamen ſuæ illos accumbere perpetuò voluit; & fuit ferè ciborum conditio eadem, quam initio purpuræ iniuerat. Tametſi enim copioſum Sacerdotium haberet; manebat parſimoniæ prior animus, & profeſſio antiqua hominis frugi. Cetero anni tempore, quotquot Capuam, aliò ituri, commearent, præſertim Epiſcopi, & Religioſi viri; hos è meritoriâ domo deduci in Ædes ſuas, hoſpitij causâ, iubebat: præcepti memor, quo S. Paulus exigit ab Epiſcopo virtutem hoſpitalitatis. Aliquot Conclauia in hunc finem vacua, & ornata, in Ædibus erant, ad quæ hoſpites diuerterent; in eiſque ſupellex nitida ſemper in promptu hoſpitibus excipiendis inueniebatur. Hîc eos Cardinalis tempore ſuo inuiſere humaniſſimè; proſpicere, ne quid deeſſet, & tractare in menſâ, vt non nimio ſumptu, ita ſummâ comitate. Perinde quoties ob negotia aliquem accerſeret, ei aut venienti, aut manenti nihil non hoſpitaliter ac benignè fiebat. Sic Patres Societatis apud ſe frequenter habuit; pro qui-

bus Collegium Capuæ nondum erat. Iis verò ſemper aditus in domum familiarior fuit; & planè excipiebantur, tamquam nati ex eâdem matre. Reficiebat eos cibo: & cùm ſomni tempus appeteret, ſublatis menſis, ipſemet ad cubicula eos ducebat: manè verò, ante primam lucem (quaſi geſtiret adhuc eorum excitatorem agere) illis importabat lumen, vt ſurgerent; ſeruitutem pro Chriſto, etiam in purpurâ decoram ratus. Sed hoc muneris obibat ipſe; tum ne famulis incommodum crearet, tum vt religioſi hoſpites ſpatium haberent, in quo tranquillè, ſicut pro exordio diei ſolent, ſeſe in preces darent.

Domum Archiepiſcopi (vt veniam ad expenſas ædificiorum, quas etiam ſacri Canones præſcribunt) malè materiatam, nec ferè habitabilem, inſtaurauit, non mediocri ſumptu. Nam conclauia plura, eaque percommoda, vt familiæ ſufficerent, exſtruxit; & ſtrauit quoque nouos gradus, vt eſſet honeſtior ad templum aditus.

Aduerterat præterea Sacellum, S. Paulo dicatum olim, in domeſticum penuarium mutatum eſſe: ideò non ferens locum ſacrum diutiùs profanari, aram ibi, nitoremque & venerationem priſtinam reſtituit; atque vt elegantiam eius augeret, adſcripſit Hebraicum epigramma. Pro foribus inſuper,

ſancti

ſancti Pauli iconem, caſuſque eius picturâ expreſſit; quando ſpirans minarũ in diſcipulos Domini, cecidit, excuſſus tonitru diuinæ vocis: ac pòſt ibidem Deo aſſiduè perlitauit. In Æde Vrbis maximâ Sacellum ſanctæ Agathæ, Archipræſul eius deceſſor inchoauerat; id ipſe, non piè magis quàm ſplendidè, inaurato albario, ſectoque & illuſtri lapide abſoluit: eiuſdemque defuncti Archipræſulis Cæſaris Coſtæ oſſa in ſepulchro honorifico ibidem tumulauit. Suggeſtum in Templo pulcherrimum, ex ſegmentis inſititiis colorati marmoris, fecit: Odeum, quod operâ rudi in Ædis medio ſitum erat, ſubmouit; ac ſtatuit in ſummâ Ædis eiuſdem parte, atque ad noſtri æui aptauit ingenium. Denique, quæ in ædibus propriis, quæ in Templo reconcinnari neceſſe aut conueniens fuit, ea reparauit; auxitque Eccleſiæ veſtiarium, atque omnis generis ornamenta pro Sacerdotibus, & pro aris coëmit.

Sed magis cordi habuit procurationem ædificij alterius, in quo ſimul mores reſtitui viderentur. Erat Capuæ domicilium Virginum, ad ſancti Ioannis; in quod, propter aliqua quæ perperàm euenerant, ſacra Cardinalium Congregatio vetuerat, ne aliæ puellæ admitterentur, quæ religioſæ vitæ ibi ponerent tyrocinium. Ex eâ re imminutus adeò

numerus earum fuerat, vt ſex non ampliùs ſupereſſent. Ergo deſiderio Sodalitij numeroſioris, cùm optarent etiam aboleri veterem famam; Cardinalem Bellarminum, vbi primùm is Capuam venerat, vnum illum eſſe iudicarunt, qui eius afflicti domicilij poſſet rem quantumuis inclinatam reſtituere. Rogant ideò Miſſæ ſacrificium in Eccleſiâ Monaſterij celebret: & vbi perlitauit, tempus ſermoni orant; manantibuſque lacrymis flagitant patrocinium apud Cardinales Romæ. Id ſi impetrent, pollicentur ſe vitæ normam, quam Cardinalis præſcriberet, & ſub Antiſtitâ quam eis præficeret, ſanctè inituras. Acceſſere, vt in re diſpoſitâ, precatores alij; nempe honeſti viri, delecti à Ciuitate; vt nomine publico idem vrgerent. Hi quoniam inſignis probri loco ducerent, Romæ iudicari, Virgines illas ad formam vitæ ſanctioris non poſſe iterùm adduci, & quoniam agnoſcerent, in commune detrimentum Ciuitatis cedere eam prohibitionem (ſiquidem puellæ primæ nobilitatis, paſſim intra ædes paternas hærebant, deſideriis illæ quidem nubiles Deo, ſed voti ſui minimè compotes; cùm in aliis Cœnobiis locus non vacaret, & illud ingredi non liceret: quod tamen diues admodum, ex cenſu annuo, aureorum ad tria millia percipiebat) Cardinali

per-

persuaserunt, vt negotium susciperet, & rei exitum efficaciter promoueret. Scripsit proinde sæpiùs ad sacram Congregationem, ac rogauit; ne clausæ aures eius forent redituræ virtuti: quin etiam vt citiùs nouis Virginibus denuò aditus ad eius Cœnobij septa impetraretur, œconomum suum ad Vrbem misit; atque iniunxit, vt non rediret, nisi priùs difficultates omnes peruinceret. Multa perperàm audita pridem, Cardinalium animos inclinauerant in sententiam contrariam: sed concessere demum, magis permoti Collegæ petentis pietate, quàm earum, pro quibus peteret, merito. Potestatem verò alias admittendi, eâ conditione fecerunt, vt ædificia Cœnobij mutarentur.

Re intellectâ, Cardinalis Bellarminus statim, vt idem Cœnobium à vicinis ædibus Laicorum seiungeret, domicilia emit, quæ intra fines nouæ descriptionis erant; posteà circumsurgere muros, & claustra concludi quamprimùm curauit. Ædificauit intus dormitorium commune, cum lectis dispositis; & extruxit officinas varias: foris deinde locum parauit, in quo Sanctimoniales loqui possent cum externis, ferreâ laminâ discretæ; ita vt paruis foraminibus, non spatio aperto spectent, nec videantur vllâ parte oris, quæ impleat aspectum: quod genus honestæ latebræ reddit

reddit magis tutam earum honestatem. Denique non cessauit, antequàm omnia obsepta esse pudori animaduerteret; & imposito fabricæ supremo lapide, aliunde magno natu Virgines, ac virtutis antiquæ religiosas deuocauit, quibus noua soboles committeretur: atque hæ, leges à Cardinali acceptas, primæ in eam domum intulerunt. Quotquot autem ad tyrocinium admissæ sunt, non sine lætitiâ communi, & euentu felici, ita viuere inceperunt, vt freno quàm stimulo indigerent. Veteranæ etiam (sicut ignes intermortui sæpè maiore flammâ reuiuiscunt) de integro institutæ, in eam perfectionem breuî refloruerunt, vt inter Parthenia sodalitia, nullum in totâ Ciuitate sanctius haberetur.

Peracta hæc euentu secundissimo, inuitarunt Cardinalem, vt similem communis vitæ laudem induceret in Cœnobium aliud sacrarum Virginum; quibus à IESV nomen, ratio verò instituti est sancti Francisci, ac sanctæ Claræ. Cùm enim earum pleræque ex proprio censu viuerent; conatus est ad religiosæ vitæ modum, in quo nihil proprium singulæ haberent, eas pertrahere. Non ignorabat moliri se rem difficilem; quia Monasterij paupertas Sanctimonialibus, quas alere non poterat, priuatas commoditates permittebat. Nihilominus circumspectans consilia omnia,

nia, vt rationem inueniret ſubleuandæ inopiæ, quædam propoſuit Ciuitati: nam ſine ſubſidio eius, fruſtrà rei ſucceſſus ſperabatur: nempe vt Sanctimonialium aucto numero, quotquot antiquis aggregarentur, omnes cum ſupellectile dotem aureorum quingentorum adferrent; vt pro iis collocandis ædificium ampliaretur: vt Præſides ſeu Curatores Cœnobij prouentus eius annuos exigerent tempore ſuo; quò res tempeſtiuè, & quando minoris veneunt, poſſent emi: vt parentes Monialiũ,quæ iam certis erant inſtructæ redditibus, paterentur eoſdem redditus in commune conferri; ne, dum aliquæ omnibus abdicant ſe, aliquæ adhuc ſua poſſideant: denique vt in Cœnobio ipſo, illæ quæ valerent proſperè, plagulas, aut alia ſimilia nerent,acu pingerent, & pretia quæ lucrarentur, repræſentarent Antiſtitæ, vel iis qui præeſſent rationibus Monaſterij. Sic euenire poſſe aiebat, vt partim cenſus annuus Cœnobij, qui erat aureorum circiter mille, partim priuati quarumdam prouentus, & ſimul operarum pretia, dotes atque eleëmoſynæ, ſummam explerent, quæ pro eis eſſet ſatis, ad naturæ deſiderium, & ad ſanctæ modum paupertatis in eo domicilio aſſerendum.

Cùm hæc rerum capita Cardinalis ad eos mitteret, quibus negotij huius procurationem

nem Ciuitas dederat; ne consilia tantùm, & non subsidia offerret, aureos centum dedit, vt spatia dormitoria laxiora exstruerentur, dummodò Ciuitas suppleret reliqua: atque adeò in mẽses quoslibet sex aureos tribuit eis; præter incerta plura, quæ pollicitus est, si pro voto succederet reformatio. Ciues consensere, & cœptus est sacris illis Virginibus victus de publico statui; atque ita eas etiam paupertate, sicut erant aliis virtutibus, venerabiles ac sanctas fecit. Potuit verò generatim, veluti cor existimari, quod vitam & spiritum cælestem iugiter ac benignè affunderet corpori Diœcesis vniuersæ.

CAPVT III.

De Episcopalibus functionibus, Eleëmosynis, & exemplis eius summæ Charitatis.

CApuam vocatus à Deo, per interpretem vocem Vicarij eius, ad Ecclesiæ illius regimen, incensus desiderio statim est Cardinalis Bellarminus, ita vitam instituendi, vt euaderet Archiepiscopus sanctus: quapropter vt abundaret exemplis egregiis, nihil habuit prius aut potius, quàm vt historias euolueret Sanctissimorum Præsulum. Habet hoc epistola eius data, postquam abdicauerat se Archiepiscopatu, ad Franciscum Archipræsulem

lem Rothomagensem, anno millesimo sexcentesimo decimoseptimo. Rogatus enim, vt formam optimi Pastoris ei describeret, affirmauit initio, Deum sibi auctorem fuisse, vt Archiepiscopi munere defungeretur; ex quo nequiuerat indagare modum sanctitatem adipiscendi: atque addens, idcircò minimè idoneum se esse, vt doceret, quæ ipse priùs non didicerat. Tandem, *Si adigis me*, inquit, *vt promam quænam proposita mihi ratio fuerit, vt Archiepiscopus bonus efficerer, triennio illo, quo Capuæ in antiquâ & diu principe Vrbe vixi; dicam equidem. Tamquam ad speculum quoddam conuerti animum assiduè, ad vitam & ad mores omnium, quotquot Episcopi laudatissimi ante me in Ecclesiâ fuerant; annixurus, propitio Deo, vt extinguens imperfectum meum, induerem vultus simillimos iis, quos mihi eorum res gestæ subiiciebant. Quare sanctorum Episcoporum historias præ manibus habui semper, & euolui ordinatè Surij volumina; legiq; præsertim Sanctorum Pontificum, Ambrosij, Martini, Augustini, Germani Antisiodorensis, Anselmi Cantuariensis, Antonini Florentini, Laurentij Veneti Patriarchæ, aliorumq; vitas. Sed & fructus peculiaris fuit, in sanctissimorum Præsulum, qui me Capuæ antecesserunt, Ansberti, atque Audoëni narrationibus: nam ij ambo Pastoris nomen & munus sustinuerunt perfe-*

perfectè; subditorum animos prædicatione assiduâ verbi Dei, & corpora effusis largitionibus, semet verò orationis cibo salutari nutriendo. Si tu in hac specula inspicere, si firmare animum his constantibus exemplis volueris; horum, inquam, qui non virtute minùs, quàm æuo nos anteiuerunt; haud dubitem, quin Episcopus sanctus euades; sicut nec scribere consilia ego meliora possum. Christus IESVS *Princeps Pastorum, concedat sanctæ animæ tuæ, quod piè adeò desiderat: & tu diuinam ores Maiestatem pro me homine nihili, ac famulo tuo; qui hæc pia subsidia tantò æquiùs flagito, quantò me viciniorem video, vt ex hac vitâ, in alteram, quam spero, migrem.*

Hac piâ exercitatione, factus aliorum exemplis Episcopus talis, qui & ipse deinceps inter exempla futurus est: à sacris functionibus numquam vacare videbatur; recusans omne laxamenti genus, etiam honestum, quod sæpè ad virtutem animos instaurat. Quippe suberat ei persuasio, nauum Agricolam ab agro vix, aut ægrè abesse; sed laborare in eo assiduè, vt fructum referat, quem optauit; & sic aiebat excoli Ecclesias ab Episcopis debere.

Initiaturus alios Ordinibus sacris, ad quos ex manu eius suscipiendos Religiosi, & Clerici, etiam alienæ diœcesis (quæ de ipso apud omnes

omnes illuſtris opinio erat) confluebant; cùm dies inſtabat, affigi edictum publicè volebat, in quo præcipiebatur, vt quotquot forent inaugurandi, coram ſe priùs ſacræ eruditionis arbitria ſubirent. Et quamuis, vt indicauimus alibi, admitteret raros, nec niſi ex graui causâ; nihilominùs quoties oportuit, tum in Archiepiſcopatu, tum Romæ in omni vitâ, eoſdem Eccleſiæ Ordines contulit libenter; præſertim ſi quando id expeterent, vel homines noſtræ Societatis, quibus eſſet denuntiata ad Indos vel ad Sinas expeditio; vel quiuis alius, qui venerationis ergô, ipſo Antiſtite cuperet initiari: hodieque inſcriptam ſibi à Bellarmino animam, diuinumq; ex eius manu ſe hauſiſſe characterem, etiam Cardinales aliqui gloriantur. Poſtremò, quidquid poſſet diuini cultus augere ſplendorem, in id incumbebat; non decenter modò, & cum meditatione rituum ac cerimoniarum, ſed tanto inſuper cum ſenſu atque ardore pietatis, vt cuilibet eum intuenti, potiùs initiatus aliquis in Cælo Sacerdos, quàm inauguratus Antiſtes in terris videretur. Denique accedebat frequens ad Deum Orator, pro neceſſitatibus populi ſui; & ſæpè ieiuniis afflictationibuſque ſemet Numini pro eo, ſimul victima, ſimul Sacerdos immolabat. Interim velut elata montibus ſuis Roma ſpectaculo interesset;

V

esset; dum hæc ipse tantâ cum gloriâ Capuæ gereret, Pontifex & boni omnes in Vrbe ei plaudebant: ideoque Clemens VIII. vt eum currentem gressu Apostolico adhuc magis incitaret, charactere suo hęc ad ipsum scripsit:

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem.

LIbenter vidimus Angeluccium, Vicarium olim tuum; qui mirificè nos exhilarauit, dum retulit de virtutum exemplis, quæ in Prouinciâ istâ concionibus, ieiuniis, Supplicationibus, & sacrorum mysteriorum vsu frequenti edis. Hinc verò agnoscimus, quas agere Diuinæ Maiestati gratias debeamus, quæ tibi adest numine tam propitio; & præbet vim suam cælestem, vt sustineas pastorale onus, atque impleas ministerium tuum. Et sanè æquiùs multò postulare nos à te preces ad Deum debemus, quàm vt tu, in his quæ agis laudabiliter, votis & precibus nostris indigeas. Nihilominùs confugiamus ad Deum omnes, cum fiduciâ magnâ: sed & simul fateamur illud; quòd nimirum cùm hæc omnia fecerimus, serui inutiles sumus. Atque, vt hîc scribendi finem faciamus, impertimur tibi Apostolicam benedictionem. Dat. in Palatio nostro Apostolico, XIV. *Kal. Maij;* M.DC.III.

Inter has laudes, haud erat spectaculum minùs dignum, cui plauderetur, commiseratio

tio eius erga inopes. Statim atque fuit Capuæ, iuxta priſcum morem ſanctiſſimorum Epiſcoporum, voluit in album referri Ciuitatis familias omnes, quæ eſſent in ære alieno, aut aliter à re domeſticâ deſtituerentur: atque harum ſubſidium ipſe vnicum fuit. Ob eam cauſam Alexander Iacobillius, qui ab eleëmoſynis eius erat, & Canonici duo circumibant ædes inopum; & vbique aureos binos, ternos, quaternos, aut plures diſtribuebant, iuxta notam paupertatis, quam Cardinali priùs Nobiles ciues aliqui propoſuerant: & hoc ſubſidium, exacto quouis menſe, in orbem denuò redibat. Porrò eâ diligentiâ, ſicut innocentium quorumcumque ſubleuabatur honeſta paupertas; ita reiiciebantur prodigi, & ob flagitia egentes. Ad Palatij eius limen, quotquot pauperes accedebant, ita beneficentiam ipſius experiebantur, vt nemo reuerteret inde triſtior. Tantummodò ipſos nummatos in copiâ dimitti prohibuerat; quia præterquam quòd id è re ſui cenſus non videbatur, hac ratione exiſtimabat ſe erga eos Parentis & Oeconomi officio fungi, dum ſimul tēperaret in eis quotidianam inopiam, & caueret ne aliquibus præberetur occaſio, vt charitatem copiosè acceptam temerè ſtatim prodigerent. Conſuetudinem hanc diſtribuendi pro foribus eleemoſynas, retinuit in

in omni vitâ. Inueniebat verò, quotiês ad ædes ſuas reuerteret, ante veſtibulú, in areâ, & per gradus confertim diſpoſitos pauperes. Imò in Aulâ etiam non deerant, qui libellos ſupplices, & in ijſdem hiſtorias inopiæ offerrent intranti: quos non citiùs tuebatur, quàm iuberet ipſorum ſatisfieri poſtulatis. Et hic ſanè fuit comitatus Aulicorum multò nobilior, qui limen eius frequentare, venientem excipere, ingreſſibus adeſſe, ac deducere eum ſolebat, vti Conſulem inopiæ, ac Tutorem egeſtatis. Fruebatur verò eorum ipſe conſpectu, ſalutabatque ſingulos lætiſſimè, & oculis aſpiciebat plenis benignitate; vt Chriſtum Dominum imitaretur: quem inter vaticinia ſua Vates Regius olim prædixit, habiturum honoris loco, pauperum patrocinia; *Animas*, inquiens, *pauperum ſaluas faciet: ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum; & honorabile nomen eorum coram illo.*

Aliquando, quia tanto numero veſtibulum ædium obſederant, vt introëunti aditus præpediretur; quidam è familiâ, volens turbam illam inopum ſubmouere, fortè vnum ad terram dedit. Cardinalem tamen caſus ille non parum afflixit; & ideò ſeuerè hominem increpans monuit, ne iterùm inopes, quos æſtimabat ſicuti pupillam oculorum

rum

rum ſuorum, ita contemptim acciperet.

Iam, ne ſit neceſſe memorare alibi, quæ ſpectant ad pias eiuſmodi largitiones; congeram in hunc locum, quæ huius rei ſuppetunt plura & illuſtria argumenta. Ante omnia illud affirmare ſit, annui prouentus ipſius partem ferè tertiam erogari ſolitam quotannis in pauperes. Cùm enim, ex quo Capuæ Archipræſul eſſe deſierat, ad ſex vel ſeptem millia aureorum eius cenſus annuus redigeretur; ſæpè etiam, ſi quis annos conferat, minor eſſet; aureos bis mille pauperibus diſtribuebat. Tertia hæc pars tamen Capuæ erat copioſior; quando ſumma reddituum éius cenſebatur aureorum circiter duodecim millium. His addere oportet, quæ clàm & manu ſuâ diuidebat. Diſpenſatori etiam ſæpè iterabat illud: *Colligite fragmenta, ne pereant.* hortans his verbis, vt, ſi quid ſuperfuiſſet etiam è diſpoſito in vſus alios cenſu, id ad pauperes perinde deriuaret. Et verò cùm ex obligatione hæc à ſe fieri opinaretur; interpretabatur id eſſe, reſtituere aliena veriùs, quàm ſua erogare: ideoque citra meritum id quoque à ſe fieri, ſubinde aſſerebat. Locis iis omnibus, è quibus prouentus aliquos annuos perciperet, iuxta ſummam eorum, aut vberem, aut exiguam, eleëmoſynas erogabat: itaque ipſo abſente, beneficia eius non aberant. In partem venit

 huius

huius largitionis etiam Politiana Ciuitas; ne in patrio solo desideraretur, quod in alieno prouidè serebatur. Procidæ quamdiu Abbas fuit, sicut & Taurini, vbi erat Prior, experti pariter sunt pauperes beneficentiá eius. P. Iosephus Alemannius è Societate nostrâ, qui procurauerat redditus Cardinalis Bellarmini in regione subalpinâ, aliqua scripsit, quæ referam hoc loco; vt ex iis coniicere exempla similia liceat, quæ prætermittuntur. Existimauerat, pro voto Cardinalis futurùm abundè, si egenis ibidem daret annuè aureos sexaginta, cùm ædificia collapsa reparari, & restitui eius generis plurima deberent. Cardinalis tamen auxit eam summam ad aureos octoginta quatuor; neque hoc minui vel eo anno passus est, in quo ij redditus, ædibus dirutis instaurandis, expositi omnes fuerunt. Siquidem, vt aiebat, qui liberalis erga Deum est, Deum is erga se multò liberaliorem experietur. Perinde id ei constans & stabile fuit, quando iidem redditus dimidio minores ab eo percipiebantur: maluit enim (quod indicauimus alibi) familiæ numerum, quàm inopum salaria contrahi, vel vllatenus arctari liberalitatem suam.

In vrbe Capuâ aliquando, siue aduersus frugibus annus fuisset, siue ij qui præerant annonæ, copiam eam non emisissent rei frumen-

tariæ, quæ necessaria erat; pauperes extremâ inopiâ laborassent, nisi Cardinalis Bellarminus, rogatus à primoribus Vrbis, ex horreo suo, tritici tumulos mille, (tot enim desiderabâtur) nec pretio, quod Magistratus fecerat, nempe argenteis triginta in singulos tumulos, sed minoris, id est, viginti vendidisset: volens libensque iacturam passus aureorum mille, vt ex ore egenorum famem propulsaret; quorum tum non mediocriter annona conualuit. Omnia insuper Cœnobia, & piorum domicilia, certam ab eo largitionem in menses singulos accipiebant. Multis pariter vestes detritas, & seminuda corpora deprecantibus, rei vestiariæ copiam fecit; seu pretia exoluendo vt lacernas emerent, seu vestes proprias interdum eis impertiendo. Iisdem lodices, stragula, aliaque è supellectili propriâ sæpè distribuit; eâ liberalitate, vt paritura ipsi egestatem videretur.

Quæ propensio ad benefaciendum aliquos sæpenumerò audaciores reddidit, & tantæ confidentiæ, vt non, quemadmodum supplicem animum decebat, peterent. Auditus quidam est cum Cardinali minaciter loqui, si non subsidium, quale optauerat, daretur. Et tum ipse non indignari contrà, sed suadere dumtaxat beneuolè ac sedatè; vt crederet, summam, quæ offerebatur, iustam &

necessitati parem esse: ne videlicet si nimia vni tribueret, faceret præter aliorum necessitates. Sæpè tamen neque hos à se tristes dimisit: siue quia efficacior ad persuadendum omni arte, tametsi fortè modum excedat, necessitas est; siue quia homini liberaliter pio religio erat, non esse re & factis peræquè beneficum, ac foret verbis, lenissimè eos consolando.

Alius adhuc magis improbè sibimet ipse consuluit: cùm enim Cardinalis pecuniam, quam Odeum frequentando meruerat, attineret, vt dixi, apud se, studio eam distribuendi in viros honestis natalibus, passos infortunia rei familiaris; vt qui nouerat, quàm illis durum esset, coram aliis ex inopiâ verecundari; quidam ex pluteo conclauis eius, gnarus eam custodiri inter loculamenta librorum, dum abessent famuli, clàm illam surripuit. Ex eâ re Cardinalis mœrere animi visus est; præsertim cùm oriretur suspicio, ne manus furti rea familiaris esset. Sed triduo pòst ex Religioso viro intellexit, pecuniam illam sublatam ab homine inope fuisse; qui rogabat vt Cardinalis illam ei permitteret, fatebaturque, se in lubrico inopiæ constitutum, id consilij accepisse à præsenti necessitate. Tunc Cardinalis, qui quærere maluerat, quis eam abstulisset, quàm propereà

quemquam arguere, ſeu vindicare, libens eam conceſſit: & ſignificauit Oeconomo, veſtigia eius, ad quem pertineret facinus, iam extare; ne vlteriùs de furto inquireret. Ceterùm id ſibimet gratulatus eſt, tamquam factum ex voto animi ſui; quòd ea pecunia pauperis in ſubſidium ceſſiſſet: præſertim ex quo audierat, hominem conſcientiâ adductum eſſe, & poſſe eam pecuniam Deo aut propitio, aut non irato, poſſidere.

Haud diſſimilem liberalitatem expertus eſt Materiarius quidam pauper; qui operam ſuam Sacello S. Agathæ locauerat: quippe is inopiâ tentatus, lapides aliquot politos, & eidem Sacello iam aptos diuendere meditabatur. Hoc vbi agnouit Cardinalis, queſtus cum eo eſt; quoniam cum damno animæ proſpicere ſibi, & ſilentium ac paupertatem, cuius pudor peſſimus eſt, poſtulationi ac beneficio præponere maluiſſet. Dein ipſum aureis decem donauit; ac ſpem fecit, fore vt acciperet plura, quàm optare auderet, modò beneficium petere non verecundaretur. Sed mens optimi parentis adhuc minimi ducebat, domi opperiri perpetuò inopes, vel demandare aliis curam eos perquirendi. Statuit proinde, quidquid ægrorum in Ciuitate eſſet, viſitare: idque egit libentiùs, ſicubi audiret in valetudinario, ad quod ſe conferebat,

è Clero quempiam decumbere; cui & eleë-mosynas copiosè distribuebat. Inuitatus etiam, ad cuiusuis ædes, etsi non primæ sortis ac notæ, ibat. Quæ facilitas rem eò perduxit, vt iam fere domus ægrorum Capuæ superessent nullæ, quas non adiisset, super affectos ritè precaturus. Promptiùs inferebat se in tuguriola pauperum; singulos consolans, & curam eorum præfectis inopum commendans. Semper verò eius prudens charitas id agebat, vt simul medendo corporibus, accuratiùs multò animis mederetur. Etenim eum tangebat commiseratio grauis eorum qui in periculo versabantur; metuebatque, ne deberet reus expostulari ad tribunal Dei; nisi moliri cuncta satageret, quò è faucibus lupi ouiculas suas bonus Pastor eriperet. Dum ita circumiret, conabatur insuper exstinguere inter familias odia inueterata, inclinare ad concordiam animos, & subleuare eos, quos magnis nominibus premi, neque esse soluendo, audiebat. Demum, si quem spes reliquerant omnes, hunc adspicere tamquam filium, & infortunium eius tam ferre familiariter, quàm si ferret suum, videbatur. Prorsus vt cum Apostolo posset vsurpare illud: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?*

Hæ res ab eo gestæ, sicut Spiritus sancti mini-

ministrum & interpretem decuit, in æstimatione omnium, reddidere Cardinalem Bellarminum virum non sæculi sui, & tantùm non æuo similem claris Ecclesiæ luminibus, Gregorio, Basilio, Ambrosio, Augustino. Hinc erant multi eâ persuasione, vt impetrari posse à Deo crederent, si quæ peterentur ob virtutes & merita eius: quod viri laudatæ fidei, interposito etiam iuramento, affirmarunt. Puellæ geminæ possessæ à dæmone, ex hac opinione in templum inductæ fuerant, vt à Cardinali, ad robur animæ, Chrismate sacro illinerentur; eoque vestigio secuta est vtriusque liberatio. Sed vt feminam aliam Cardinalis à simili molestiâ vindicaret, necesse habuit sumere arma virtutis Dei. Adduxerant è vicino pago mulierem ruralem, nomine Baronissam Prateliam. Agnouit Cardinalis energumenam esse, monuitque reuerteret ad suos. Pòst adhibiturus omnem opem pro eius curatione, ac satis gnarus peritiæ illius quam Christus Dominus tradiderat, cœpit austeriùs, quam soleret, ieiuniis supplicationibusque dæmonum vires frangere; qui sensere vim illicò, & indignabundi clamarunt: *Ecquid nobiscum habet Cardinalis Bellarminus? torquet nos nimio æquiùs; hinc facessere iubet, cogit nos immigrare aliò; vtique immigrabimus.* Hæc iterando rabidè, abs-

absque Ecclesiæ aliis amuletis, excessere gemebundi, ac mulierem reliquere, ab omni iactatione quiescentem. Quod beneficium hodieq; multi in eius merita referunt. Alias item ægritudines sanauit; quas ingeniosè pius, ad velandam laudem suam, hac industriâ in alios deriuabat. Ad affectorum corpora frustulum chartæ, è S. Ignatij epistolis intercisum, in quo eius erat subscriptio, ferebat; & ex eo conualuere permulti. Sed notabile in primis est, quod iam subdam.

Dæmoni filiam duodennem mater deuouerat; atque ideò ante oculos eius, ærumnosam & miseriarum compotem puellam vexator sæuus cruciamentis & flagris ita durè accipiebat, ac si ancillam propriam herus aliquis immanis flagellaret. Factum indignissimum vix audierat Cardinalis, cùm suâ interesse existimans, crudele iugum puellæ infelici detrahere, instar sacri edicti syngrapham exarauit; imperauitque in eâ dæmoni, vt desineret puellam exagitare, sibi traditam à Deo, tamquam Episcopo & Tutori animarum. Matrem verò, Dei ius impiam violasse, adiecit; nec potuisse filiam ita dæmoni prodere. Eam deinde syngrapham iussit collo puellæ circumdari, atque alligari vnà cum sancti Ignatij subscriptione: quæ quia mox ægro cuidam alteri debuit mederi,

ri, iuſſu Cardinalis recepta eſt; cùm diceret, puellæ ſatis remedij in ſyngraphâ eſſe. Res mira: ex eâ die impius exagitator ad puellam numquam acceſſit propiùs: ſed ex longinquo loco tantùm initiò oſtendit ſe, torques, gemmas, atque aurum, offerens; modò abijceret proſcinderetque ſcripturam illam, quâ ſe fatebatur ab acceſſu eius arceri. Atque ita nequiuit ad puellam ampliùs redire. Hæc verò aliqua ſunt, quæ Capuæ geſſit cum admiratione Cardinalis Bellarminus.

Romæ quamdiu vixit, poſtquam Archiepiſcopatu abdicauerat ſe, in menſes ſingulos ad aliquot Religioſorum domicilia certas eleëmoſynas ſemper miſit; præter alia ſubſidia, quæ frequens erogabat in pauperes, tranſalpinos præſertim; qui ad ipſum, tamquam ad parentem fidei ſuæ conueniebant: aluitque interdum ex eis quoſdam, vel ex proprio familiæ penu, vel præſenti pecuniâ.

Particeps in primis huius largitionis erat Eccleſia ſancti Vitalis Romæ: intra quam pauperes, quauis hebdomade, à Nouitiis Societatis, in Chriſtianâ doctrinâ erudiuntur; & poſteà ſinguli pane vno triticeo, nummuliſque pauculis donantur. Dedit ſimilem panis annonam Eccleſiæ olim tituli ſui, ſanctæ Mariæ in Viâ, vt ibi audirent peræquè inopes fidei documenta; & id continuauit etiam, poſt-

postquã titulum sanctæ Praxedis à PAVLO V. Pontifice, inductus veneratione erga S. Carolum, impetrauerat. Potest verò gloriari meritò Ecclesia S. Praxedis; post S. Carolum Borromæum, sui ipsius tituli honorem obuenisse Roberto Cardinali Bellarmino, qui sanctimoniâ fuit alteri simillimus. Reperit in eius templo ferè nudatum tectum, & patere imbribus omnia; ideò ne putrefieret, statim illud sumptu suo, pro loci dignitate, reparauit. Expensis adhuc maioribus ad sanctæ Mariæ in Viâ ædificium Templi, & vestium Sacerdotalium Ædiculam absoluit; consecrauitque Aram eius maximam. Nam Cœnobitæ eius Monasterij hoc subsidium ab eo maluerunt, quàm vt Cardinalis, sicut proposuerat, veste byssinâ, Templi parietes, quaquà circumeunt, conuestiret. Primis purpuræ annis, in hac ipsâ Æde, horis pomeridianis concionatus est ad dies festos omnes, tum Quadragesimæ, tum Aduentus Domini; & semper in auditorio frequentissimo. Egenis item, qui in eâ tribu atque viciniâ erant, eleëmosynas distribuit; ne eum quidem sterilem Titulum sufferens esse, absque pensione beneficentiæ suæ. Fuit porrò ad rem suam domi tam attentus, quò in gratiam pauperum plura seponeret; vt si hac vnâ illecebrâ sanctè inuitari ad parsimoniam visus
non

non esset, propè sordidi hominis atque deparci subuereri notam potuisset. Exemplo sit, quod addam.

Cùm habitaret ad S. Mariæ, trans Tiberim, (qui olim locus celebris olei perennitate fuit) habuit in propinquo muro horologium solare, in quo stylus ferreus erat è sede suâ aliquantulùm excussus. Ergo, quia nequior vsus eius redditus fuerat, Cardinalis proposuerat horologium restituere: retardatus tamen est, cùm rei pretium indicarunt, fore circiter denarios argenteos duos. Æstimauit enim pauperibus seponi eos æquiùs posse, quàm impendi in re non adeò necessaria. In quo sensu commiserationis erga pauperes abundauit adeò, vt qui tam perfectè præstò aliis erat, plane vni deesset sibi. Aliquando, quia ei crura defluxu vitiati humoris solito grauiùs intumuerant; Medici verò suaserant, tibialia indueret laxiora: ipse, tametsi horum pretium, cùm ex panno solerent parari, perpaucorum esset argenteorum, subdidit etiam tum, pecuniam illam qualemcumque congruere meliùs pauperibus, & tibiis suis abundè fore, si quoquo modo illæ tegerentur. Quare accipi par tibialium, quæ domi erant vsus antiqui, eisque mediis assui frustulum è simili panno, vt essent laxiora, imperauit. Dum verò de hoc veteramenti genere

raro,

raro, ac vix audito in purpurâ, ſtatuitur; & obiiciunt familiares, prorſus operam ludi, tibialia reconcinnando, quæ haberet ab annis iam duodeuiginti: interim ad vela foribus cubiculi prætenſa, ex inopinato adoleſcens eleëmoſynam petiit pro genitrice; quam, vti aiebat, in itinere deſeruerat, vt modum quæreret eam deuehendi. Qui aderant Aulici, commentum id eſſe interpretati ſunt; & veluti compoſiti mendacij reo, denuntiandum exiſtimârunt, ne inopem ſe inuerecundè adeò ſimularet. Sed Cardinalis, cui pro tibialibus religio fuerat circiter denarios argenteos ſex in ſui commodum exponere, aureos binos homini largitus eſt, votique eum compotem dimiſit. Sic amor erga pauperes, ipſum pro iis omnium, quæ eſſent domi, diuitem, pro ſe omnium inopem reddiderat.

Femina item honeſta, ſed pauper, quia dum perquireret, quinam Præſules Romæ eſſent, de quorum liberalitate clarior opinio percrebuiſſet, Cardinalem Bellarminum audiuerat in hac laude facilè primum eſſe; conditionem ſuam ei expoſuit, nec fruſtrà. Nam Cardinalis eam, quamdiu vixit, in menſes ſingulos aliquot aureorũ cenſu perpetuo ſuſtentauit: in quo genere erga alios plurimos eò progreſſus eſt, quò progredi benignitas poteſt. Copiam ſermonis, dum menſæ accumbere

bere vellet, rogauit iuuenis Britannus nescio quis pauperrimus, & tantùm non fame enectus. Statim, sicuti S. Martinus vestem olim, ita Cardinalis Bellarminus obsoniolū suum, quod vni ipsi, nec lautè famuli parauerant, cum eo diuisit; seque in hunc modum fraudans victu suo, pauperibus proprios cibos sæpenumerò dispersit: vt cùm ad alium ægrum, qui pro foribus domus emendicabat, suæ paropsidem offulæ de prandio misit. Quotquot aut in triuiis occurrerent ægri, aut decumberent prope domum eius; continuò illos manu, vel gestatoriâ sellâ duci ad Xenodochium iubebat. Nec desunt, qui referant, cùm similis æger occurrisset in loco vbi geruli nulli erant, à quibus posset in valetudinarium deportari, hominem pannis & morbi lue squallidum, in rhedâ susceptum à Cardinali Bellarmino fuisse, & delatum rectà ad proximum Xenodochium: in quibus ægris Christum latentem cerni oculis ab eo dixisses, ac illi obsequium deferri, qui ait: *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Non omittam, ad eamdem erga inopes commiserationem, conatum eum fuisse etiam inducere alios. Nobili Viro, qui Venetiis librum, de quo errorum suberat aliqua suspicio, ad eum miserat, rescripsit; quoniam vo-

lumen illud Romæ erat venale, futurum fuiſſe magis è re pauperum, ſi denarios argenteos tres, quos vt librum tranſmitteret, expoſuerat, pauperibus potiùs erogaſſet. Capuæ quotquot è Clero erant in Diœceſi, quibuſdam anni celebritatibus ad Archiepiſcopos dona mittere conſueuerant. Cardinalis, cui piaculum videbatur, ad munera manus aperire, & ſe eorum contactu quaſi polluere; litteris datis ad omnes Archipresbyteros Pagorũ idem perſcripſit, quod per internuntios Eccleſiaſticis aliis ſignificauerat in Vrbe Capuâ. *Decreui proximis Natalibus*, inquit, *& deinceps à Presbyteris & Clero munuſculi loco nihil accipere. Proinde moneas, quotquot in tuo ſunt Archipresbyteratu, ne quidquam vel mittant, vel ferant. Sed potiùs qui ſunt pauperes, ſemet iis donariis nutriant; diuites verò & copioſi, erga pauperes munifici ſint: ita namque meriti maioris compotes erunt, quàm ſi ea mihi dediſſent. Dominus noſter ſit tibi Deus totius conſolationis*, &c.

Præterea, quia profitebatur Petro Cardinali Aldobrandino ſe plurimùm debere; haud aliâ ſignificatione teſtari ſe poſſe illi gratum animum ſuum ratus eſt, quàm ſi eum hortaretur ad ſimilia pietatis officia. Auctor illi præcipuè erat, vt manſurum aliquod ac ſtabile ſubſidium pauperum Romæ fundaret.

fundaret. Epiſtolam legi, Prid. Idus Ianuarij M. DC. IX. datam, in quâ idem Cardinalis Aldobrandinus reſcribens ad capita duo, quæ Bellarminus ei propoſuerat; nempe vt foueret amplexibus beneficentiæ ſuæ illos, qui ad Chriſti fidem conuertebantur; & vt aperiret tabernam medicamentariam, gratis adeundam in ægritudine à pauperibus viciniæ ipſius, Mediciſque ſalaria perſolueret, vt gratis eoſdem inuiſerent; reſpondit, ad ea pronum ſe quidem eſſe, ſed nequire ſtatim illa exequi, ob Eccleſiæ neceſſitates alias. Ceterùm, quoad ægros inopes iuuandos, non diu Romæ fuit deſiderata Cardinalis Aldobrandini ea liberalitas. Cardinali Montalto, quem nouerat ad benefaciendum eſſe apprimè diſpoſitum, perſuadere conatus eſt; vt vel in Vrbe Româ, vel in Ciuitate aliâ, vbi Academiæ opportunitas foret, fundaret Collegium pauperum Clericorum, qui nati eſſent in obſcuris Pagis: quò ij nimirum victu & veſtitu haud ita multùm diſſimili, atque habeant domi ſuæ, hoc eſt, tenui menſâ & cultu educarentur; ſtudiiſque humanioribus, ac præceptis conſcientiæ inſtructi in patriam redirent, in eâque vineam Domini excolerent. Etenim conſtare aiebat, ex eo genere non paucos, poſtquã fuere in Seminariis iuuenum nobilium aliquamdiu verſati, verecundari,

atque ægrè induci, vt ad Pagos remigrent, & consortia honestiorum atque felicium deserant.

CAPVT IV.

Qualis in eo fuerit amor Iustitiæ, ac tutela Iurisdictionis.

TImore Domini sancto, castoque, vsus Cardinalis Bellarminus est, tum in omni vitâ, tum præcipuè in æquitate administrandâ. Quæ ad Diuinæ Maiestatis honorem augendum conducerent, ea videbatur sequi semper: & cùm antè conscientiæ quàm famæ consultum vellet, hoc tantummodò putare gloriosum, quod esset tutissimum; atque ideò sectari opiniones securiores studebat. Sed arduum est, rem æquis ponderibus librare, cùm ad exercitium ipsum venitur æquitatis tuendæ. Si enim Iudices ceteri ad id ægrè sufficiunt; quantò erit difficilius in Ecclesiasticis, qui Pastores nominantur & Patres, ac temperare debent seueritatem iudicij, illamque miscere cum dulcedine charitatis?

Hanc laudem quoque assecutus egregiè Cardinalis Bellarminus, vsus est eâ formâ gubernationis, in quâ summæ æquitati iungeret summam lenitatem. Coniecti sunt ab ipso in carcerem pauci; nulli vinculis diuturnis,

nis,aut perpetuis damnati: siquidem timendum in eius Tribunali non fuit, ne aut causæ fierent æternæ, aut gratia æqui vim obtineret,aut auro culpa redimeretur. Quidquid monendo corrigi poterat,id animaduersione aliâ non puniebatur; cùm ipse nollet mortem peccatoris, sed vt melior innocentiorq; viueret. Nemini verò magis rebatur, quàm Episcopo,spiritum lenitatis conuenire; cui diceret studendum potiùs,quemadmodum ceteris esset exemplo, quàm quemadmodum oporteret vincula reo iniicere, vel ad triremes quempiam damnare: itaque cauendum sibi peræquè arbitrabatur,ne aut Clerus peccando,aut ipse puniendo modum excederet. Et quia constans opinio erat, nullo discrimine inopis aut potentis, sed summis infimisq; iura æquando, solitum eum laudare probos, & malos corripere; idcircò non erat periculum iam, ne metus aut reuerentia exciderent animis subditorum: quibus lenitas Pastoris, & Iudicis austeritas,videbantur ideò misceri, vt hæc sibi mutuò excessum adimerent, non vt alterutram altera deiuuaret. Quin imò magis metuere voces, si quid moneret ipse, quàm pœnas exhorrescere in alio Tribunali, plerique eorum videbantur: & verò aduersus resides ac inobedientes erat animo tam acri, & tam constanti, vt perfecto odio incitatus,

fauore nullo poſſet inclinari, quò rediret cum eis in gratiam: ſi cederent ij tamen, clementioris ſententiæ ſtatim erat, & leniſſimè placabatur.

Simultates, quibus Eccleſiaſtici, vel de iuriſdictione, vel vter alteri loco ac dignitate ſit anteferendus, mutuò certant, concoquere Cardinalis Bellarminus non poterat: cùm crederet, vix eas poſſe ſuſcitari, quin populo offendiculum creent; dum Prælatos, inſtitutos à Deo in procurationẽ pacis, fouere contentiones perpetuas videt, & hoſtibus quàm fratribus apparere ſimiliores. Admonebat proinde, vt ea diſſidia ponerent, ſi qui hoc pacto inuicem diſcreparent. Scripſit aliquando etiam viro cuidam illuſtriſſimo, Iuſtitiam & Charitatem ſorores ambas eſſe; & curandum, vt perinde ac ſorores decet, quoties oboriuntur lites, re demum adiudicatâ, non diſiungantur. Haud propterea tamen ſui præiudicium fori vmquam tolerauit: & ideò cùm vnus è Canonicis ipſius, à Cardinali Geſualdo, Archiepiſcopo Neapolitano, in ius Neapolim vocaretur, non permiſit illum eò ire; & ad Cardinalem ſcripſit, cauſæ illius arbitrium ad ſe potiùs pertinere: proinde a diſcuſſione eius abſtineret, & controuerſiam ad ſe reiiceret: neque aliter egit Cardinalis Geſualdus, cùm agnoſceret rem æquam poſtulari.

ſtulari. Contrà, ſi quæ inciderent dubij iuris; mirum erat, quàm facilè aliorum ſe iudicio ſubmitteret.

Exemplo ſit alia controuerſia, circa Abbatiam S. Michaëlis Procidæ; quam ei Clemens Pontifex, poſt obitum Cardinalis de Aragoniâ, contulerat. Illam is, tamquam *nullius Diœceſis*, rexerat perpetuò; neque Cardinalis Geſualdus, Archiepiſcopus Neapolitanus, quamuis hoc tentauerat ſæpiùs, potuerat ibi iuriſdictionem vllam vſurpare: nam alter id pohibuerat; tranſmiſeratque etiam Eccleſiaſticos ſuos, vt Sacris initiarentur, ad vicinos Epiſcopos Ænariæ, ac Puteolorum; quorum primus ſecundo tantùm, alter quarto inde lapide diſtabat. Poſtquam verò Cardinalis Bellarminus Antiſtes Procidæ renuntiatus eſt, noluit ſumptu inutili, & cum iacturâ charitatis, litem illam diu alere. Sed Cardinali Geſualdo auctor fuit, pateretur arbitrum eligi, qui eam dirimeret. Itaque Clemens Pontifex iniunxit Camillo Cardinali Burgheſio, qui fuit deinde PAVLVS V. vt litem æſtimaret, ac pronnntiaret de illâ pro æquitate. Is verò, re diſcuſsâ, cenſuit Inſulam Procidam Neapolitanæ Archidiœceſis partem eſſe, & eius iuriſdictioni ſubiacere. Gauiſus eſt Cardinalis Bellarminus, controuerſiæ finem impoſitum eſſe, abſque vllo fori ſtrepi-

tu: ac paulò pòſt Procidam ſe contulit; eoque ad poſſeſſionem adeundam Cardinalem Geſualdum ipſemet Neapoli tranquilliſſimè inuitauit.

Sed acerbiora in eo Regno diſſidia non rarò naſcuntur, vt aſſeratur Eccleſiaſtica auctoritas contra miniſtros laicæ poteſtatis. Ab hac parte Cardinali Bellarmino felicitas ſumma fuit: & vt appareat, quâ prudentiâ & dexteritate potuerit periculoſum eum ſcopulum declinare, illud affirmari poteſt, ipſum re & factis impleuiſſe, quod ſcripto poſtmodum docuit Angelum de Aciariâ, Sororis filium, quando is inauguratus eſt Epiſcopus Theani. Dum enim monitis maximè idoneis illum inſtrueret, vt meditaretur per otium, quæ deinde vſui forent; ſeptimo eius Admonitionis capite, quam compoſuit in gratiam illius, fermè hæc habet: *Iuriſdictio hæc videtur noſtro æuo lapis offenſionis eſſe, & petra ſcandali; nec facilis eſt tutela eius, abſque eo quòd offenſio Principum incurratur. Et tamen negligi non poteſt, abſque eo quòd negligatur Deus, & Pontifex Vicarius eius. Subeunt animum in primis duo; & vtrumque ad rem hanc arduam conducere admodum poterit. Primum eſt, ne in hoc genere quid aggrediamur temerè, aut ſine maturâ deliberatione. Quòd ſi viri ſpectatæ prudentiæ in promptu non*

non sint, quos consulamus; sciscitemur saltem per litteras, interrogemusq́ eruditos homines & probos. Alterum est, vt viuamus eâ moderatione, ex quâ fiat persuasio Principibus, eorumq́ Administris, nos occasiones rixarum non peruenari; sed sustinere eas controuersias dumtaxat, professione obsequij erga Deum, & Fidei quâ tueri Ecclesiasticam libertatem tenemur. Ceterùm cupere nos eorum amicitiam; quam vt permagni æstimamus, ita semper conabimur promereri. Etenim Principes Viri erga Episcopos beneuoli, complura permittunt eis solâ huius mutuæ vicißitudinis causâ; non permissuri aliàs, quando illos aut minùs amicos, aut palàm aduersarios experiuntur.

Hæc duo ipse seruauit perfectè, & ideò potuit feliciter suos regere: quam laudem nec ignorauit, nec siluit de ipso Roma; eamque propterea Clemens Pontifex gratulatus est illi manu suâ, ferè in hæc verba:

Venerabilis Frater,

SEnsu cordis magno amplectimur rationem officij, quo fungeris erga Nos, occasione Natiuitatis Domini: & fuisset etiam nobis voluptas maior, si prætermißâ consuetudine hac Aulæ, insinuasses potiùs, quæ peccauimus anno iam exacto; vt nos erudires, quo pacto possemus annum insequentem auspicari sanctiùs, &

 serui-

seruire in eo impensiùs Diuinæ Maiestati. Gratulamur tibi pacem istam, quâ frueris cum administris Regiis; qui cùm caput habeant, egregium atque optimum, & cui nos laudem debemus, spem nobis faciunt fore, vt tu pacem eam iampartam facilè possis tueri. Inuidemus (si fas est ita loqui) desiderio, quo incenderis, conatus & vires omnes tuas consecrandi animarum vtilitati; quæ Vigilantiæ tuæ commendantur. Hæc nos cogitatio angit quotidie, & expauefacit adeò, vt nisi Deus Benedictus, qui cognouit figmentum nostrum, panderet interdum nobis sinum benignitatis suæ, & ostenderet quantum sperare debeamus in misericordiâ eius; necesse foret, propè animo caderemus, ac deficeremus sub onere magno nobis imposito. Vale, & nostri memór sis in Sacrificiis & precibus tuis. Datum ex Palatio nostro Apostolico, hac die SS. Innocentium, M. DC. III.

Sed Cardinali Bellarmino id non peperit sola felicitas eius temporis, absque industriâ ipsius. Cùm enim plurimùm gratia & dignatio Viri profuerit; constat, in negotiis capessendis & tractandis alacritatem eius, & consilij lumen, plus adhuc huic rei profuisse.

Prima laus debetur quidem obseruantiæ, quâ Philippvs III. Rex Hispaniarum, & Regina eius Coniux Margarita Austriaca, illum venerabantur. Scripsere siquidem ambo

ambo ad Neapolitanum Proregem, Franciſcum à Caſtro, ſtatim atque Bellarminum Archiepiſcopum Capuæ renuntiatum eſſe intellexerunt; & cum commendatione perhonorificâ ei præceperunt, vt nouo Capuæ Archiepiſcopo, in quacumque Eccleſiæ ipſius neceſſitate, obſequeretur. Quin & addidere, ſuâ ipſorũ intereſſe, vt Magiſtratus Regni honorem illi deferant; vtpote Viro, quem tantopere ambo venerabantur. Prorex itaque Cardinali, dum vtrique ſe interuiſerent, teſtificatione plurimâ obſequij, quid Rex & Regina præciperent, quid ipſe ſponte ſuâ cuperet, patefecit; & quamdiu præfuit Regno Neapolitano, ſemper eum in honore præcipuo habuit: quemadmodum egit Comes Beneuenti, alter ab illo Prorex. Verùm prudentia, quâ vſus eſt Cardinalis Bellarminus, vt mutuam eam animorum viciſſitudinem confirmaret, & vt poſſet liberiùs petere, quæ ſacri erant iuris, ex eo maximè apparuit. Nouerat, Capuæ familias aliquot, ſpecie tenus, in Eccleſiaſticorum aggregari album, & gaudere immeritò immunitate Cleri; quæ res cedebat in damnum cenſuum Regiorum: interceſſit ipſe, & vſum prauum aboleuit, ac Cæſari reddi voluit, quæ erant Cæſaris; quò deinde, cùm res ferret, Deo redderentur, quæ erant Dei. Hinc nata erat inter Miniſtros

Regis

Regis frequens ea vox: Cardinalis Bellarminus enimuerò iustus est; sua tametsi repetit, non retinet aliena. Opinio hæc, hausta è tam claro euentu, vti altè insederat animis Ministrorum Regiæ potestatis, id in primis effecit; vt potuerit Cardinalis Bellarminus, obluctãte ex eis nemine, loca quatuor Archiepiscopatus, ex quibus magni prouentus annuè percipiebantur, à Dynastis & finitimis populis recuperare. Oeconomo iniunxerat, vt ea in Ecclesiæ antiquum ius, ex quo & reuulsa pridem fuerant, reduceret: & is loca eadem, re & facto, non sine aliquâ vi tamen, recepit; magnoque incepto adhibens effectricem rerum constantiam, eadem iure etiam & possessione defendit; populi faustâ cum admurmuratione, & cum admiratione Magistratuum Regiorum. Vim adhibitam, tametsi vsurpandi iusti iuris causâ, vti rem odiosam, Cardinalis mansuetudo non probauit: fuit verò (quæ apud omnes erat de ipso integritatis fama) ei possessio confirmata per Administros Regios; & mirati sunt omnes, potuisse iurisdictiones eas amplas, & tam culta prædia è manibus Virorum Principum reuelli. Ipse Regens Martos, qui Regni iurisdictionibus præerat, Oeconomo eius, quoties is Neapoli secum vnà ageret, iterabat illud: Ego à Cardinali ero, in quauis petitione illius; nam ipse iustus

iustus est, mereturque, vt, quia est ei ratio rectissima postulandi, sit quoque auctoritas ea, quæ postulauerit, obtinendi. Sed neque Dynastæ ij, à quibus fundos antedictos recuperauerat, mansere alieno aduersus ipsum animo; at fuere imò beneuolentiæ indicia eadem, ac si non eos fundos vi, sed sponte reddidissent: adeò res pro æquitate gestæ, & acta innocenter vita, amandum ipsum verendumque, supra honorem & infulas eius, omnibus proponebant.

Hic fauor à Prorege, & à Ministris Regni, sicut numquam eum induxit, vt præter ius & fas quidquam vellet; ita nec perpulit, vt à conditione descenderet suâ. Etenim se pro Archiepiscopo & Cardinali gerere, personamque interdum ab humilitate positam sumere in loco, ac sustinere magnitudinem Ecclesiæ, semper visus est.

Comes Beneuenti, Neapolitanus Prorex, & eius coniux, Cardinalis Bellarmini (quem vti eximium colebant) præsentiam & colloquium expetebant vnicè. Proinde Religiosum virum, qui vtrique erat à Cõfessionibus, Capuam non semel miserunt, deprecaturi aduentum eius Neapolim. Verùm, quia Prorex proposuerat, cum Cardinalibus officia mutua vsurpare ex æquo, atque eos honoris causâ tantùm domi suæ deducere à dextris,

inque

inque ædibus ipsorum dexteram viciſſim ab eis accipere; Cardinalis Bellarminus conditionem oblatam conueniendi eum, repudiauit modeſtè. Itaque deſperato colloquio, dum aliquid hic purpuræ dignitati, aliquid ille regio muneri exiſtimat tribui debere; orauit Religioſum illum internuntium, Proregi affirmaret ſe, honoris ipſius causâ, & feciſſe, & facturum omnia, in quibus non migraret à ſe ratio Eccleſiaſtici muneris præcipui, quod gerebat in purpurâ. Addens alioqui fore, vt ſi ſecùs ageret, id ægrè Cardinales Romæ interpretarentur. Atque id cauſæ fuit, cur celebritati ac pompæ, in quâ D. Thomas Aquinas ibi cooptatus eſt inter Patronos Ciuitatis, non niſi habitu ignoto interuenerit. Non enim Regiam tum intrauit, ne Purpuram dedecori offerret; ſed potiùs, quamuis humili animo, ſobriè honori ſeruiret. Audiuit hæc verò inoffenſis auribus Prorex, nec deinceps vllatenus ipſius amicitiâ declinauit.

Dum hac proſperorum continuatione cum Magiſtratu Regio Cardinalis Bellarminus frueretur: tametſi plurimum præſidij poneret ſemper in conſcientiâ facti ſui; ſenſit nihilominùs haud parum conducere artem quamdam, cum præmuniendi inſtruendique circa cauſas, propter quas aduerſarij ipſius ad Regni Tribunalia ibant. Quin imò, ne

ne recederet à consilio Sapientis, qui ait; Sedatum dum est mare, de tempestate cogita; & vt præparata consilia in promptu haberet; dixit aliquando iis, quibuscum ei intererat consuetudo familiarior: si mitti ad se codicillos, vti fit in eo Regno, contigisset, quibus monentur Antistites nomine Regiæ Maiestatis, vt desistant ab intentatis minis execrationis excommunicationisque; & ne huic vel alteri eminari atque interminari pergant fulmina censurarum, si quidem optant gratiam Regis: futurum fuisse, vt quemadmodum apud se meditatus diu erat, simili aliâ syngraphâ eos moneret, nomine supremæ Maiestatis; cupere Regem Cæli, vt Ecclesiæ suæ integrum permitterent, exequi iura potestatis diuinæ, si quidem optarent ipsi quoque gratiam Dei. Hoc pacto induens loricam iustitiæ, & paratus ab animi fortitudine, ac fiduciâ in Deum, difficultates atque discrimina quæuis peruincere; præclarum rebatur, causâ tuendi Ecclesiæ iura, magna non solùm agere, sed etiam pati. Nihilominùs hoc fuit in Dei prouidentiâ pro eo semel & semper placitum, vt cuncta cederent tranquillè, quamdiu Ecclesiæ illius gubernaculo præfuit; siue innocentiam ipsius eâ perpetuâ felicitate testari voluerit Deus, siue ostendere potiùs, æquè delectari se prudenti lenitate,
quâ

quâ nauim peritè quis gubernat, inter ſcopulos & pericula ſimilia, ac delectetur constantiâ, quâ ſancti Præſules alij, cùm opus eſt, exhibent ſeſe inuictos libertatis Eccleſiaſticæ propugnatores.

CAPVT V.

Romam proficiſcitur, Sede vacante, ab exceſſu CLEMENTIS VIII. *Summi Pontificis.*

PAx ea igitur, quâ Cardinalis Bellarminus (incertum feliciùs, an ſapientiùs) triennio vſus eſt; & fructus, quem ex morum culturâ copioſum percepit; ad hæc, facta eius laudabiliter, quà myſteriis ſacris operando, quà omnibus benefaciendo; abſentia demum à ſtrepitu Aulæ, facilem ei reddiderant, & ferè iuſti oneris ſollicitudinem animarum. Quocircà probè conſcius, à ſe impleri vota populorum; ferè quid optaret amplius, fermè non habebat. Hoc indicauit clarè, dum Capuæ, ſub cælo ſibi ad valetudines improſpero, perſeuerauit; tametſi humor noxius in tibias ei magnis extuberationibus deflueret; nec aliâ ex causâ, vt Medici putarunt, quàm ex aëre regionis afficiente, atque inſalubri. Metu ægritudinis huius Cardinalis Baronius, ne in deterius iret, ex conſilio

etiam

etiam Summi Pontificis, ſuaſit, vt ſecederet inde Procidam: nam ibi quoque Antiſtes erat, & Capuâ tam parum aberat, vt vix eſſe extra diœceſim videretur. Sed ipſe peregrinabundus vagari, & tantùm animi causâ captare amœnas oras, recuſauit. Quod vbi intellexit Cardinalis Baronius, reſcripſit, mirari ſe, Neapolis & Procidæ delicias illi tam paruæ dignationis fuiſſe; qui tamen tractus Italiæ molliſſimus eſt. Id verò argumentum eſſe dixit, ſponſam ſuam ab ipſo ita diligi, vt vel ad ſpatium breue ſolitudinem illi metueret.

Exhilarabat eum meſſis copioſa, quam ex agro ſuæ plantationis & ſuæ irrigationis percipiebat, & ex quâ pretia meritorum cumulabat. Hinc denuò Cardinalis Baronius in Epiſtolâ, *Eſt cur gaudeam*, inquit; *quia dum lætor, iſtic benè tibi eſſe, & à te benè etiam ceteris eſſe, ero particeps meriti huius perinde, ac ſi merito fruerer meo. Gratias Numini ago; & rogo, vt peruiuas diutiſſimè, quò ita poſſis magis Eccleſiæ prodeſſe. Quæ ſuperant ærumnarum, ſymbola ſunt, quibus noſtrum omne opus bonum conſignatur; & quibus fit manifeſtum, ita placitum Deo fuiſſe. Itaque eſt, quòd tu pariter gaudeas: nam tibi reſpondent oracula cuncta. Illud tamen ſancti Petri obuerſetur animo: Satagite, vt per bona opera certam faciatis ve-*

ſtram vocationem. Ideò ſi egeris perſeueranter ad finem vſque; quid eſt, quod poſſit nocere vobis, ſi boni æmulatores fueritis? Collige te intra receſſus imos ſanctæ humilitatis, & exulta cum timore & tremore: vt tu quoque ſcribis; & noſti meliùs, quàm ego poſſim exprimere. Quoad defenſionem noſtrorum Patrum, in promptu eſt hiſtorica inſtructio, admodum fuſa. Sed proderit magis, ſi cum Pontifice apertè, atque, vt eſt animus, loquar: quod egi hactenus, & porrò agam. Sperare imò & ominari audeo, fore vt Deus ſit victoriæ compos; & vt famulos ſuos, qui deprimuntur, exaltet. Romæ, prid. Non. Ianuar. M. DC. III.

Multò minùs ea ægritudo, & alia quæ ibi ſufferre iniucunda debuit, retardarunt ſeu manum eius, quin ageret fortia; ſeu mentem, quin meditaretur vtilia pro ouibus ſuis: & hoc egit eò impenſiùs, quò certior ei, ab ipſo initio, fuerat perſuaſio, vltra ſpatium triennij Capuæ ſe non permanſurum. Etenim vnum illud iterabat frequenter, quoties familiam teneri deſiderio Vrbis aduerteret; quemadmodum etiam denuntiato itinere, quando Capuam eundum fuerat, dixit: vt qui nouerat Aulicorum genium, qui ſeceſſum ab Aulâ exilium eſſe ducunt; & nuſquam libentiùs vitæ ſpiritum hauriunt, aut alibi meliùs, quàm in Romano Cælo, incaleſce-

lescere ad grandia solent. Monebat videlicet, bono essent animo; & crederent futurum, vt tantùm triennio, nec eo quidem exacto, Capuæ morarentur: debere intereà Pontificem mori: denique subrogandum in Pontificatu alium, qui veniam abeundi non daret; & prædictionem hanc excepit euentus. Admiratio tamen fuit, quòd cùm appeteret finis triennij, & gnarus esset propediem sibi remigrandum ad Vrbem, ad iter nihilominùs viaticum non parauerit: sed in pauperes erogauerit, quidquid pecuniæ suberat; quam vltra mensem domi senescere, non patiebatur. Ordinarius Dispensator tamen industriâ suâ hoc periculum inopiæ anteuertit, néve oppignorare supellectilia foret necesse: apud diuites aliquos debitores, qui quouis momento potuissent, quæ exigerentur, repræsentare, distulit redditus aliquos petere; & ij veluti ad vltimos casus relicti, sumptus viæ suppeditarunt, quando CLEMENS VIII. obiit, v. Non. Martij, An. M. DC. V.

Hîc, dum familia ad auram nouæ spei velificans, profectioni adornat se, plurimùm doluit Cardinalis, quòd deberet à sponsâ suâ postremùm diuelli. Tutelam eius Vicariis delegauit; & curauit, vt esset ei consultum optimè, dum præsentiâ Pastoris destitueretur. Populo dein è suggestu valedixit: & post

ſalubria monita, hortatus eſt, vt timorem Domini ſanctè colerent, omnes; & ſi quid ſupereſſet praui moris, citò illud virtutis propoſito emendarent. Adiecit, tametſi vates non foret, ſe haud reuerſurum ad eos; nec permiſſurum nouum Pontificem, vt denuò ipſe Romam deſereret. Dotes etiam noui Archiepiſcopi & Succeſſoris indicauit perinde, ac ſi creatus ille iam eſſet: & diſtinctè addidit, eum diu peregrè in Legationibus, ad obſequium primæ Sedis, diſtinendum. Hanc verò abſentiam, ait ex Dei deſtinatione ipſis in pœnam imminere; quia Paſtorem ornatum virtutibus egregiis haud merebantur præſentem ij, qui cũ fructu adeò tenui triennium exegerant, dum ipſe interfuerat eorum Antiſtes; & quà priuatim, quà publicè, de vitiis, ac de irâ cæleſti, eos commonefecerat. Ad hæc omnibus lacrymæ obortæ ſunt; & ſalubrem talium ſermonum amaritiem clamor excepit, ac luctus publicus, cùm dicerent vniuerſi: *Ne derelinquas nos, Paſtor bone: ne deſeras nos, nos orphanos: ſub te, quæ peccauimus, Pater, filÿ emendabimus.* Atque hoc mœrentium & lacrymantium ſono deductus ad ædes eſt, die altero indidem abiturus. Dixiſſes ſanctum Paulum à Mileto Epheſum proficiſci, dum & ipſe prædiceret fore, vt faciem eius non viderent ampliùs; denuntia-

tiaretque omnia, quæ pòst euenêre. Quo tempore, ſicut S. Lucas refert, *magnus fletus factus eſt omnium; & procumbentes ſuper collum Pauli oſculabantur eum, dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam ampliùs faciem eius non eſſent viſuri: & deducebant eum ad nauem.* Et par erat, vt Cardinalis Bellarminus, cuius in Eccleſiæ regimine fuerat imitator, eiuſdem, in digreſſu ex illâ, videretur eſſe ſimillimus.

Spectaculum magis lugubre fuit, cùm ſequenti die, præparatis ad profectionem omnibus, obuerſata eſt veſtibulo domus eius mœſta Ciuitas. Aderant primores è Senatu, immixti cum plebe, atque interiacebat pauperum multitudo; cùm verò Cardinalis in conſpectu fuit, repentè fletus & clamor exortus eſt, Paſtorem, Parentem, Tutorem confuſis vocibus appellantium; & lamentantium ſuam ſolitudinem atque orbitatem. Mox eum circũſtetêre tam multi, partim veſtium oram exoſculantes, partim roſariis piè contingentes, preceſque & vota flagitantes; vt adhibiti ſint, qui ſubmouerent vndam populi, ne cum incommodo graui premerent abeuntem. Circumſonabant omnia ſingultibus gemitibuſque, ac vocibus, quibus, vt reuerteret, nec deſereret ſuos, rogabant; fatebanturque, cunctos vnius ſpiritu viuere, & inter vi-

ſcera charitatis ipſius reſpirare omnes. Ipſe, cùm illos publici doloris oculos non ferret, cœpit viciſſim lacrymis exſtillare copioſiùs; ac ſatis indicare, oues ſuas quantopere diligeret. Quare, vt voces colligere potuit, vniuerſos collacrymantes conſolatus eſt blandè: ac faſſus eſt, corpore abire ſe, animo atque affectu manere tamen; nec per miſſurum, vt per eam abſentiam eleemoſynæ minuerentur: quod fecit deinde; & Ciuitati reddidit incertum, procul an coràm benignior haberetur. Poſt hæc manu ac voce omnibus fauſtè precatus, Romam verſus iter inchoauit. Ibat verò inter ſignificationes acclamationeſque populi, pudorem eius onerantis; ægrè in confertâ multitudine progrediens, ac per Ciuitatem præſertim, ex acceſſu & receſſu populi cunctabundus, ac properans. Foris verò ad milliaria plura eum proſecuti ſunt è Primoribus multi; & hæc omnium vna vox erat: *Felix abi Parens ſancte, Paſtor bone; tibi Deus fauſtum iter, & ſimul celerem det reditum.*

Atque hæc eius fuit commoratio in vrbe Capuâ, non diuturna tempore, ſi annos numeres; ſed ad gloriam longæua, ſi ſpectes māſura virtutis eius exempla. Suſpiciet enim in eo poſteritas omnis cæleſtes artes, quas intulit ad regimen Eccleſiæ illius; ita vt coniunxerit ſtudium efficax tuendæ iuriſdictio-

nis

nis cum vniuersali tranquillitate,& cum clementiæ famâ mentem retinentissimam æqui: subditos docuerit amare,dum metuunt: officiis æquè summos atque imos demeruerit: homo temperans ac frugi egerit secum arctè contenteque,cum aliis liberaliter atque magnificè: ac demum infractus laboribus visitandi,cogendi Synodos,concionandique, & mysteriis operandi,per se obierit omnia; neque aliter, quàm si vnus multorum aut manus aut animos haberet. Diceres, eum perfecti Episcopi descriptionem, quam rogauerat è multis Archiepiscopus Rothomagensis, calamo non concinnasse; quia factis eam ita in se formauerat pulchrè, vt in posterum esse idem deberet Bellarminum imitari, ac perfectissimi ideam Episcopi moribus referre. Cuius semet ipse statuerat, veluti signum aliquod, non quod semper in basi hæreat; sed quod vt vnicuique proponatur ad imitandum, possit per orbem vniuersum famâ & recordatione peruagari.

CAPVT VI.

Aliquot pia eius consilia, circa optimum regimen Pontificatus.

ANtequam ad ea veniam,quæ Cardinalis Bellarminus in comitiis Pontificum

egit, ſubdam aliquot eius conſilia; quibus credidit fieri poſſe, vt ſancti Petri ſucceſſores ſanctiùs gubernaculo Eccleſiæ præſint. Suggerebant illa, partim muneris proprij obligatio, quia ex purpuræ loco, propinquas habebat aures Vicarij Dei; & verſabatur in eo gradu, ex quo ad ſupremum aſcenditur: partim exprobrationes Hæreticorum qui criminationibus, quibus ſolis valent, bellum perpetuum Eccleſiæ inferunt, eique falsò & ſuperbè multa obiiciunt. Quorum dicta, vt factis & moribus confutarentur; deſiderio exarſit ſic formandi Eccleſiaſticam gubernationem, vt perfectionis tantumdem haberet, quantum in humanis ſperari poteſt. Proinde ſicuti ſemper abfuit in ipſo, perpetuũ malum Principum, adulatio; ſolebat apud viros graues ſermonibus ſerere ea, quæ communi bono prodeſſe opinabatur: & quæ feciſſet procul dubio, ſi vocatus fuiſſet à Deo in excelsũ & ſummum locum; quem non optaret tamen, imò & trepidè metueret. Magnam partem horum conſiliorum, in his quæ ad Clementem Pontificem ſcripſerat, retuli. Superſunt alia, quæ partim ab inſpectæ fidei viris accepi, partim reperi concepta ſcripto eius. In primis gnarus, multa eſſe, foris quidem coloris optimi, ſed quæ incommoda ſæpè intùs celant; affirmabat (vt is, cui cauta potiùs conſilia

cum

cum ratione, quàm prospera ex casu placuere semper) futurum prorsus, si deuoluta res ad se vmquam foret, vt minimè auctor rerum nouarum esset, absque prudentissimorum hominum suffragio, & spe vtilitatis magnæ, pro Ecclesiæ totius vel commodo vel ornamento. Atque ideò penes se ad consultationem viros sapientiâ & probitate eximios habiturum se, aiebat, & spatium etiam deliberationibus daturum: quia magni regiminis consiliis damnosa admodum est festinatio.

Dein præ cunctis curandum Pontifici credebat, vt ad normam Ecclesiasticæ disciplinæ formaretur Clerus. Nam, quia fluxa sunt humana omnia, facilè fit, vt mores in licentiam sensim prolabantur. Idque obtineri posse, absque nouis decretis, arbitrabatur, si Concilium Tridentinű seruaretur. Vix enim res alicuius momenti superest, cui sancta ea Synodus non perfectè consuluerit. Propterea optabat, vt noui inaugurati Pontifices, in primo Senatu, quem habent, eius Concilij volumen proferrent, ac dicerent: Formæ ratio, quam in Ecclesiam inducere constituimus, hic Liber est.

Desiderasset etiam, ne Pontifex in laicæ ditionis regimen incumberet perinde, ac si eius ceruicibus onus grandius impositű non esset. Etenim, aiebat, videndű quidem ei, ne respu-

blica illa inferior detrimenti aliquid patiatur: ſed ita, vt ſimul penitùs dedat ſe ſpirituali iuriſdictioni; tamquam ipſius diſtractiſſimus tantorum onerum mole, huic vni negotio vacaret animus, vt Chriſti oues paſceret: interritus expenſis, infractus laboribus, quandocumque de Fidei amplificatione, deque auctu diuinæ gloriæ ageretur. Ita ſcire ſe, addebat, multos præclaros Pontifices, atque Sanctiſſimos, armatos non loricâ, non gladio; ſed æquitate, ſed fide, mundi Principibus & Monarchis obniti veritos non fuiſſe: & expreſſiſſe, vel ab inuitis venerationem ac metum; Orbem terrarum à prauis documentis repurgaſſe; & nouas gubernandi regendique præſcripſiſſe formas, quando ita æquitas vel Euágelij defenſio poſtulauit; Reges quoque & Imperatores, ad expeditiones bellicas, aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis, & aduerſus tyrannos Ethnicos permouiſſe.

Ideò exiſtimabat, diui Petri temporarium patrimonium debere potiſſimùm impendi pro fidei propagatione; atque huic negotio in mente Vicarij Chriſti, in quâ verſantur ſollicitudines omnium Eccleſiarum, prærogatiuam tribui oportere. Hortabatur proinde, exiret quaſi cuſtos vniuerſalis in agrum Mundi, vt proſpiceret, párſne aliqua operas ad ſui culturam exigat, vel contrà ſegetes

iam albas ad messem habeat? ánne pars alia ad prospectum amœna sit, sed reipsâ siluescat? pateátne vspiam aditus feræ pessimæ, quæ culta, hæc speciosa demoliatur? demum supersitne vitiosum germen, quod euelli debeat, tradique in combustionem igni? locúsne appareat aptatus Euangelico semini suscipiendo? *Nónne, si exis, & cernis ista*, aiebat cum sancto Bernardo, *pudebit otiosam iacere securim? pudebit sine causâ falcem Apostolicam accepisse?*

Prætereà, quoniam Episcopos Deus adiunxit Summo Pontifici, tamquam adiutores sacros; hæc in eorum delectu potissimùm suadebat: Nempe, vt Pontifex excluderet, si qui ambitione propriâ, aut aliorum commendatione honorem peterent: notitiam verò perquireret eorum, qui in variis Mundi regionibus doctrinâ, prudentiâ, sanctimoniâque præstent: vt cùm occasio adest, non sint quærendi, qui eligantur; sed possint eligi statim, qui excellunt. Nam graue esse rebatur conscientiæ ipsius, aliter tot eligere, tot differre, vel præterire. Putabat etiam fore, vt Episcopi munere suscepto fúngerentur alacriùs; si eos Pontifex (quod suadet Tridentina Synodus) coleret tamquam fratres. Vt verò cognosceret accuratiùs de Ecclesiarum statu, quas illi regunt, & ne cùm ad limina redeunt,

redeunt, color superesset moræ in Aulâ diuturnioris; expetebat, certum in hebdomadâ diem, in quo eis spatium sermonis daretur, à Pontifice constitui, quò ita non differrent reuersionem ad sedes proprias. Demum, quoties opus esset, salubria in loco monita eis impertiret Pontifex; iisque monitis, nisi fierent alij mores, tum exemplum ederet paternæ seueritatis. Mitteret quoque Ecclesiasticos inspectores, qui Domini agros inuiserent propiùs, culta ab incultis distinguerent; ac de his referrent postmodum, quò ipse nauos, ac desides, laudaret, castigaretque. Item, quia certum est, gubernationi Ecclesiarum lites eas plurimùm obesse, quæ innascuntur causâ iurisdictionis, inter Principes quà Sacros, quà Laicos, suasurum dixit; ne controuersias istiusmodi perpetuas alerent, quibus impeditur fructus, quem exigit Deus à Pastoribus animarum.

Peroptabat aboleri, vel minui saltem, tot modos reseruandi, supremis Iudicibus, noxas conscientiæ grauiores. Præscribi quoque terminum censuris intentatis à Iure. Imponi meditatè pensiones iis Sacerdotiis, quibus est adiuncta procuratio animarum. Videndum etiam esse, aiebat, ne Magistratus iustitiam vendat; aut permittat, vt Rei ex gratiâ passim supplicia euadant: quod in Regno suo

sanctus

ſanctus Ludouicus cauerat olim, lege non ſolerti magis, quàm felici.

Ad hæc, cenſuit in rêgimine ſupremo, Vrbem Romam à Chriſti Vicario, qui eius Antiſtes eſt, haud negligi debere: & par ideò eſſe, vt illius Eccleſias per ſe circumſpiciat ſemel; quemadmodum egit olim S. Gregorius Magnus; & frequentiùs id muneris obeat per Cardinales, qui ipſarum titulos habent.

Rationem quoque ineundam, relegandi ex Vrbe tot proſtratæ pudicitiæ mulierculas: quod pariter egit S. Ludouicus Rex Lutetiæ Pariſiorum: cùm ſit indecens, in ſanctâ Ciuitate, ita eſſe incontinentibus ſemper paratam voluptatem. Atrocia in Deum & in Sanctos dicta, thori maritalis violationes, præpoſteras libidines, puniri oportere ſuppliciis grauiſſimis, iuxta præſcripta Veteris Teſtamenti: ne pudor ſit, Chriſtianos homines, non perinde, atque Hebræos olim, iſtiuſmodi facinorum vindices haberi. Interdicenda quoque Hebræis ipſis in Vrbe fœnora tam aliena, quibus nec ineſt æquitas, nec adeſt modus.

Formam temporarij regiminis exigebât in Eccleſiâ tam ordinatam, quàm fingere Philoſophi & docti Viri eam vmquam potuerint. Suadebat in primis, vt ſubditis vectigalia minuerentur; quò nimirum admini-

ſtratio

ſtratioEccleſiaſtici Principatus,Dynaſtis aliis præberet exemplum gubernationis æquiſſimæ. Id autem procurandum exiſtimabat; tametſi propterea ſuperflua demi,& tolerari etiam in Principatu vitam hominis frugi, oporteret. Et quoniam rebatur,debere Pontificem magis Epiſcopum, quàm ſæcularem Principem agere; Diuinæ Fidei propagandæ ſtudio, partem prouentuum maiorem ab eo impendi voluiſſet: & non, vt Conſanguinei opimentur,aut Magnates fiant; cùm ſit ſatis impertire iis,quantum videatur opus eſſe pro gloriâ dignitatis, & pro conditione Ordinis quem obtinent, iuxta doctiſſimorum hominum, ſanctorum Patrum, & Conciliorum præſcripta.

Commendabat Pontifici etiam viros Religioſos, quò ij ſuæ ſint compotes immunitatis, etiam in Eccleſiaſticâ ditione, & ne Magiſtratui Laico vllatenus ſubiaceant. Si qui tamen deprehenderentur ex eis praui documenti; hos ſeponendos à probis, & intra Cœnobia ipſorum æquâ animaduerſione puniendos.

Adiecit, vtilitatis & famæ plurimum Eccleſiam Dei poſſe colligere, ſi Pontifex Religioſorum Ordines reducere ad vitæ antiquam laudem conaretur. Ad hoc verò Religioſos ipſos maximè idoneos putabat; &

deli-

deligendos propterea viros prudentiâ moribuſque conſpicuos è variis Cœnobitarum Ordinibus, vt hi, iuxta ſingulorum inſtituta primæua, decernerent, quidquid in rem crederent pro eorum reformatione. Item ſubmotis indigniſſimis, gubernacula Cœnobiorum eis tradenda, quos virtus, non fauor commendaret; & qui poſſent exemplis quoque ad diſciplinam ſubditos inſtruere. Quorum gubernatio vt conſtans & tranquilla eſſet, neceſſarium credebat, vt aduerſus proteruos & reſides auctoritate ſuâ Pontifex iiſdem patrocinaretur.

Quoniam inſuper ſanitas capitis confert adeò ad corporis totius ſanitatem; etiam aſſerebat, nihil potius aut prius debere eſſe, quàm vt Diploma pro ordinandis comitiis Pontificum conderetur, iuberetur que electio eorum fieri per arcana ſuffragia. Cuiuſmodi ſanctio promulgata feliciter fuit à Gregorio XV. vt conſuleretur ſuffragiorum libertati. Pręterea inter Auguſtos Patres, quoniam ſolent ex his Pontifices eligi, tantùm aſſumi cupiebat eos, qui aut eſſent virtute magni; aut excellerent doctrinâ, aut generis & familiæ gloriâ præ aliis eminerent. Ij porrò euecti in ampliſſimum Ordinem, Religioni ducerent, ſi ſententiam rogati, reſpectus rerum priuatarum (qui offecere ſemper, & officient conſiliis

ſiliis publicis) non ponerent; imò potiùs ingenio aperto, & impauidi mitterent liberam vocem, vt qui neminem timeant pariter ac neminem terreant.

Concludet hæc omnia Cardinalis Bellarmini votum, quod nuncupauit, dum piis meditationibus exerceret animam: & inuentum hoc fuit inter ſcripta eius magis arcana: continet verò, futurum, vt ſi Pontificatum adeptus aliquando eſſet (quod ne eueniret tamen, impensè Deum rogabat) tunc ex agnatis neminem, vel Cardinalem, vel Principem, vel Comitem crearet, aut ditaret amplis opibus; ſed curaret tantùm, vt in eo ordine in quo nati erant ciuium honeſtorum, id acciperent commodi, quò minùs egerent. Hoc verò ſacramento ſe obſtringere voluit; non quò alios Pontifices notaret, qui agnatos, & affines, nempe dignos, ad purpuram euehunt (cùm id quiſque variè pro ſuo ſenſu poſſit interpretari, & cùm ſint viri etiam prudentes, quibus reipsâ ſtare poſſe ſine adiutore moles tanta non videatur) ſed quia Numinis inſtinctu allici ſe ad hoc ſenſit: nec animo atque ore tantùm, ſed ſcriptione etiam votum id concepit; quod eius verbis referam.

DIe XXVI. *Septembris* M. DC. XIV. *fer.* VI. *in domo Nouitiorum S. Andreæ degens,* &

& exercitiis ſpiritualibus vacans, maturâ præhabitâ deliberatione, in Sacrificio Miſſæ, cùm ſumpturus eſſem Sanctiſsimum Domini noſtri Corpus, votum voui Domino in hac formâ:

Ego Robertus Cardinalis Bellarminus è Societate IESV, *Religioſus profeſſus, voueo Deo Omnipotenti, in conſpectu Beatæ Virginis Mariæ, & totius cæleſtis Curiæ, quòd ſi fortè (quod non cupio, & precor Deum vt non accidat) ad Pontificatum aſſumptus fuero, neminem ex conſanguineis vel affinibus meis exaltabo ad Cardinalatum, vel temporalem Principatum, vel Ducatum, vel Comitatum, vel quemcumque titulum; neque eos ditabo; ſed ſolum eos adiuuabo, vt in ſtatu ſuo ciuili commodè viuere poſsint. Amen. Amen.*

CAPVT VII.

Qualem ſe in Comitiis exhibuerit, in quibus electi Summi Pontifices LEO XI. PAVLVS V. *&* GREGORIVS XV.

CVm intra ſpatium breue, Pontifices duo, Clemens VIII. & Leo XI. poſt annos verò ſexdecim, Paulus V. obiiſſent; ea, quæ Cardinali Bellarmino tum euenere, in Comitiorum conclaui, (qui locus ſtatio eſt, ampla diuerſis animorum motibus, flu-

ctuantique electioni, in magnâ studiorum varietate) satis indicarunt, ipsum intulisse eò mentem retinentissimam suę perpetuæ tranquillitatis. Aulici vrbis Romæ, tum maximè, si vmquam aliàs (vti sunt ad omnem auram spei mobiles) pro se quisq; ominari fausta, atq; adeò ferre sermonibus & multiplicare famâ præstantiam Heri sui, consueuerunt. Proinde sunt diuersi in ore tunc frequentissimæ Ciuitatis; & id efficit partim varietas meritorum; partim intemperantia vetus, donec Patres vnum eligant, plurés, & varios designandi. Tametsi verò Ordo ille Purpuratorum tantam habeat supremo cum honore propinquitatem, vt ferè nullus sit adeò spernendis honoribus validus, contemptorque gloriæ, cui non aliquantulùm cupiditas illius animum commoueat; de Cardinali Bellarmino potest illud affirmari, ab ambitionis aurâ pectus ei intactum fuisse penitùs. Receperat enim se intra nidulum humilitatis; & meditans imperfectum suum, iudicauerat sibi prorsus impares vires esse, ad onus illud humeris etiam cælestibus formidandum. Imò quia fastigium omne supremarum dignitatum, putabat finitimum esse ruinæ locum; sibi numquam imperare potuit, vt Pontificatum inter res optabiles recenseret. Quocircà sermones de illo miscere solitùs

erat,

erat, tamquam de re quam fugeret anhelus, & sancto quodam horrore metueret. Aliquando exhilarari se eâ cognitione dixit; quòd, qui oraculo ineuitabili Pontificis, minitantis certum animæ vulnus, ad Purpuram fuerat vocatus, ad summum Ecclesiæ Sacerdotium adigi non posset; nam in interregno, imperandi ius esse nemini arbitrabatur: tantum à studio humilitatis inuentus aliquid ignorare is, qui omnes docuerat. Hunc eius animum, ab ambitione omni alienum, Alexander Cardinalis Vrsinus describit fermè his verbis: *Agnoui*, inquit, *quàm præclarè demitteret se, cùm in conclaui, ab excessu* PAVLI V. *Pontificis, me in cubiculum suum ducens, narrare quasdam suas rationes & causas cœpit, propter quas indicabat dedecere omnino, vt de se eligendo vlli cogitarent. Has verò mihi aperuit famulo suo; quem trahere in arcanos sermones, & pectoris sui participem habere pridem consueuerat. Adiecit postmodum fore sibi gratum in primis, si commonefacerem, dum eligendus fortè proponeretur.* Hæ cogitationes in Cardinali Bellarmino non oriebantur ex eo, quòd sentiret de se magnificè; sed quia pars magna Patrum erga ipsum adeò erat inclinatis animis, vt ad murmuratione fecundissimâ, dignum S. Petri successorem eum plurimi acclamarent. Quod de

ſe S. Hieronymus teſtatur, *Totius*, inquiens, *in me Vrbis ſtudia conſonabant; omnium penè iudicio dignus ſummo Sacerdotio decernebar: dicebar Sanctus, dicebar humilis, & diſertus.* Ex propenſione verò, quâ in eum ferebantur Cardinales non ita pauci, factum omnibus his tribus comitiis eſt; vt in primâ ſuffragatione, quam *Scrutinium* vocant, ipſe vnus Cardinales reliquos ſuperauerit numero ſuffragiorum.

Certus erat deinde, Principes omnes ſibi eſſe beneuolos; tametſi nec ſecretò quemquam conciliauerat, nec ad eorum vllum adhæſerat. Ex quo excludebatur à nemine, & ab aliquibus etiam optabatur. Accedebat ad laudem vitæ eius, quòd tertium iam annum Capuæ latuerat, nec aſſiduus fuerat in oculis Vrbis; quæ ſæpè res minùs verendos magnos homines ipsâ ſatietate reddit. Hinc itaque nati ſunt, præſertim in ſecundo conclaui, aliquot Cardinalium è primariis conatus pro eo magni; qui de ipſo eligendo egerunt, tantâ cum aurâ Sacri Senatus, vt res habitura ſucceſſum crederetur. Ipſe interim, non modò conditionem ſuam non auxit; ſed artes eas adhibuit, quibus, vt poſſet excludi, potiùs conſequeretur.

Cardinali Bellarmino proprium fuit, miſcere in conſuetudine familiari modos quoſ-

dam,

dam, neſcio dixerim, ſeueritatis lætiſſimæ, an priſcæ hilaritatis; vtebatur enim interdum non frigidis & accerſitis, ſed lepidis ac tempeſtiuis iocis: ab iis tamen in conclaui ſemper temperauit; & cùm ingenio eſſet ſummè obſequioſo, quæ res amicos parit, tum, quaſi conaretur ſtudia in contraria ferri, minuere comitatem, & officia vſurpare parciùs videbatur, ne ſibi animos aliorum conciliaret. Si qui Cardinalium intereà, recenſitis meritis eius, Pontificem nominare ſe eum velle ſignificarent; Bellarminus afferre contrà rationes plures: & de ſe contemptim, magnificè de aliis loqui; proponere etiam eos, quos pro tanto honore credebat eximios; ita vt facilè appareret, nihil magis eum agere, quàm vt obſtaret gloriæ ſuæ. Addebat, fore rem fortaſſe pœnitendam Cardinalibus, ſi ipſum eligerent, qui genus ducebat ab Auis adeò longæuis, vt ſuperſtites fuerint vſque ad extremum ſenium: ideò enim metuendum eſſe, ne Pontificem viderent nonagenarium, aſſerebat. Atque ea ſparſit in primis Comitiis, cùm adhuc vegetus, & viribus proſperis erat, Cardinalis à Dietrichſtain refert, Cardinalem Bellarminum in propriâ cellulâ, eo veſtigio temporis, cùm de ipſo eligendo deliberarent Patres, repertum à ſe ita in tranquillo agere, ac ſi videretur animus eius tum

maximè à curis omnibus feriari. Dein cùm indicasset, quæ tum de ipso cogitarent Patres; statim respondisse: Hoc verò absit; nam est animus, vt me abdicem quoque hac Purpurâ, quam gero.

Interim nec voce nec nutu gratam sibi esse operam ostendit, quam Cardinalis Baronius, Princeps amicorum eius, tum obtulit; cùm differens, Pontificatum famâ, spe, veneratione ipsi à multis destinari, quem humilitas tamen quasi in occulto haberet; adhortatus est, daret Patrum consensui spatium de se, panderetque sinum venienti Deo, & per illos eligenti; ac sponte etiam promisit, adhibiturum se omnem industriam, quò res succederet ex voto. Etenim ei Cardinalis Bellarminus supplicare statim enixè cœpit, ne se tantæ dominationi, atque eius periculis obiiceret. Atque hîc ego non possum, quin admirer, viros duos eximios, inter se de Sacerdotio summo, alterum offerendo, alterem recusando agere; de quibus dubites, vter dignior principatu esset: cùm vitam, in quâ nihil præteritum excusandum erat, honorem ætatis, vrbanam gratiam, doctrinam, atque promerita potuissent inuicem commemorare, neuter falsò: & tantùm addere, Dignus ego fortasse, nisi tu potior habereris. Non hæc audita tamen: non gratiæ redditæ: qui solet

ſolet eſſe finis talium ſermonum. Imò officium ita repulſum, vt offenſus eo Bellarminus videretur. Adiunxit verò, ſe ita eſſe comparatum, vt nec ſtipulam, quæ tum fortè iacebat humi, tollere loco vellet; ſi minimus ille conatus, vt Pontifex euaderet, requireretur. Multò minùs angi animo viſus eſt, aut perturbari; quando, ſententiis in Senatu variatis, electus non fuit: vt qui repeteret crebrò, munus Pontificis laborem eſſe periculoſiſſimum, & periculum laborioſiſſimum. Sunt, qui referant, à Cardinali ſolitos deinceps nominari cum commendatione perhonorificâ, quotquot ipſum à poteſtate eâ ſummâ (cui rebatur minimè ſibi animum parem eſſe) reiecerant; compellariq́ue veluti eos, à quibus beneficium, quantum vſquam maximum, accepiſſet.

Intereà morem inſtitutum, circa munia pietatis, non tenuit modò conſtanter, ſed auxit imò; & diutiùs, quàm domi ſoleret, illum frequentauit: poſtulabat à Deo quotidie cum ſuſpiriis, & gemitu cordis, vt quem deſtinauerat, mitteret. Subinde vel in cellulam ſuam, vel in ſolum ac ſeceſſui ſimilem locum ſe recipiens, vt Roſarium & diuinos Pſalmos recitaret, ſeu libellum aliquem pium euolueret: iterabat idemtidem hæc verba: *A Papatu libera me Domine; & mitte, quem miſſurus es.*

Iuxta consuetudines Conclauis, pane & obsoniolo vno victitauit semper, ne vel minimam eius temporis legem transgrederetur. Libertatem vt retineret in eligendo, suffragium nemini oppignorauit, præterquam Conscientiæ ac Deo; sicut nec anteà aut prouentus, aut quæuis speciosa pretia venalis libertatis ab vllo vmquam è Principibus acceperat. Religiosus vir quidam anxiè eum monuerat, significaueratque, propter gratiam impetratam à Pontifice, ex voto Ecclesiastici nescio cuius, offensum ei Neapolitanum Proregem; & posse hunc impedire, cùm res ferret, ne Pontifex eligeretur. Rescripsit Cardinalis Bellarminus, haud se facti pœnitere: etenim studio Ecclesiasticæ libertatis, Pontifici auctor fuerat, vt ita deliberaret. Crederet verò, si excluderetur à supremo Sacerdotio, nomine Regis Hispaniarum, id sibi fore gratissimum, cùm illud numquam ambierit. Ceterùm è MARCELLI II. Sorore se natum esse; & se nosse spiritus, nosse animum eius: abiturum itaque in Auunculi mores; cui Ministri Cæsaris interminati cædem etiam fuerant, si Concilium, vti Pontifex mandauerat, Bononiam transtulisset; nec eum propterea iis terroribus auertere, ab inchoatâ illa tractatione, potuerunt. Quippe cùm diceret Cæsarem posse corpus, interius se Principe, interimere;

re; in animâ non patere eius vulneri locum: & Deum, iudicem æquiſſimum, cunctis eſſe metuendum.

Hac innocentiâ Cardinalis Bellarminus electioni trium Summorum Pontificum interfuit; primò LEONIS XI. qui ſedit tantùm ad dies quinque ſupra viginti. Dein PAVLI V. qui præter expectationem, quam excitauerat magnam, dotibus excellentis animi, & prorſus facti ad Mundi gubernationem; exhilarauit Cardinalem Bellarminum, vel ideò, quòd formâ corporis eſſet auguſtâ, proſperrimâque; ex quâ ominatus illi annos, quos poſteà vixit, ſibi viſus eſt ſecurus à metu, ne ad ea ſuffragia denuò rediret. Quamquam etiam huic ſuperſtes, interuênit poſteà Comitiis GREGORII XV. in quibus ipſe eminens inter alios, & velut omnium animos gerens in voce & in conſiliis ſuis, tantæ dignationis eſt habitus, vt potuerit morari frequentiſſimum Senatum, ne (quod deſtinauerant plerique) eligerent nouum Pontificem, priuſquam valuis parietibuſque ſecretum electionis cuſtodiretur; Populus, & Proceres, Oratoreſque Regum loco prohiberentur; recitarentur Diplomata Comitiorum, & tranquilliſſime ſancti Spiritus numen imploraretur. Quod meritò Cardinalis à Monte, Decanus eius ſupremi Ordinis, vti rem, quam ad me-

moriam omnia sæcula ferent, existimauit testimonium esse posse venerationis magnæ; quâ Cardinali Bellarmino sacrum Collegium deferebat; quasi priuato suo consilio maiorem, pro communi re, cetero senatu animum haberet.

CAPVT VIII.

Abdicat se Capuæ Archiepiscopatu, vt obediat Pontifici, eique Romæ seruiat.

INter laudes alias, quas Cardinalis Bellarmini doctrina, integritas, & prudentia meruit; semper videbitur egregia opinio illa, quâ apud omnes Summos Pontifices excelluit adeò, vt non ob causas alias penes se ipsum atticnere voluerint, quàm quòd agnoscerent columen Ecclesiæ ipsum esse; & posse consilia, posse nutus eius, pro decretis Patrum, & pro oraculis haberi. Propterea LEO XI. qui CLEMENTI VIII. in Pontificatu successit, denuntiauerat ei, se haud permissurum, vt extra Vrbem Romam ampliùs degeret. PAVLVS V. qui diu posteà sedit, eum peræquè morari in Vrbe voluit; cùm haud decorum existimaret, si alia eum Ciuitas, omissâ Vrbe vnde in omnia regimen, distineret. Huic deliberationi (quá & præsenserat, & prænuntiauerat sæpè) minimè ausus est resistere Cardinalis Bellar-

Bellarminus; vt qui satis agnosceret, Dei mentem exprimi per interpretem vocem Vicarij eius. Quamquã id non magnopere fuit ex voto eius, cùm delectari cœpisset dulci quæstu animarũ; quod litteræ eius testantur, in quibus Sponsæ suæ carissimæ valedicere se, cum suo & sponsæ mœrore graui, sæpenumerò scripsit: & professus est id agi dumtaxat, propterea quòd ita Pontifici placitum esset: cùm alioqui, procul à strepitu Aulæ, Pastoris munere fungi maluisset. In hanc sententiam Iusto Baronio (cui persuasio erat, Cardinalem ideò se abdicasse, quoniam, vti legerat apud S. Hieronymum, putaret Episcopatum rem ærumnosam esse) rescripsit, causam non illam fuisse; sed solam voluntatem Pontificis: cui vt obtemperaret, necesse habuerat subire in Romanâ Vrbe molem occupationum miseram, & molestissimam; quarum comparatione, Pastoris sollicitudinem appellare poterat delicias suas.

Postquam ergo decreuit Pontifex, vt inter Aulæ ornamenta in Vrbe maneret Bellarminus veluti columna, cui onera sanctæ Sedis inniterentur; vltrò ei gratiam residendi obtulit, præsertim cùm ad initia Principatus instarent negotia grauissima. Sed cùm abnueret ipse; ne vel minimùm declinaret sanctiones & decreta sacrorum Canonum, in quibus

bus præcipitur Episcopis, ne greges proprios deserant, deliberauit potiùs Ecclesiæ nuntium remittere: & tum non defuere, qui conarentur ipsum ab eo consilio retrahere, dum proponerent instar exempli Episcopos non ita paucos primæ auctoritatis, qui non resederant ad occasiones eiusmodi; & dum adderent, inter abdicationem illam, & nouitatem successoris, amitti posse opportunitatem rei benè gerendæ; & posse contrà, vnum ipsum, quidquid prouidentiæ absentia, & moles, & multitudo negotiorum adimeret, supplere opinione atque vsu rerum, ac per Administros expertos rectè omnia procurare. Nihilominùs constans in proposito mens eius fuit; tum quia sequi maluit securiores sacrorum Canonum interpretationes, tum quia triennio didicerat, quantum boni ouibus adferat præsentia Pastoris. Itaque Pontifice consentiente, vt abdicaret se Archiepiscopatu, scripsit Clero, & Senatui Vrbis Capuæ, ferè in hunc modum: *Meministis, reor, me istic pro concione vltimâ dixisse, futurum, vt non remigrarem ampliùs; tametsi cuperem & sperarem reditum ad vos. Sed & addidisse, integrum sub nouo Pontifice mihi non futurum, vt Româ discederem. Mensis est, ex quo Pontificem rogaui, iuberet negotia quædam grauia vltra Autumnum non trahi, cùm eo tempore*

pore reuersionem meditarer ad Ecclesiam meam: sed fuit ea res occasio, vt Pontifex indicauerit, velle se, vt deinceps Romæ agerem. Tum subdidi ego, à me imperium non detrectari; sed religioni tamen duci, si Archiepiscopatum retinerem. Proinde, aut me Capuam remitteret, aut Ecclesiæ meæ Pastorem inueniret. Hoc secundum approbauit Pontifex; ac iussit, vt successorem idoneum perquirerem. Pro me illud affirmauerim, non sine sensu doloris mei nos inuicem separari; siquidem Ecclesiæ isti accommodaueram ego amores meos. Optabam insuper iam, vt numquam aliàs, denuò istic ingemere laboribus, & obsignare hoc symbolo dies postremos vitæ meæ. Fateor etiam, istic plus me quietis habuisse, & vixisse contentum magis, quàm Romæ viuam; vbi nec ad diem vnum mihi à laboribus assiduis feriari animo licet. Sed Diuinæ Voluntati par est acquiescere; subitóq; animum (quod & dixi pridem abiturus) fructum tenuem, quem Capuæ tres annos percepi, fortassis mutationis huius causam esse. Quid si enim Episcopus supremus Christus Dominus experiri velit, an Episcopus alius iunior, atque validior, messem allaturus sit cumulatiorem? Polliceor futurum, vt non abrumpere charitatem erga vos videar, & erga Ciuitatem istam, cuius regimen intra spatium bimestre deseram; at potius immolans Deo sacrificia votorum meorum, seruabo semper ve-

stri

ſtri memorem animum. Item, quà priuatim, quà publicè, prodero vnicuique; & poterit veſtra Ciuitas opinari, habere ſe Archiepiſcopos duos, Romæ alterum, & alterum Capuæ. Atque vt hîc ſcribendi finem faciam; fauſta deprecor vniuerſis, optóq; gratias Deo referri, quoniam ita diſpoſuit, & flagitari pro nouo Antiſtite fauentem auram Spiritus ſancti, &c.

Interim, dum verſaret animo, quem pro ſe gubernaculo illius Eccleſiæ poſſet præficere (quam ita rexerat, vt ſtrenuo etiam ſucceſſori videretur futura difficilis eius æmulatio) amici rurſus conſilia dederunt, vt ex familiariſſimis, quorum ſæpè allaudauerat virtutem, & quos expertus fuerat fideles in procuratione animarum, vnum eligeret. Nam hoc pacto, aiebant fieri poſſe, vt quæ ad obſequium Dei inchoauerat ipſe, eadem certiùs alter proſequeretur; nec deprehenderetur ferè Epiſcopi mutatio. Addebant, manſuras in tuto pias largitiones: nam adlectus quiuis ex hoc ordine, & haud dubiè contentus paruo, integrum ei reliquiſſet, vt de liberalitate nihil remitteret. Quòd ſi ſuccederet alius, non temerè id metui: quia in comperto eſt, quàm ſoleant facilè benignitates hominum perire. Sed hæc magis auribus, quàm animis, à Cardinali Bellarmino accipiebantur; conſcientiâ intùs ſuadente, vt offerret Deo volunta-

luntatem perfectam. Quare Pontifici totius rei permisit arbitrium, & tantummodò, siquidem ita ille iusserat, delectui habendo, viros idoneos aliquot nominauit; sollicitus, vt tanti possessio Archiepiscopatus, vacuo ab se relicto loco, alteri satis digno traderetur. Electus fuit Antonius Caietanus; qui obiit deinde conscriptus inter Augustos Patres; & quem generis summa claritas, prudentiaque singularis, & apta negotiis magnis, fine prosperrimo terminandis, atque adeò gratia tum apud Regem Hispaniarum, tum apud ministros Regni Neapolitani, plurimùm ad id commendabant.

Supererat, vt de prouentu annuo Cardinalis Bellarmini aliquid statueretur: nam ante eam diem, ferè solis Archiepiscopatus redditibus aluerat se: in quâ tractatione, si vmquam aliàs, moderati animi gloriam adeptus est. Monuerat Pontifex, vt nouo Archiepiscopo daret quotannis aureos mille; & summam reliquam suo relictam vsui putaret. Verùm ipse, ratus fore satis diuitem se, si bonam famam sibi seruaret; maluit censum vniuersum, cum Archiepiscopatu, redire ad Pontificis manus. Nam, quia dixerat sæpè, haud licere vxori valedicere, & ipsius dotem retinere; volebat, vt facta dictis fidem facerent. Præterquam quòd nec decere arbitrabatur,

batur, facultatem Archiepiſcopo non relinqui, erogandi egenis quæ vellet, ac deberet, iuxta Sacrorum Canonum præſcripta. Hæc fama temperantiæ eius, quàm ſecundâ admurmuratione excepta Romæ fuerit, faciliùs poteſt intelligi, quàm referri: adeò huius rei ſunt rara documenta. Pontifex tamen, qui auctor erat abdicationis, haud permiſit degere apud ſe in Aulâ Cardinalem tantę opinionis ac meriti, & interim ſummâ aureorum nouem millium annuè priuari: nam hæc ratio tum, ex auctis ipſo Antiſtite Capuæ redditibus, conficiebatur; tametſi ſeptem non ampliùs millia à conductoribus priùs exſoluerentur. Proinde quoniam ita tenax propoſiti, etiam redditibus ſponte ceſſit, ne, quod aiebat, ſponſam ſine dote alteri traderet: Pontifex victus non conſtantiâ magis quàm admiratione virtutis, ſuæque meditationi relinquens, iuſtum ei cenſum aptare; effecit vt nouus Archipræſul, beneficia neſcio quæ ei cederet viciſſim, & deciſam ab Archiepiſcopatu penſionem inſuper annuè ſolueret: quò in hunc modum, pro honore Purpuræ, Cardinalis Bellarminus ſemet, & familiam ſuam aleret.

His diſpoſitis, neceſſe habuit, Eccleſiaſticæ iuriſdictionis tuendæ causâ, rem aggredi ſatis à moribus ſuis alienam; expertus Taurini

rini difficultates, in adeundâ possessione Prioratus, quē vocant, S. Andreæ. Anno M.DC.IV. Clemens VIII. Pontifex beneficia aliquot simplicia Ordini Militari SS. Mauritij ac Lazari concesserat; inter quæ nomen expressum erat huius Prioratus: & tum eo potiebatur Antonius Caietanus, creatus dein Archiepiscopus Capuæ. Is Prioratum illum contulerat Cardinali Bellarmino: Dux Sabaudiæ tamen, Magnus Præses Ordinis, ipso initio acquisiti iuris., haud probabat, eos prouentus denuò in alium Dominum transferri; maluisset verò vt manerent, saltem titulo tenus, in aliquo Equite Ordinis. Dum res ea tractatur, circumegit se annus; & tandem Dux, Pontifice annuente (vti is numquam in animū induxerat, Cardinalem Bellarminum illis redditibus priuare) deliberauit, fratris filium, & ei cognominem, Robertum Bellarminum, gestamine magnæ Crucis insignire, & loci Commendatarium constituere. Sic magnitudo beneficij moram compensauit; & fratris filio fuit honori atque præsidio Patrui virtus: ac simul, tum Ordo beneficij possessionem adiuit, tum Cardinalis Bellarminus prouentus suos inde sumpsit; numquam immemor obligationis magnæ erga Sabaudiæ Ducem, propter oblatum vltrò beneficium familiæ suæ, cùm huius illa subsi-

dij admodum indigeret. Itaque functus iis curis animus eius, par negotiis quibusuis ingentibus obeundis, impendere se cœpit in publica munia, ex destinatione Pontificis; & moratus est Romæ, hoc est, in Vrbe consultrice Ecclesiarum omnium.



VITÆ ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI E SOCIETATE IESV

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

Ecclesiam Politianam, dum proprius illius Episcopus abest, annos aliquot gubernat.

CVM ad initia principatus Pauli V. esset abiturus in Gallias Legatus, Robertus Vbaldinus Politianæ vrbis Episcopus, qui iam est inter Purpuratos Patres; is ne Ecclesiam suam incustoditam relinqueret, Cardinalem Bellarminum, qui abdicauerat se non ita pridem Capuæ Archiepiscopatu, rogauit, vt illius gubernaculo præesset in-

terim: nam eam regere ipſe, propter legationis munera, & regionum longinquitatem, ægrè, aut vix poterat. Id verò flagitauit tam impensè, vt Cardinalis Bellarminus conſenſerit; præſertim vbi conſcius factus eſt, idem quoque à Summo Pontifice deſiderari. Verùm, cùm reputaret, quàm ſit res formidanda, propter adminiſtrationem animarum, debere ſe ſiſtere ſupremo Iudici ac Paſtori Deo; profeſſus eſt, illud onus haud ſubiri à ſe alio titulo, quàm ſolius obligatione charitatis; & hoc in Pontificio Diplomate exprimi ſingillatim voluit: quod factum eſt in hæc verba: *Per præſentes autem non intendimus curam aliquam aut onus animarum tibi imponere; ſed facultatem tantùm præmiſſa faciendi, vt tua in Eccleſiam prædictã charitas ſuadebit.* Sollicitudo tamen & vigilantia, quâ Eccleſiam Politianam gubernauit, eum iuſtum Antiſtitem, & non precarium, Diœceſi vniuerſæ repræſentauit.

Statim Etruriæ magnum Ducem, Ciuitatis illius Dominum, certiorem reddidit initæ deliberationis; ſignificauitque, inductum ſe ad id vehementi poſtulatione Epiſcopi, & imperio etiam Summi Pontificis. Porrò, ſicut defugere onus nequiuerat; ita conaturum ſe, vt cuncta ei obſequenter fierent: nam neque ab ipſo Duce quidquam exigendum

præ-

præter fas & ius arbitrabatur. Pòst manum, ad eiuſmodi curas idoneam, admouens gubernaculo, propoſuerat Eccleſiæ illi, non per vicarios tãtùm præeſſe, & per litteras cognoſcere de ſtatu eius; ſed eò quotannis immigrare, & in cuſtodiâ gregis ibidem interuallo aliquo morari. Pontifex tamen, qui Capuæ veluti ſepoſitum perſeuerare eum noluerat, ſed præceperat potiùs, vt pro Eccleſiæ Vniuerſalis neceſſitatibus grauioribus Romæ intereſſet, veniam abeundi pro eo negauit Oratoribus Cleri Vrbis Politianæ. Et tunc piæ Cardinalis querimoniæ auditæ ſunt; vt qui cenſeret haud poſſe, dum aberat, Paſtoris ſe munera implere, iuxta votum amplæ ſuæ charitatis. Et quia Pontifex poſtulanti etiam ipſi reſponderat, permiſſurum ſe, dummodò animi causâ, vel ſtudio amœni ſeceſſus eò cogitaret; non verò vt ibi tamquam Epiſcopus reſideret; variato potiùs ordine id concedi oportere, iudicabat. Sed eius virtus in ſemet ſeuerior, quia numquam ſe inuitabat ad ſpeciem vllam honeſti laxamenti, Pontifici perſpecta erat; qui arte illâ vſus eſt propterea, vt quod negabat conſtanter, id condiret eâ oblati otij & ſeceſſus libertate. Itaque deſtitutus hac ſpe Cardinalis Bellarminus, quia Vgo Vbaldinus, S. Petri in Vaticano Canonicus, & Politiani Epiſcopi ger-

manus Frater, negotia Episcopatus Romæ cum eo tractauerat; decreuit virum egregium, & in quo deprehenderat probitatem magnam virtutemque singularem esse, mittere in Politianam vrbem, vt lustraret Diœcesim, ac referret de statu eius; quò ita sapientiùs, quæcumque in rem forent, deliberaret. Acta sunt hæc, vt optauerat: & tum gnarus rerum, videbatur sibi aduigilare securiùs Ecclesiæ illius necessitati. Exinde cœpta sunt sacra mysteria ibi obiri decenter, ritè ministrari verbum Dei, rudes sedulò institui, Cœnobia instrui quibusuis vitæ sanctioris præsidiis. Fuit enim etiam Religiosis viris forma viuendi præscripta; in Clericis pietas & mores honesti refloruerunt: demum omnibus rectè faciendi, aut iniecta est voluntas, aut imposita necessitas.

Inter alia digna memoratu, quæ tum egit, haud postremum fuit, quòd conatus sit Constitutiones eius Ecclesiæ recognoscere, easque ad formam illam exigere, quam ætas præsens & Sacra Tridentina Synodus requirunt. Anno M.D.XLII. Pontifex Cardinali S.Crucis, qui fuit deinde Marcellus II. Diplomate Apostolico auctoritatem dederat condendi Ecclesiæ Politianæ leges: nam ea tum redacta in Collegij formam erat; sed exempta ab Episcopali iure, & nullius Diœcesis. Quæ igitur

igitur ſanciuerat ille, ea etiam ita confirmauerat, vt nequirent abſque veniâ Primæ Sedis immutari. Quia tamen Pius V. Pontifex, Eccleſiæ Politianæ conceſſerat Epiſcopi honorem; Conſtitutiones illæ veteres nouo vſui parum aptæ viſæ ſunt Antiſtiti, qui primus ei præfuit: & ideò is anno M.D.LXVI. leges alias, Sede Apoſtolicâ non rogatâ, nec conſultâ, introduxit; quas tum ipſe, tum Succeſſor ipſius ſeruarunt. At poſt obitum vtriuſque, tam priſcæ quàm nouæ leges, deſuetudine, vti fit, ceſſarunt. Atque hinc Vbaldinus Antiſtes, & vnà etiam Clerus Politianus à Paulo V. Pontifice flagitarunt, iniungeret Cardinali Bellarmino, vt Conſtitutiones, quas Cardinalis S. Crucis Auunculus eius tulerat, ad præſentem vſum aptaret: adderetque, vel demeret eas, quæ magis Eccleſiæ illi congruere, vel ſecùs, exiſtimarentur. Cardinalis Bellarminus, vbi accepit, pro eâ re, Apoſtolicæ Sedis Diploma; voluit, vt Canonici omnes aſſenſum darent, pro legum illarum mutatione; & vt ſe admiſſuros ea, quæ ſtatueret ipſe, pollicerentur. Tum indagare ſtuduit, quæ magis conducere poſſent ad ſtatum illius ordinandum: & Conſtitutiones condidit quidem; ſed antequam illas Pontifici traderet (ratus plus pollere multorum ingenia) oſtendit eaſdem amicis Epiſcopis

aliquot, qui habebantur in eâ peritiâ longè primi, vt conferrent mutuò ſermonibus: atque ita magis à curâ, Paulo V. negotium præparauit.

Pontifex, vt fuit illi proprium atque perpetuum, ſingula quæ erant huiuſmodi, ſuæ meditationi tradere; & vt ferè nihil motum ex antiquo probare conſueuerat; veteribus legibus viuere maluit Canonicos, tametſi parum illis idoneæ viderentur; mutatis dumtaxat paucis, quas vſus aut ſtatus præſens non admittebat. Hoc refert in Epiſtolâ ſuâ Cardinalis Bellarminus: *Scire*, inquit, *vos velim, Summo Pontifici, cuncta quæ optaſtis, fuiſſe à me propoſita: ſed ipſi placuit leges non abrogari, quas Cardinalis S. Crucis, auctoritate Pauli III. ſanciuit olim: paſſus eſt tolli eas tantummodò, quas vſus aut ſtatus nouus Eccleſiæ reyceret: addi verò iuſsit, quas Sacræ Tridentinæ Synodi præſcripta, vel poſtmodum edita Summorum Pontificum Diplomata, communiter pro Clero introduxerunt. Conſtitutiones omnes legit ipſemet, & æſtimauit ſingulas; ac denique, quod modò ſcripſi, deliberauit. Quæ igitur vobis minùs placent, mea non ſunt, ſed ſunt Cardinalis S. Crucis, & Pauli V. Summi Pontificis. Me verò contradicere nō decuit Cardinali tantæ integritatis; vel etiam ei, quem vt Dei Vicarium in terris Eccleſia veneratur.*

Sed

Sed anceps & diu tristis fuit alia tractatio, cùm Cardinalis Bellarminus, vt ibi augeret quotidianas distributiones, quæ tenuissimæ erant, optauit adiungere Clero primario beneficium aliud, cum onere procurationis animarum; quod tum vacauerat, propter obitum Pastoris Ecclesiæ S. Mustiolæ. Visa etenim ei est ea occasio peropportuna, vt eædem distributiones magis copiosæ redderentur: ideoque sepositâ cogitatione, aliorum priuata in se merita munerandi pensione aliquâ, cuius beneficium illud capax erat; hoc egit eò lubentiùs, cùm beneficia eius Diœcesis rara admodum essent. Sperabatur etiam illud commodi, vt Cœnobio piarum Virginum S. Bernardi, ad S. Mustiolæ, hoc pacto adimeretur onus procurationis animarum. Rem tamen desiderans consultiùs auspicari, conferre primùm de eâ voluit cum Cardinali Arrigono, Datario, & viro eiusmodi negotiorum expertissimo: deinde agens cum Oratore Etruriæ, explorauit num ea Magnæ Ducis, quæ tum regebat, mens & voluntas esset: demum totius Ciuitatis, Parochorum præsertim, consensum accipiens, re dispositâ, & nemine intercedente, impetrauit Summi Pontificis Diploma, & ritè adiri eius possessionem iussit. Non ita multò pòst, pauci ex Tribu seu Parœciâ extinctâ, litem inchoa-

runt coram Nuntio Apoſtolico Florentiæ; idque egerunt eò ſecuriùs, quòd conatibus ipſorum fauerent, neſcio qui præpotentes in Aulâ Principum Etruriæ. Cardinalis ægrè enimuerò tulit, aduerſarios eò niti, vt rem diſſoluere molirentur, quam maturitas tanta conſiliorum, Summiq; Pontificis auctoritas ſtabiliuerat. Idcircò vt motus illi ſedarentur, ad Magnam Ducem Etruriæ, aduerſus eos moratores publici boni, litteras dedit; faſſus in eis, futurum fuiſſe, vt ſi ſenſum illum paucorum hominum, qui factam aggregationem trahebant in deterius, initio compertum habuiſſet, priuſquam Clerus procuraret impendiis ſuis Diploma Pontificium, ab incepto ſtatim deſiſteret. Sed retractantes eos eſſe, poſtquam à Summo Pontifice ſancita res erat, & à Cardinali Arrigono Datario meditatè admodum concepta, Oratore ipſo Etruriæ participe & conſcio, ſucceſſu item pro Clero vtilitatis ſummæ, pro Religioſis Virginibus S. Bernardi ſummæ etiam quietis, hoc exiſtimari non ferendum. Deinde litem obortam eſſe, quæ damnoſa ſingulis priuatim, damnoſa vniuerſo Clero, nihil aliud, quàm exagitatis iuxtà & importunis exagitatoribus expenſas, Ciuibus verò diſſidia creare poterat. Ad Epiſtolæ finem à Magnâ Duce flagitauit, permitteret Sedis Apoſtolicæ Nun-

Nuntio rei totius arbitrium; & silentium imperaret iis, qui soli factum carpere (quod tamen approbauerant omnes) videbantur. Rescripsit illa in hunc fere modum: *Semper fuit mihi persuasio, nihil solere à te, nisi admodum circumspectè, agi; & aggregationi Ecclesiæ S. Mustiolæ intercessi tantummodò, quoniam ex eâ aiebant incommoda & turbas oriri. Sed ex quo agnoui perpaucorum hominum querimoniis falsò hæc spargi, ac Ciuitatem in tranquillo esse; nec debeo, nec possum, quin probem ac laudem, quæ tu egisti, & quæ Summus Pontifex approbauit. Nuntius Apostolicus satis conscius est, me nec locutam esse, nec præcepisse vlli, vt loqueretur pro causâ istâ aliter, atque in præsentiâ scripsi: & hoc desidero, vt perspectum habeas; sicuti nouit Archidiaconus Volitianæ Ecclesiæ, qui me propterea conuenit. Quod superest, ex more antiquæ obseruantiæ meæ, manus tibi deosculor. Florentiæ,* VIII. *Idibus Iunij* M. DC. XIV.

Sed cùm turbarum fomes non ideò exstingueretur, vitio quorumdam, qui Cardinali Bellarmino infensi erant; & quibus ipsa eius voluntas benefaciendi, grauis videbatur; decreuit abdicare se eâ præfecturâ, & curas deponere, in quibus felicitas deerat. Secuta verò est tranquillitas; & stabile fuit id, quod pro Clero disposuerat.

Sic

Sic ipſe, poſtquam ſollicitudine mirâ ad quadriennium Eccleſiam Politianam rexerat, aſſeruerat Clerum in formam optimam, cenſum eius ampliauerat, atque omnem adhibuerat conatum, vt Societas IESV in eam vrbem reuocaretur; annuente Pontifice, adminiſtrationē eiuſdem Eccleſiæ Vgoni Vbaldino ceſſit, qui apprimè capax illius iudicabatur. Nihilominùs, quàm conſtanter pietatem erga patriam etiam deinceps coluerit, geſtis in gratiam eius affirmauit: quia plurimis conditionem petentibus interpres & deprecator apud Principes fuit; ambiguis conſilia, ſubſidia egenis, ſuppeditauit: & erga ſingulos, atque vniuerſos partes impleuit optimi, dicerem potiùs Conſulis, quàm Ciuis.

CAPVT II.

De Patrocinio, tum Ordinis Cæleſtinorum, tum piarum aliquot familiarum.

INter occupationes alias, quas Romæ obeunt Cardinales, vt Summo Pontifici adiumento ſint in regimine Eccleſiæ Vniuerſalis, patrocinia numerantur, non Regnorum modò & Prouinciarum, ſed etiam Ordinum Religioſorum: diſtribuit verò eiſdem Cardinalibus idem Pontifex iſtiuſmodi Præfecturas. Hoc munere pariter fungi Cardinalis Bellar-

Bellarminus debuit; & fuere sub tutelâ eius Ordo Cælestinorum, Cœnobium in Vrbe Sacrarum Virginum S. Marthę, & Collegium Nationis Germanicæ.

Patronus Cælestinorum renuntiatus est anno M. DC. VI. & spem Religiosi magnam conceperunt, futurum vt sub ipsius tutelari fide, inciperent omnia felicitate quadam domi forisque temperari. Ipso initio, cùm instarent Ordinis Comitia; quia non satis norat, quinam apti essent vt eligerentur, decreuit per litteras eos ad electionem laudatissimam hortari. Significauit verò, se, postquam egisset cum Pontifice de ipsorum communi bono, & singillatim de Antistite Ordinis Supremo, deque aliis Præpositis deligendis; gratiam illis impetrasse ab eodem Pontifice, vt libera forent Comitia, nec externi vlli eis pręsiderent. Ad hæc mandauit, vt libelli in commendationem aliorum, siue ad Comitia generatim, siue ad singulares Religiosos missi, non traderentur iis quibus inscripti erant; sed seruarentur, donec absoluta esset electio Antistitum omnium. Quòd si quæ fortè epistola, inter eas litteras gratiæ, negotium aliud contineret; tum ex Ordine vnus, probitate & consilio eximius, legeret illam, ac redderet ei cui destinabatur, dummodò fauorem nemini conciliaret. Prohibuit quoque, ne intereà

tereà temporis famuli,vel per ſyngraphas,vel ore tenus, quidpiam eligentibus nuntiarent; & demum iuſſit has leges, vtpote aſſerentes ſuffragiorum libertatem, publicè in Comitiis recitari. Ad finem epiſtolæ inſinuauit, cupere ſe, vt ſuccederent tranquillè omnia; & vt in id conſpirarent cuncti, quò Diuinæ gloriæ, atque vtilitati Ordinis vnicè cōſuleretur.

Triennio pòſt, cùm ad ſuffragia redeundum eſſet, quia iam nouerat, in quem virtus, in quem inclinaret fauor; & quia Religionis neceſſitates perſpectas habebat; ſolertiâ maiori, vt ritè Comitia celebrarentur, procurauit. Itaque recurrentibus iis ad annum M. DC. IX. Epiſcopum Soræ, qui deinde Archiepiſcopus Tarenti fuit, voluit in eo conſeſſu pro ſe præſidere; & hic poſtmodum de electionis ſucceſſu ad Cardinalem Bellarminum retulit. Comitiis tertiò denuntiatis, ad annum M. DC. XII. haud viſæ ſatis hæ induſtriæ ſunt Cardinali Bellarmino; ſed ſtatuit coràm adeſſe. Itaq; ad Abbatiam Moronis, quam appellant, prope Sulmonam contulit ſe; & ne expenſis nimiis Cœnobium premeret, eò cum Aſſeclis paucis migrauit; tametſi Religioſi rogarent, vt accerſeret ex familiâ reliquos, ne adeſſet ſine honore comitatus. Ibi, cùm ex fluxionibus pituitæ valeret improſperè, numquam potuit adduci, vt excu-

excuſato languore, vel ſemel à Comitiis abeſſet. Monachos hortabatur quotidie,& obtinuit Orator egregius, vt nonnulli, qui ex præſentiâ eius neſcio quid metuerant, magis timuerint Deum, & conſcientiam propriam. Fatebatur verò id vnicè optare ſe, vt eſſet libera electio, & vt eligerent optimum. Sic æquiſſima ipſius mens, quam nec propria ratio,nec vis naturæ vehemens turbabat, efficiebat ſuauiter,ne in ſtudia priuata vel in partes Religioſi diſcederent. Atque hinc non ſine admiratione dein euenit,vt datis ferè ſine variatione ſuffragiis, Generalis Antiſtes creatus fuerit P. Ioannes Baptiſta Sulmonenſis, magnæ vir experientiæ,& diu notæ probitatis.

Poſt hæc, vt ſtabilirentur nouæ ſanctiones,impetrauit à Pontifice Diploma, quò in Comitiis aliis,indictis ad annum M. DC. XV. Antiſtes retineri idem poſſet, qui eo triennio præfuerat. Vt verò ad hoc omnes ſuauiùs induceret,epiſtolam ſcripſit Ordini vniuerſo: in quâ diſſerebat, veteres quidem leges Petri Cæleſtini, Sanctiſſimi Pontificis, præſcribere,vt Abbas ſupremus, exacto triennio, abdicet ſe Præfecturâ; ſed generalibus Comitiis poteſtatem nihilominùs relinqui, eum retinendi pro triennio alio. Quòd ſi Conuentus Generalis, qui habitus eſt ſedente Pontifice IOANNE XXII. hoc ius abrogauit; factum id

id propterea, vt ambitioni magis præclusæ viæ in posterum essent. At experimentis constare, triennale spatium, quando Antistes eximius est, angustum esse; vt quæ inchoauerit vtiliter, possit ea constanter, ne illicò vanescant, stabilire. Quippe in Religiosis iis Ordinibus, in quibus omnem potestatem ad vnum conferri; boni communis interfuit; magna licet ingenia eligantur; haud posse existimabat perfectè eos, qui præsunt, gubernare, nisi aliquo modo in regimine insenescant. Quæ causa est ferè, cur Religiosæ familiæ iam pleræq; id more agant, vt vel continuent, ad obitum vsque, in supremo Præside Magistratum; vel eum, triennio circumacto, in eisdem iurisdictionibus ad sexennium retineant. Demum absoluit in hæc verba: *Et quia Generalis Antistes, qui iam Ordini præest, in gubernatione suâ, vota impleuit egregiè Summi Pontificis, & mea (quæ fuit in eo prudentiæ & æquitatis cōmendatio) cùm non possit vlla esse suspicio affectatæ ab ipso potestatis diuturnioris; vt qui credere potuisset, niti se in vetitum, in eiusmodi procuratione; propterea spontè flagitaui Pontificium Diploma; quò possit hac vice dumtaxat confirmari. Verùm, quia Pontifex Diplomate suo non cogere, sed suadere id solùm voluit; non possum ego, quin horter omnes, vt seponant respectus propriæ vtilitatis; & quæ*

quæ ſcripſi, perpendant accuratè: nempe quando Antiſtes optimus eſt, triennium in gubernatione prodeſſe parum. De me velim ea ſit omnibus perſuaſio; conſilium hoc à me proponi tantùm, ex deſiderio quo teneor, vt hinc Deo, & Ordini veſtro decus & præſidium maius oriatur. Sic ipſe; & ſucceſſit quemadmodum optauit: nam P. Ioannem Baptiſtam Sulmonenſem, Ordinis ſupremũ Antiſtitem ſententiæ omnium reſalutarunt. Simile Diploma, ad tres item annos, Patri Celſo Amerigo, qui electus primùm fuit anno M. DC. XVIII. & adhuc Ordini præeſt, impetrauit; virum expertus egregium, tum in omni re, tum præcipuè, quando prudentiâ & dexteritate ſuâ Galliarum & Belgij Cœnobia, Italiæ Monaſteriis aggregauit; & effecit, vt vni Antiſtiti Generali, vniuerſæ familiæ huius Ordinis ſubiacerẽt. Negotium hoc, quia fuit à Cardinali laborioſiſſimè ac diu promotum, præteriri ſilentio non debet. Galliarum Cœnobia Ordinis Cæleſtinorum, & vnum in Belgio etiam, imperium Abbatis vniuerſalis, excepto tributo, quod ei perſoluebant annuè, detrectabãt; & peræquè recuſabant, parere eminùs iubenti, aut pati eum cominùs viſitantem. Obfuerat vel diſtantia locorum, vel inducta perperàm conſuetudo; quæ maturè, priuſquam inualeſceret, opprimi debuiſſet. Imò iam Re-

gni Galliarum Orator à Pontifice, Regis sui nomine, postularat; Cælestinos Italiæ Galliæque iuberet deinceps ita distingui, vt pro Regno Galliæ Abbas Generalis alius, & Prȩsides Prouinciales tres constituerentur. Ex Religiosis verò non pauci hoc ipsum, quod commendatione Regis petebatur, specie Reformationis intereà honestabant. Sed vota eorum irrita fuerunt. Nam Cardinalis Bellarminus, vt summo Præsidi Ordinis illa submitteret, postquam rem in Comitiis proposuerat, adiit Pontificem venerans; ne Galliæ Cœnobia, abscissa esse à Capite pateretur. Apostolico Nuntio etiam scripsit, vt cum Rege ageret; quò Abbati Generali, visitandi causâ, fieret potestas vt in Galliam veniret. Denique inchoatam procurationem non priùs deseruit, quàm ex auctoritate Sedis Apostolicæ, & ex Regis consensu, licuerit Generali adire & circumspicere Cœnobia Galliæ omnia. Quod egit sanè euentu prosperrimo; vbique exceptus hospitiis humaniter, & auditus obsequiis feliciter. Obuenere difficultates tamen, quæ propter circumstantias graues, absque indultis iis, cuiusmodi Romæ rarò impetrantur, superari non potuissent. De singulis verò, cùm ab Abbate Cardinalis per litteras certior fieret; tunc laboriosa & difficilia quæ essent, mirâ constantiâ per-

peruincens, rescribebat quid facto opus: & perueniebant responsa eius in Gallias tam properè, quasi adferret ea Cælestis Nuntius.

Sanè P. Celsus Amerigus Generalis existimauit, tractationes illas tam arduas, precibus ipsius Cardinalis veriùs, quàm humano subsidio, adeò felicem & celerem exitum habuisse. Inducebatur verò in eam persuasionem, dum reputaret, sibimet in Gallias ituro prædixisse Cardinalem, futurum, vt res flueret è sententiâ; & vt cum honore cuncta succederent. Etenim exceptus à Rege beneuolè, spatium sermonis & copiam auctoritatis habuit, vt quæ destinabat prudenter, fortiter eadem exequeretur. Habentur hæc in litteris Legati Pontificij (qui iam est Cardinalis Bentiuolus) ad Cardinalem Bellarminum datis. Referunt enim, Generalem Antistitem adductum ab ipso ad Regem, priusquam visitationem auspicaretur, fuisse; & posteà, dum rebus in vno loco compositis, alias atque alias adiret sedes, vbique sancitas ab eo leges, idoneas continendis in officio iis, quorum inclinata in dissidium leuitas metueretur. Addebant, eum Lutetiam Parisiorum reuertisse, & cœpta fuisse Ordinis Comitia; atque inductos vniuersos, vt Prouincialem vnum eligerent, qui communis boni perstudiosus semper, lenique ingenio, & vir

factus ad quietem visus fuerat, dum inuicem dissidiis alij differrentur. Ne multis, restitutam fuisse legibus vim antiquam, & firmatum nexum inter Galliæ Italiæque Cœnobia; dimissis proptereà, faustâ cum acclamatione, Comitiis. Quæ omnia, quia Generalis Antistes circumspectè & prudenter gesserat; fatebatur ex eo factum, vt expectationem omnem superarit. Legatus deinde, ne fortassis hæ officiosæ commendationes viderentur, hæc adscripsit manu suâ:

Ne id scribi exaggeratè putes; quia nihil potest tam magnificè dici, quin hoc virtus P. Generalis, famaq; & commendatio superet, cum quâ in Italiam rediit. In partem verò præcipuam laudis huius tu venis; quia auctor suscepti itineris in Gallias ei fuisti. Lutetiæ Parisiorum, IX. *Kal. Nouemb.* M. DC. XVIII.

Sed & epistola noui Prouincialis Galliarum, hoc totum vni adscribit Bellarmino; dum in eâ, *Statim atque à te*, inquit, *litteras accepi, datas* XIV. *Kal. Mart. grates Deo pro beneficiis egi, quibus nos cumulasti. Et verò, nisi te Patronum habuissemus, planè perieramus. Semper propitius sit tibi Deus, ô Tutor vigilantissime. En iam, decussis capitibus turbarum, tandem, etsi serò, sapere videmur. Vigiles erimus deinceps, & custodiæ intenti religiosæ disciplinæ; vt floreat sub tuo patrocinio, atque*

vt

vt ſpiret odorem ſuum. Quin imò, ne ſuſcepti à te labores ex noſtrâ incuriâ pereant, res geſtæ tuæ erunt perennes in recordatione omnium. Interim, cùm promerita tua, Ampliſſime Cardinalis, ea ſint, quæ poſſint à Deo tantùm iuſtâ viciſſitudine compenſari; à nobis verò æquari numquam; credimus noſtræ obligationi fore ſatis, ſi nos ea, vt ita dicam, adorauerimus; & beneficentiam tuam, velut inenarrabilem, ſilentio coluerimus. Perge, ac magno animo filiis tuis patrocinare. Noſtra hæc deſideria ſunt, ô Præſes optime, ô Tutor. Ego, ſi quæ imperaueris, ſemper dicto audiens ero; & lambere iam aueo, quàm demiſſiſſimè, puluerem pedum Summi Pontificis; ac locum ſimul exoſculari, quem tu veſtigiis tuis conſecraſti. Ambiani, VI. *Id. Aprilis*, M. DC. XIX.

Sed haud minoris emolumenti res fuit, cùm, vt iidem Religioſi in virtute atque in litteris magis proficerent, ſeligi voluit Cœnobia quatuor, eaque Ordini vniuerſo, totidem in partes diuiſo, Domicilia eſſe, in quibus Nouitij, ſeparati à Veteranis, viuerent. Namque hoc pacto partim priuata & aſſidua inſtitutio, partim Sociorum æmula virtus prolem poterat ſufficere, ab antiquâ diſciplinâ minimè degenerem. Deinde quatuor alia Cœnobia dedit iunioribus Profeſſis, qui exacto Tyrocinio ad ſtudia minora; & totidem proue-

ctioris ætatis aliis, qui ad disciplinas grauiores niterentur: adlectis Præsidibus, in quibus probitas eruditioni par inueniretur. Atque his adiumentis mirum dictu est, quantopere auctus numero & conditione fuerit Ordo Cælestinorum vniuersus. Quoniam verò vsu didicerat, quantum conferat, ad profectum in religiosâ perfectione, consuetudo cælestia meditandi, morem hunc restituit quoque; & vt Congregationi sancti Benedicti Ordo Cælestinorum similis redderetur, Cœnobia minora quædam adnecti maioribus, & familiam vnamquamque ad duodenos minimùm augeri iussit. Pòst à PAVLO V. Pontifice impetrauit, vt domicilia, in quibus hic numerus esset, suo peculiari Abbate regerentur: atque ita simul cum disciplinæ laude aucta quoque dignitas Ordinis fuit. Hoc pacto formatis & ordinatis, quæ ad Antistitum electionem, ad obsequia subditorum erga Præsides, ad Tyronum institutionem, ad studia Iuniorum, ad omnium meditatas preces, ad nouos Ordinis titulos, ad commune bonum attinere videbantur; officio Patroni optimi, & Magistri morum solertissimi, functus est Cardinalis Bellarminus. Ad hæc ratio eius agendi cum singulis, qui ad ipsum perfugerent, hæc potissimùm fuit. Vnicuique copia erat sempèr, ei curas animi exponendi, promendiquè liberè,

liberè, quod parauerat: & tum primò ipse officiis ægrum animum delinire, pòst consiliis & monitis curare; atque vti lenitate, nisi cùm ad sanandum aliqua medicinæ austeritas requirebatur. Nam si quis notatus probri, vel mali moris corripiendus esset; decernebat, lueret pœnas, sed semper citrà quàm ille merebatur: nec pacem habere cum eo poterat, donec rectis euntem sensibus adspiceret. Et sanè amabant iidem, in quos animaduerterat, artem hanc eius, temperandi lenitate seueritatem: cùm ipsorum errores sanaret, vt Pater; nec aliter, quàm si viscera secaret sua, singulis mederetur.

Vt Præpositis assereret propriam eorum auctoritatem, recusauit semper miscere imperium in iis, in quibus ipsorum vertebatur iurisdictio. Ideò rescripsit sæpè, de Religiosis disponere, & Cœnobia eis distribuere, sui muneris non esse. Si qui fortè Viri primarij è Monachis fortè aliquem commendarent, eum proponebat Præsidi Generali, aut minoribus Præpositis, simplicissimè; atque ita moderans, vt illi non facilè aduerterent gratiæ signa: imò videretur interdum ab eo contraria fieri significatio: adeò huiusmodi germinibus sub alienâ latentibus vmbrâ patere Cælum cupiebat, ne rerum suarum spem vlli, præterquàm vni committerent Deo. Sed-

enim ſuperuacanea erant hæc officia: nam quæ facerent ad virtutem, vltrò ea offerebat; nullo alio vel auctore, vel interprete, quàm instinctu benefaciendi. Secùs, ſi contingeret patrocinium peti Religioſis minùs probis, & qui coaſpernari diſciplinam ſolerent; tunc nec auctoritate, nec gratiâ Principum vllâ flecti poterat, vt eis in re propoſitâ ſuffragaretur.

Initio Monachi huius Ordinis, cupientes cum Cardinali officiosè agere, munus ei quoddam ex re cibariâ miſerunt. Tum ipſe ex dono perinde, ac ſi fuiſſet laceſſitus iniuriâ, erubuit; iuſſitque illud ad Cœnobium referri, ne manus eo commacularet. Sic non ſemel Romæ, ad ſancti Euſebij domicilium remiſit poma, quæ Monachi eius Cœnobij, ex propriæ vineæ pēnu, ſpecie officij tranſmiſerant. Sed & Aulicis ſuis, muneribus eorum, tametſi leuiuſculis, interdixit; néve haberent neglectui præceptum, propterea è familiæ albo vnum aliquem eraſit. Munuſculis iis pariter abſtinuit, quamdiu Religioſarum Virginum ſanctæ Marthæ Patronus fuit: conſolationes verò vberes iis ſubminiſtrauit perpetuò, atque aſſignauit in primis viros idoneos, qui confitentibus aures darent; iis quandoque etiam ſubſtituens alios, qui ordinarij non forent, quò illæ poſſent liberiùs ægri animi atque affecti eis aperire cauſas, certiuſque

tiuſque ſanari. In conſeſſu earum quoque aſſedit ſæpè, Antiſtitam dum eligerent; atque vt communibus priuatiſque neceſſitatibus earum proſpiceret, interfuit eis aliquoties, rogatus, etiam eo ipſo anno ac menſe, quo PAVLVS V. obiit, & qui vitæ ipſius quoque annus poſtremus fuit; tametſi nec valeret proſperè, & cùm hiems aſperior, tum negotia, vt in Sede Vacante, grauiſſima eum impedirent. Denique ſimili patrocinio complexus eſt Collegium Nationis Germanicæ, & alias familias pias; nempe abſente Cardinali Petro Aldobrandino, Sodalitium ſancti Hieronymi, quod à charitate nuncupatur; & domicilium Mulierum Pœnitentium, quæ à luſtris & lupanaribus in clauſtra migrant Religionis & honeſtatis.

CAPVT III.

Obſequium eius erga Summos Pontifices; & Conſiliorum libertas.

AFfirmauit frequenter Cardinalis Bellarminus, à Purpurâ ſe non id accepiſſe, vt obedientiæ ſacramento exauctoraretur; ſed vt mutaret Præpoſitum. Quod egregiè teſtatus eſt obſequio ſuo erga Summos Pontifices; quorum imperia ſic accipiebat, quaſi vicario eorum ore ipſum alloqueretur

Deus. Hinc abdicauit se Archiepiscopatu, ex solo nutu Pontificis; tametsi ea res prouentus eius annuos magnoperè minueret. Item cùm iuit ad Comitia generalia Ordinis Cælestinorum, certior fieri de Pontificis voluntate priùs voluit: atque in reuersione suâ migrans Assisium, studio venerandi loca S. Francisci sacra vestigiis, & adeundi celeberrimum Templum B. Virginis Angelorum, quam vocant; adduci numquam potuit, vt in Patriam, quæ perparum aberat, ad suos salutandos flecteret. Excusatione verò vsus est, quòd veniam à Pontifice non haberet; & tamen redeunti per eas propinquas oras obuius Frater germanus venerat, Ciuesque alij, qui eum nomine publico inuitarunt, vt Patriam in Purpurâ semel inuiseret. Renuit itaque constanter, futurus exemplo; vbicumque Deus sedèm dedit, ibi homini Religioso Patriam esse. Pontificis assensu etiam in Septembri mense quotannis pium secessum captabat, in ædibus Nouitiorum ad S. Andreæ. Subiectionem hanc autem exprimit satis Epistola eius nuncupatoria, quam præscripsit Commentariis suis in Psalmos; dum ait, Pontifici volumen se illud dedicasse, tamquam Parenti & Domino; vt esset conscius, quo pacto, aut clàm, aut palàm tempus suum impenderet; néve à consuetu-
dine

dine recederet, quam hauſerat in Societate, vbi pro ſe quiſque cum Præpoſitis agit ingenio aperto, factorumque & temporis rationem eis reddit. Hinc nata quoque aſſiduitas, quâ publicis functionibus interueniebat: à quibus numquam aberat, niſi ægritudine tentaretur; vt qui propter eas diceret ſe Cardinalem eſſe factum. Sæpè vltimis annis Cardinales Collegæ aliquot rogarunt, vt veniret tantùm, quoties de re magni momenti foret conſultandum; adeò cuncti expetebant vitam ei maximè diuturnam eſſe; ſed non impetrarunt. Imò aſſeclæ honorarij, qui eius egreſſibus adhæreſcere, & officij causâ proſequi adeuntem eas functiones conſueuerunt, affirmant, arduum fuiſſe, rhedis tempeſtiuè, vti fit, ſiſti veſtibulo ædium eius: adeò properè ad Conſiſtoria, ad Pontificalia Sacra, ad conſeſſus alios Purpuratorum ibat. Quòd ſi non adeſſet omnium primus, in vultu oſtendebat mœrorem animi; dum ſedulitate aſpiceret ſe à quopiam ſuperari. In Congregationibus S. Inquiſitionis, Sacrorum Rituum, atque Indicis, quoties proponebantur res, quæ ad doctrinam & hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinent, erat in ipſum inclinatus ferè omnium labor. Sic præcipua curarum meditationi ſuæ tradens, & vbi vigiliam res poſceret, exſomnis, ſententias referebat in ſyn-

ſyngrapham, tamquam è ſcripto pronuntiaturus; ac deinde oracula loquebatur. Cardinalis à Monte, Caput S. Congregationis Rituum, teſtatur id fermè in hæc verba: *Non ego dumtaxat mihi honori ducebam, quòd ſolerem in ſententiam eius ire, vtique certiorem tutioremq́: verùm id egit vniuerſa Congregatio Rituum, in quâ numerabamur Cardinales circiter quatuordecim. Etenim etſi, dum conſultatio foret, in vnum conſpirarent omnes; ſæpè deinde cum Bellarmino ſuffragia omnium variabant. Perſpectum id fuit, poſtquam nobis mors attulit deſiderium ipſius: quia ſtatim deliberatum de cauſis quibuſdam fuit, quibus ipſe ante annos plures contradixerat; & quæ eo ſuperſtite numquam ampliùs propoſitæ fuerant. Sed parum hoc eſt, cùm fateri debeamus, ſolitos nos eum proſequi, neſcio quo ſenſu venerationis: non modò, tamquam eſſet Parens & Magiſter omnium, de quo & gloriabamur; ſed tamquam in eo ſublimior, & ſupra communem conditionem excellens quædam virtus Dei eluceret; ideóque, etiam dum aberat, voces eius & ſententiæ pro oraculis accipiebantur.* Sed ipſe hoc honore vſus ſapienter, in cœtibus Purpuratorum haud egit vmquam, niſi admodum modeſtè. Ratione ſiquidem nudâ ſimpliciq́ue afferebat ſua, cum obſequio magno aduerſum omnes: & maior adhuc erat hæc obſeruan-

ſeruantia, quando coram Pontifice loquebatur; ſilebat enim ſtatim, dum non conſentirent alij; nec rem perſequebatur, etiamſi ab ipſo æquitas & ratio ſtarent: ſed ſi erat neceſſe, dimiſſo Senatu, cum Pontifice tantùm de re eadem priuatim diſſerebat.

Hac veneratione vſus erga Summos Pontifices, audiebatur nihilominùs maiore liberam vocem; dum cunctarentur alij, & gratiam eorum potiùs, amicitiamque reſpicerent. Egit verò id, etſi parum ipſi beneuolè poſſet ea res cedere: & cùm oportuit, coràm, aut per Epiſtolas eos commonefecit; ſiue ad mores eorum, ſiue ad diſtributionem patrimonij ſacri, ad Epiſcoporum electionem & regreſſum in Eccleſias proprias, ad luxus & licentiæ modum, ordinandamque iuſtitiam illam, quæ honores & dignitates diſtribuit, ſiue ad Sanctiones Tridentinæ Synodi admonitio ſpectaret. Aduerſus quas præcipuè ſanctiones, quoties in Congregatione Cardinalium audiret gratiam aliquam poſtulari; contradicebat vel ideò, ne ſi cuncti ſilerent, aduerſus Canonem ſacrum ſenſim præſcriberetur. Dum hæc porrò conſilia Summis Pontificibus daret; id moliebatur vnicè, vt partes impleret ſuas, néve offenſionem Dei incurreret ſilens: ſi videlicet Diuinam Maieſtatem minùs vereri ac metuere, quàm humanam

manam potentiam videretur. Ideò illis, qui ſubinde hortabantur, vt quæ facta non probaret, de iis monitor eſſet; reſpondebat, ſatisfactum conſcientiæ à ſe abundè fuiſſe, cùm ſæpenumerò aures Dominantium ipſe monitis ſuis fatigaſſet. Quippe altè inſederat animo id, quod olim S. Ambroſius ad Theodoſium Principem ſcripſit: *Nihil in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm, quid ſentiat, non liberè pronuntiare*. Et ſecurus id agere Cardinalis Bellarminus potuit; ſortitus eos Pontifices, quibus ſilentium ipſius grauius multò, quàm hæc admonendi libertas fuiſſet. Erat quoque auctor aliis, vt ab omni aſſentatione, tamquam à communi Aulæ ſcopulo, alieni eſſent, & vt in cuſtodiâ Eccleſiæ canes metuentes latrare non imitarentur. Quæ opinio de eo, peruagata Europam fere vniuerſam, inuitauit haud ita paucos, vt ei indicarent per litteras quoque, ſi quæ obuerſarentur praui documenti; quò & emendari ea monitis curaret. Verùm, cùm nonnumquam laruata quorumdam ambitio ſubdolè, ſub hac ſpecie honeſtâ ſuggrederetur; aduerſus hæc adulterata officia circumſpectus & ſagax oſtendebat, haud poſſe ita facilè decipi ſuam cautiſſimam ſenectutem, acerrimamque mentem. Et quamuis exiſtimaret con-

conueniens, liberaliùs quàm parciùs monere: cùm alienæ sit meditationis, non suæ, rem expendere, & perinde ac oporteat deliberare; nihilominùs rogatus interdum, negauit facturum se, nisi priùs rem illis aperiret, qui criminis insimulabantur, iuxta modum Christianæ admonitionis. Etenim hoc pacto fieri poterat, vt vel criminis eiusdem suspicionem diluerent; vel non quererentur saltem, quòd non paruisset Christi Domini præcepto; quo debere corripi clàm à monitore primùm eos qui peccant, dein coram testibus, postremò palàm ac in cœtu plurium, pronuntiauit. Est qui referat, Cardinalem Bellarminum sibi temperare non potuisse, quin Religiosum nescio quem magnæ auctoritatis in Aulâ redargueret, quia libellum Ciuitatis cuiusdam aduersus Episcopum, illo non priùs monito, ad se tulerat: adeò vnam aurem cupiebat accusatori præberi, & seruari alteram reo absenti; ne temerè facta aliena videretur interpretari. Litteræ eius de hac re extant in hunc sensum: *Ciuitati cuperem gratificari, quam ex animo diligo: sed non possum in his, quæ in damnum alienum euadunt. Conqueri Episcopus iure posset, si reus à me apud Pontificem fieret, antequam ipse etiam audiatur: idcircò contra eum non loquar, nisi potestas mihi sit scribendi ad ipsum, & quæ pro sui defen-*

defensione adferet, priùs intelligendi.

Cum his, qui in Aulâ eo interprete cupiebant euehi ad Sacerdotia magna, negabat ſibi rem eſſe; nec aliâ de causâ, niſi quia, cùm pro ſe poſtularent, ideò minùs idoneos eos credebat, tametſi cetera digni viderētur. Contrà ſponte indagabat, ſi qui præcellerent virtute & modeſtiâ, vt eos Pontifici proponeret eligendos: & beneficium interim ignorabant hi, quorum ipſe merita non ignorauerat.

Pro Cardinalium delectu etiam Pontifici nominabat intereà viros, quos propter virtutis commendationem habendos iudicabat in omni præcipuo honore; quoties aduerteret præſertim, in Ordine Purpuratorum, Theologos deſiderari. Cùm verò ægrè pateretur implorari ſe, vt vel Pontifici, vel Principibus magnis commendaret alios; ſi neceſſitas inuitaret tamen, vel pij operis vtilitas, tunc, vt negotium ſuſciperet alacriter, ſuadebat ingens eius illa charitas, quæ, veluti Sol, beneficentiâ publicâ fouebat omnes. Si quæ contra Societatem noſtram ſcriberentur grauiùs, aut dicerentur; vel etiā contra viros alios, quorum ei nota probitas aut eruditio erat: tunc enimuerò, vir, niſi concitaretur iuſtiſſimè, ſuopte mitis ingenio, ea maledicta inhibere ſtatim, atque auctoribus reſcribere; mirari ſe, talia ipſos promere veritos non fuiſſe. Sed neceſ-

necessariæ iræ ita laxabat habenas, vt easdem adduceret cùm vellet; potens, vel cùm feruebat maximè, tam placidus, quàm columba reddi. Alios, quorum dictis suberat minus audaciæ, commonefaciebat suauiùs, vt linguæ temperarent: & captans occasionem ex ratione scribendi eorum, ponebat ab oculos arcana Dei iudicia, & in hunc modum ad pacem eos hortabatur. Pacem hanc verò ali oportere in primis iudicabat inter Religiosos Ordines; quò ij in hostes Fidei potiùs acuerent animos, & stylum stringerent; atque adeò inter Episcopos, ne sint populis prauo documento. Denique Religiosis fauorem, vel immunitatem exorantibus auctor erat, vt meritis, non impetrationibus sternerent sibi ad gradus & ad honores, quos peterent, viam: nec vlli præsidio vmquam fuit, qui Præpositi sui detrectaret imperium; cùm obedientia Religiosæ vitæ anima sit, à quâ virtutis motus omnis debet proficisci. Cùm autem in sermone & facto eius, quædam columbæ inueniretur procul ab asperitate & à felle sinceritas; rari fuere à quibus sancta hæc libertas probandi, damnandique, ea quæ cum laude, aut secùs fierent, non magnoperè commendaretur.

CAPVT IV.

Quàm prudenter, vnà cum Odoardo Cardinali Farnesio, controuersias conciliauerit inter Lucensem Rempublicam, & eius Antistitem.

VNum ex difficillimis negotiis, quæ prudentia & dexteritas Cardinalis Bellarmini felici exitu terminauit, fuit; cùm Lucensem Remp. & eius Antistitem Alexandrum Guidiccionium (inter quos fuerat dissidium vetus) ad concordiam magno consensu partis vtriusque perduxit. Natæ inter eos animorum alienationes, maleuolorum vitio fuerãt; & intercesserant Dynastæ, ac viri primarij pro conciliatione, atque adeò è numero Purpuratorum aliqui, imò ipse Pontifex Maximus; cùm semper operam luderent irriti, tametsi potentissimi conatus. Quippe negotium cum iis erat, qui (vti sunt in Senatu plura capita) interdum etiam plura & diuersa sentiunt; nec sperari poterat fore, vt essent reconciliatores pacis ij, quibus causæ pars aduersa prima erat. Venerat ad Vrbem Orator Cęsaris, Ioannes Godefridus Episcopus Bambergensis. Huic functo iam suâ legatione, & per Vrbem Lucensem fortè redituro, tractationem hanc PAVLVS V. Pontifex, & Cardinalis

nalis Bellarminus, commendarunt. Multa verò ſpem fecerant fore, vt Antiſtes opinionis tantæ, negotium pro ceterâ eius felicitate cõficeret, perrumperetque difficultatum obices; quò tandem cum Antiſtite ſuo coaleſcerent animi Ciuitatis. Adfuit Senatui, exceptus perhonorificè; & petiit, vt inter honores, quos videbat ſibi eximios deferri, primũ eſſe vellent eam concordiam, pro quâ ipſos conuenerat. Cùm verò momenta rationum expromeret, quæ apud ſe diſpoſuerat ſapientiſſimè; difficiles adeò expertus eſt Senatores omnes, vt ad Summum Pontificem, & ad Cardinalem Bellarminum reſcripſerit; miraculo poſſe rem confici, ceterùm ludi humanas artes. Quoniam igitur deſtinata ſalubriter, alienior plurimorum è Senatu voluntas diſiecerat; & interim detrimento erat Ciuitati abſentia Paſtoris; ac iuriſdictioni Eccleſiaſticæ credebatur iniurioſum, quòd aditus ad propriam Eccleſiam Antiſtiti negaretur; venêre multi in eam ſententiam, vt exiſtimarent optimum fore, ſi Epiſcopus abdicaret ſe, ac diceret velut alter Ionas: *Tollite me, ... & ceſſabit mare à vobis; .... quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos.* Conſilio acquieuerat Pontifex, modò Epiſcopus id non ageret inuitus; eique Sacerdotium aliud, nec minùs copioſum, promiſerat. Verùm ille

 impe-

imperare hoc ſibi numquam potuit; ſermones defugiens, ne violenter decedere, vel cum ſponsâ tantummodò manſiſſe quæſtus gratiâ diceretur. Hic ſtatus poſtremus rerum erat: cùm Epiſcopus tandem (vt ſæpè cum ſpe ſtudia hominum ſeneſcunt, & quæ non poſſunt aſſequi, ea ſequi deſinunt) actum eſſe penitùs de concordiâ ratus, approbante PAVLO V. Pontifice, deliberauit ad quædam ſuæ iuriſdictionis loca proficiſci, quæ Lucenſi Reip. non ſuberant; vt gregem ſuum è propinquâ ſaltem ſpeculâ cuſtodiret. Miſit Reſpublica intereà Romam è Senatoribus vnum, nobilem virum, & ingenio ſolertem; ætate verò haud inutiliter ſenem, quippe cui octogenario, par annis ætas erat. Is à Pontifice pro bono Reip. Epiſcopum alium poſtulauit: ſiquidem annos decē & quinque, tot adhibitæ artes à præſtantiſſimis ingeniis, controuerſias Ciuitatis cum Antiſtite præſenti, quem deprecabatur, dirimere non potuerant. Poſteà cùm circumiret domos Cardinalium, & referret ad ſingulos de Legatione ſuâ; rogauit, vt ipſi pariter poſtulationem Reip. iuſtam eſſe, in animum inducerent. Itaque etiam ad Cardinalem Bellarminum venit: nec orauit modò poſtulatis Reip. ſecundas aures, ſed vocem quoque eius flagitauit; quem apud Pontificem, & apud Antiſtitem Guidiccionium,
eſſe

esse nouerat auctoritatis magnæ. Cardinalis eâ libertate, quæ ipsum decuit, mirari se primùm ait, ita negligi ab eis rationes æternas, vt malint earum, quàm honoris humani iacturam pati, & vt recedant à laude illâ obsequij, quâ olim sacros Antistites suos consueuerant venerari. Hortatus deinde est, verterent eam notam in decus; neque sinerent, sibi pectus iis simultatibus ita obscurari, vt non perspicerent, quantopere debeant subditi deferre Pastoribus animarum. Adiecit post hęc, haud futurum vmquam, vt Pontifex Episcopo iniungeret, abdicaret se Episcopatu; cùm sciret ægrè ad id posse ipsum induci, ne dissiparetur, ipsum alienâ potentiâ, & non sponte suâ Ecclesiæ illi nuntium remisisse, priusquã ei licuisset illius possessionem adire. Demum ex partis vtriusque commodo ostendit posse litem eam dirimi (quæ damnum afferebat, quod cùm aliqui & pauci vellent, omnes interim patiebantur) si nimirum Episcopus inuitaretur ad Vrbem, admitteretúrque ad locum suæ dignitatis, ne quis vim illatam posset interpretari. Et tum, ait non defuturas voces amicorum, qui Episcopo, quæ in rem forent, pro Dei gloriâ suaderent. Auctoritas loquentis, rationes allatæ, ac via etiam, quæ aperiebatur ad rei honestum exitum, Legato persuaserunt, consilium illud Reip. non fore pœni-

tendum. Sed quoniam à Senatu auctoritatem non habuerat admittendi nouam eam tractationem, nihil ſtatuere potuit: gratias tamen Cardinali referens, mox ad Senatum ſcripſit; & quid Cardinalis Bellarminus dediſſet conſilij, ſignificauit. Vix redditæ litteræ in Senatu fuerant; cùm excitati ſunt repentè motus animorum magni: ſed ij tamen, quibus cordi erant obſequium Dei, & Patriæ bona exiſtimatio, nacti auram cum quâ ſibi poſſe videbantur nouæ ſpei velificari, rogandum Cardinalem Bellarminum iudicarunt, vt adſpiraret adhuc benigniùs; & agendas ei gratias, ob nouam illam concordiæ viam, quam propoſuerat: itaque re communiter deliberatâ, cunctorum verſæ eò curæ, vt conditionem acciperent. Cardinalis Lucenſi Reip. ſcripſit; ſe, Summo Pontifice annuente, ſuaſorem Senatui eſſe, vt cum Antiſtite ſuo, qui Paſtor, & Pater, & Ciuis patritius erat, in gratiam rediret: de cuius animo erga omnes beneuolo, teſtificari ſe poſſe affirmauit. Addidit, cupere ſe, vt eſſet omnibus perſuaſio, haud ipſum fauere magis Epiſcopo, quàm Reip.: ſed tantummodò, citra damnum partium, colere amicitiam cum Epiſcopo eodem, & cum Patritiis aliis. Vbi verò ipſorum ita præparauerat animos; tum rationes perſtrinxit, quibus Senatum induceret, vt pro aduen-


aduentu Episcopi consensum daret. Eæ potissimùm erant: Summi Pontificis ad hoc pronior voluntas: difficultas abdicandi se, in Episcopo; nisi circa hoc Senatus annueret; & detrimenta, quæ patiuntur Ecclesiæ suis Pastoribus destitutæ. Rursus dedit epistolam aliam, plenam cælestis sapientiæ, in quâ hortabatur auctoritate Diuinarum Scripturarum, ne in eâ discordiâ insenescerent; sed cùm Domini lex iniurias fratri condonare nos iubeat, secum reputarent, quantò id æquius fieri cum Episcopo, Pastore, ac Parente, exclusâ omni simulatione, interdum speciosâ verbis, sed re inani, deberet. Quæ litteræ vbi superuenerunt (inclinatis iam ad concordiam animis) effecere, vt Senatus reconciliatoribus pacis, & disceptatoribus circa eam controuersiam vti Roberto Cardinali Bellarmino & simul Odoardo Cardinali Farnesio deliberauerit.

Re nuntiatâ exhilaratus est summopere PAVLVS V. Pontifex; atque vt negotium transigeretur cum auctoritate maiori, obtulit sponte Apostolicum Diploma, laudauitque Episcopi reditum ad propriam sedem. Cùm tamen in eo reditu difficultas tota verteretur, Cardinalis Bellarminus, quò id succederet tranquillissimè, Senatui Lucensi in hunc modum denuò scripsit:

Priusquam me conueniret D. Benassaius, col-

locuti diu Cardinalis Odoardus Farnesius & ego, censuimus decere, vt quamprimum Episcopus ad Ecclesiam suam conferat se. Id verò vt fiat circumspectè, iniunximus Episcopo, vt ad vos ipse primus scribat, & beneuolum animum suum testetur, offeratq; reditum ad Ecclesiam propriam, quò in eâ seruiat commodo animarum vestrarum. Vos verò rogaremus, vt huic facilitati, demittentis se Antistitis vestri, respondeatis vicißitudine pari; & comiter eum istuc inuitetis. Quoniam autem Cardinalis Farnesius Parmam iturus est breuî, studio agendæ communiter rei ita constituimus, vt si quæ incidant dubia circa hoc negotium, & citò expediri debeant, eâ ego auctoritate etiam ipsius Cardinalis Farnesij decernam: secùs de iis quæ moram pati poterunt, Parmam ad eum scribam, & expectem eius responsionem: nam hoc pacto erit consilium serum, sed optimum. Hæc in litteris ipse. Sic re placidâ, famâque vtriusque partis integrâ, Episcopus Lucam reuertit, & exceptus est à Senatu, Populoque vniuerso, cum indiciis amoris; perinde ac si diu exoptatus votis aduenisset. Ex quo summa laus in primis Deo tribui cœpta est, & dein Cardinali Bellarmino, qui causam adeò depositam consiliis & precibus suis, tantâ successus felicitate, sanauerat.

CA-



CAPVT V.

De consuetudine illius domesticâ, & priuatis occupationibus.

CArdinalis Bellarminus, ceteroqui vir decori tanti ac tantæ dignationis, laudem quoque meruit haud sanè mediocrem ingenio amœno, naturâque leni; atque vrbanitate illâ suaui, cui limites, quos non excessit, statuerant ingenua hilaritas & religiosa moderatio. Nam neque facetias illas vsurpabat, quæ dum ex moribus aliorum multum veri trahunt, acrem sui memoriam relinquunt; neque illas, quas in cachinnos effusi venantur homines leues: sed eas dumtaxat, quæ non læderent quemquam, & honestè interim exhilararent. Iucunditatis huius delectabilis participes, è numero Purpuratorum, ij fuere, quibuscum ei amicior & frequentior erat consuetudo. Ex iis verò non defuerunt, qui dicta eius potiora scripto, ne exciderent animis, notarent. Sed hoc lepôre sermonum eius fruebantur sæpiùs familiares & domestici, qui ei aderant; dum interdum animi causâ gestaretur, & post decisa quæcumque obuenissent negotia, captaret auram. Etenim hæc illi momenta soliti arripere studiosiùs, prouocabant de indu-

 striâ,

ſtriâ, & occaſionem dabant, vt ex ioco innocenti aliquid in rem propoſitam diceret. Significauerant aliquando, aſperitatem nimiam eſſe, Cardinalem eius ætatis, & tot occupationibus frâctum, adhuc ieiunio ter in hebdomadâ hebetari. Tum ipſe; Neceſſarium, inquit, hoc videtur, ſi velim quidem ſaluus fieri. Et quia reſponſionem hanc excepit omnium admiratio, ſubdidit iucundè: E Scripturæ ſacræ oraculo id pro me ſatis conſtat. Certum enim eſt, debere iuſtitiam noſtrã abundare, pluſquàm Scribarũ & Phariſæorum; aliter non intrabimus in Regnum Cælorum. Cùm itaque illud de ſe Phariſæus prædicet, *Ieiuno bis in Sabbato*; quis non fatebitur, oportere (quò nimirum pluſquam Phariſæorum noſtra ſit probitas) vt ter vel minimùm ieiunemus? Simili ſuauitate monita ſua reſpergere ac miſcere, vt grata acciderent, conſueuit. Vnum ex hoc genere proferam. Picturas nudas in ædibus cuiuſdam Cardinalis fortè aduerterat, dum eum interuiſeret; & in digreſſu ait, commendare ſe illi neſcio quos inopes, quos ibi intra conclauia exutos viderat: nuditatem verò eorum ſe ideò deprecari, ne ſi tuniculâ vel palliolo caruerint proximâ hieme, durè admodum cum eis agi videatur. Tum Cardinalis ille intelligens, quid per gratas eas ambages inſinuaretur,

nuaretur, picturas easdem (quâ fuit erga monita ipsius obseruantiâ) tegi velo statim praecepit, cùm reuelli aut transferri nequirent; nam in pariete ipso hausti colores erant.

Aliàs, quoties ei (quae est negotiorum saepè varietas) aliquid vehementius proponeretur; initio sedare aestum iratae orationis, acerbitatemque eius omnem conabatur locutione leni temperare. Id quando non proderat, praesertim si cum iis sermo erat, cum quibus posset agere familiariùs; tunc solitus erat aliquas moras, inter colloquendum, edormiscere; somno illo denuntians, animum suum laedi & sopiri tamquam vulnere, dum aliorum factis ac famae detraheretur. Mox redeunte sono innocentiore, euigilabat; atque ad negotium institutum mens eius & vox illicò redibant. Multò cauerat studiosiùs, ne aliorum ipse carperet existimationem: quam, excusato mentis consilio, quod fortasse rectum erat, potiùs tuebatur; cùm diceret, Deo arbitria interioris animae permitti debere. Pro hac re satis momenti habet ea Cardinalis Crescentij testificatio; qui, Cardinalis Bellarminus, inquit, in rebus aliorum factisque aestimandis, fuit tam circumspectus & retinens, vt nisi necessitas magna vrgeret, de iis sileret prorsus. Et ideò rogatus aliquando, quid sentiret de lege illâ, quâ iniungitur Episcopis,

ſcopis, vt reſideant; reſpondit leniſſimè: *Ego non iudico Dominos meos.* Redarguebat nihilominùs ea in quibus honeſtas deerat, tantùm vt intelligeretur, quæ eſſent eiuſmodi, à bonis ea non laudari. Etenim etiam S. Bernardus, *Ideò,* inquit, *hæc dico, vt ſciatur publica nõ probari; & tranſire in præſcriptionem, cùm non fuerit qui contradicat: non retego verenda, ſed inuerecunda confuto.* Quem vtique modum Cardinalis à Monte gratam vbique libertatem vocabat, arguendi damnandíque tempore apto, quæ ad virtutem minimè conferrent. Ad occaſiones has tamen, ſtudia inferioris animæ ſedabat priùs in ſe; ne fortaſſe ex perturbatione plus minúſve reprehenderet. Idcircò, cùm alieniore animo aduerſus Præſulem quempiam, inuitus tamen, foret, vnum ex amicis illius perrogauit, vt de virtutibus eius inquireret, deq́ue iis nonnulla referret; quò ita poneret prauam illam opinionem, ſibiq́ue vel mitiorem ſenſum, vel amorem erga Præſulem eumdem imperaret. Ad hæc non res geſtas ſuas iactabundus ſerere, aut colloquia replere propriis exemplis conſueuerat; ſed ita moderans erat, vt vitio vtroque, ſua promendi, & ſupprimendi aliena, mutuis in alloquiis careret. Hoc ipſum tamen parum eſſe rebatur, quòd in ſermone videlicet vitium fugeret; niſi plectrum oris eius ſemper

aliquid

aliquid honeſtati ac Deo modularetur. Et in hac re felicitas ei quædam ſingularis fuit; quia ſenſu admodum ſuaui, & quaſi ſpontè naturæ omnem locutionem in fine ad Deum ſemper transferebat. Quòd ſi aures à pietate non adeò præparatas interdum aliqui attulerant: vis & gratia eius in loquendo faſtidium ipſis & nauſeam omnem adimebat. Videbatur quippe oratio eius, quaſi ſpeculum nitens eſſe; in quo cernere liceret, quantopere culpam deteſtaretur, & humana omnia deſpicatui haberet. Quibus cumulandis dum auidè multos, nec Laicos modò, ſed Eccleſiaſticos etiam inhiare conſiderabat; tum maximè verebatur, ne id eis in iacturam cederet bonorum æternorum. Idcircò conceptam Eccleſiæ precationem, quæ ad Aras pronuntiatur Dominicâ tertiâ poſt diem ſanctum Pentecoſtes, nempe, *Sic tranſeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna.* inter amicos mutabat ſubinde; *Sic tranſeamus*, inquiens, *per mala temporalia, vt non incurramus æterna.* Frequenter incendebatur ardenti deſiderio cæleſtis vitæ: & tametſi ex timore ſancto interdum ab eo temperaret, ne ſecurus nimiùm de ſalutis opinione ac ſpe redderetur; crebrò nihilominùs erumpebant ex eius ore, mixta ſuſpiriis verba illa Apoſtoli: Cupio *diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Sanctorum vitas

vitas in promptu admodum habuit; & ideò frequenter eorum res gestas referebat: ita vt miraculo Romæ fuerit Nobilibus, è Sodalitio beatæ Virginis Assumptæ, dum hi ad ipsum, vtpote Sodalem, nouis Kalendis ferebant paruâ in chartulâ nomen Sancti, quem pro eo mense tutelarem sortitus erat. Nam audiebant statim, seriem gestorum eius ab ipso narrari; tametsi ex Sanctis iis foret, quorum illi dumtaxat non ignorabant nomen. Tunc verò apparuit, si vmquam aliàs, quàm agnosceret familiariter Cælites, & Ciues Beatos omnes; quandoquidem eorum nomine & factis cor inscriptum gerebat. Consuetudo eius cetera, vim habuit quamdam infundendi virtutem & pietatem sensim in animos aliorum. Atque id iureiurando testantur familiares eius; & qui spiritum illius frequentiùs hauserunt. Ex his Comes Camillus Barberius; *Mira*, inquit, *res erat, quoties ad Cardinalem Bellarminum ibam, etiamsi ad breue spatium inuicem loqueremur, & ego, vti fit, de rebus variis sermonem miscerem, semper ab eo melior, & piarum cogitationum in digressu plenior recedebam. Hæc autem amicis meis de Bellarmino adhuc superstite referens affirmaui; me effectus eosdem experiri solitum, dum fruerer consuetudine illius, quos de Sanctis viris aliis historia narrant.* Opinione ab istâ inductus, Cardi-

Cardinalem Bellarminum tantoperè is venerabatur, vt à Medicis depositus, & iturus in Cæli manentem Ciuitatem (quod vitæ probitas, & pius obitus eius, persuadent) inter Sanctos alios plures, quos cupiebat eo vestigio periculis animæ suæ opitulari, implorauerit etiam, quemadmodum ipse loquebatur, Sanctum Bellarminum, cùm intermortuis vocibus hoc sæpiùs iteraret: *Sancte Bellarmine, ora pro me.*

Inuitabat eius coniuncta cum pietate benignitas plurimos, vt ipsum adirent; & iis (modò exciperes horas, Sacerdotali Officio, Rei Diuinæ, & piæ meditationi datas) parata semper admissio ad colloquium erat. Pro quâ re voci obediebat famulorum; & ægrè id patiebatur, si denuntiarent seriùs, adesse qui spatium sermoni orarent; siue primæ conditionis homines, siue pauperes aduenirent: adeò vt, abscissâ sæpè, quam inchoauerat, periodo, exurgeret; nec admissos vmquam dimitteret, sufferens interdum nonnullorum vaniloquentiam, qui tempus pretiosum ei adimebant. Tum verò non oculis aut tristi vultu prodere fastidium aurium videbatur: sed audiebat eos patientissimè. At cùm alios habuerit fortasse æmulos huius summæ facilitatis: in hac laude aliâ procul dubio ceteros superauit. Meditabatur interdum, & scripto

materias

materias graues concipiebat; cùm intermittere, quæ tum generaret animus, & externos audire cogebatur: Nihilominùs, post horarum interualla, referebat se ad eadem quæ intermiserat; & perinde ac si diuagari mens non debuisset, ita prosequebatur, vt non concipere noua, sed vetera exscribere potiùs videretur: beneficio vtique memoriæ; de quâ dubites, faciliùs res hauriret, an difficiliùs earum obliuisceretur.

Erat Romæ ipse, vnicum & certum perfugium Episcoporum, Præsulum, & Clericorum oræ Septemtrionariæ; deque eorum necessitatibus referebat ad Pontifices, tantâ erga ipsos charitate, vt Patrem veriùs, quàm Patronum eorum ageret. Ex his vnus, cui annuos redditus & Episcopatum Turcæ surripuerant, dixit Romæ; multas ærumnas suas satis sedari vnâ illâ voluptate, quâ perfundebatur animus eius, dum charitatem experiretur Cardinalis Bellarmini; qui, quasi inopiæ eius damna ferret, peræquè indolere ob ea videbatur; vt propereà affirmauerit, æstimari à se multò pluris amicitiam eius, quàm si perciperet in prouentibus annuis aureos mille. Adibat pro eis Ministros Pontificis, qui distribuunt pias eius largitiones: plurimis etiam ex suo censu tenui, certam summam annuè, & vni de multis aureos quinquaginta repræsen-

præſentauit: neque diſſimilem Patronum experti eum ſunt Italiæ Epiſcopi; vt infrà ſubdam. Ad hæc Sacerdotes emendicare, tam ægrè ferebat, vt offenſus ex eo propemodum videretur. Et pecuniæ quidem ſummam aliquam eis erogabat; ſed monebat proprium ad Antiſtitem reuerterent, à quo ali debebant. Religioſis item ad propria Cœnobia reuerſionem, ne contemptui exponerent honorem Sacerdotij, Ordiniſque ſui, perſuadebat.

Pari eum frequentiâ conueniebant Antiſtites, quibus cordi erat Eccleſiaſtica iuriſdictio. Et hos colere ipſe, tuerique partes famamque ipſorum; nec pati à laicâ poteſtate regimen Eccleſiæ collabeſieri. Cardinales etiam è præcipuis adibant, tamquam Præceptorem, & Parentem. Cardinalis Tuſcus, poſtquam eum de rebus conſcientiæ conſuluerat, dixit in digreſſu aliquando aſſeclis ſuis: *Nemo mihi res dubias meas ita ſapienter & cordatè illuſtrauit, atque expediuit, quemadmodum egit iam Cardinalis Bellarminus; & conſului tamen plurimos, circa eam, quâ premebar, animi ambiguitatem.* Inter hæc adeuntium officia, & molem negotiorum, quæ ſæpè animum differunt, erat tam attentus temporis cuſtos, vt ne momenta quidem ſineret abſque laude operis præterire. Quòd ſi locus

interdum ad alia ſpatium non daret,cum Superis ac Deo loquebatur; ſeu legens aperto capite Roſarium, & pias preces, ſeu cæleſtia meditans: & amicis affirmabat, ſibi nec particulam minimam è ſuccifiuis horis inutiliter præterlabi. Cùm habitaret, vt dixi, ædibus neque laxitate neque cultu magnificis, iuxta Collegium Romanum; è ſpeculis ac feneſtris vltimi Conclauis, liber ei proſpectus erat in hortum Religioſorum Ordinis ſancti Dominici, ex eâ parte Cœnobij, in quâ Nouitij morabantur. Hi verò ſæpiùs memorarunt, quantum haurirent exempli è Cardinalis modeſtiâ; quem ad eas feneſtras numquam (etſi curioſiùs obſeruauerant) otiari viderant; ſed vel recitare Litanias cum familiâ piâ, vel in occupationes alias incumbere peræquè, ac ſi ea domus quoque religioſis moribus regeretur. Refert Cardinalis Creſcentius, blandè redargui ſolitos à Cardinali Bellarmino illos, qui officij ſpecie tantùm eum adirent: nam rebatur dedecere, quamdiu occaſio non alia ſuberat, temporis, hoc eſt, rei quæ apud ipſum erat ſummi pretij, iacturam diſſimulare.

Verùm non propterea temporis damno adſcribebat, dum rogatus intererat diſciplinarum publicis exercitationibus; vt qui ſemper ingenia fouere, & cohoneſtare præſentiâ

ſuâ

suâ consueuerat labores diuturnos litteratorum. Si qui verò ex iis Patronum ipsum Thesibus vel Philosophicis vel Theologicis eligerent, suadebat alium è Cardinalibus potiùs rogarent; cùm diceret se, nec summæ potentiæ in Vrbe, nec adeò copiosum esse, vt magnopere posset eisdem prodesse. Quòd si tamen ij de proposito illo non emouerentur, vt qui tribuerent sibi honori magno, quòd Patronum studiorum suorum Bellarminum haberent; tum ipse, Cardinales alios amicos inuitabat, vt ingenioso certamini secum vnà interuenirent. Eosdem, quoad poterat, deinde munerabatur; & augebat interdum etiam conditionem eorum. Pari comitate volumina seu dono missa, seu dicata nomini suo, euoluebat magnâ saltem ex parte; laudes Auctoribus, pro scripturæ merito, impertiens. Adæquè procliuem ostendit se (nec euênit raro) vt libros recognosceret, qui eius adprobationem aduersus inuidiam desiderabant. Et, si fortè opinionibus ipsius aduersarentur, non ideò succensere solitus erat, vel ostendere quidquam ægri sedisse animo; sed iustâ laude prosequebatur, si opus ceteroqui hoc mereri iudicaretur. Inter alios, actum ab hac parte secum gloriosè existimauit Prosper Farinaccius, vir, vt in hac quisquam ætate esse poterat, omnis Iuris humani consultissi-

mus. Is difficultates magnas expertus in editione Libri de Hæresi, Summum Pontificem adiuit, venerans, vt Cardinali Bellarmino Censuram illius permitteret; ac ipso dein referente, præciperet vt pro Tribunali Sacræ Inquisitionis sententiam Patres Augusti pronuntiarent. Materiæ grauitas, sicut & Operis moles, videbantur indigere temporis interuallo diuturnioris: & ideò Auctor expectare annum integrum proposuerat, fatebaturque etiam, id habiturum se magni beneficij loco; quæ erat series occupationum aliarum maximarum, in quibus Cardinalis Bellarminus perpetuò versabatur. Nihilominùs vix circumegerat se mensis, cùm volumen euoluit accuratè: & quò magis beneficium ornaret, voce pariter & scripto dedit Operi Censuram honorificam, qualem ne optare quidem Auctor potuisset; qui laudator vicissim & præco factus est virtutum sui tam humani laudatoris. Facultas hæc seu libros euoluendi, seu negotia terminandi tam prosperè ac celeriter, ingenio eius eximio adscribi quidem potest; sed negari non debet, potuisse ad id plurimùm conferre industriam captandi tempus illud omne, quod sæpè viris quoque occupatis, malè disperit. Quippe non ipse narrationum nouarum auditor erat curiosior; neque rerum istiusmodi transmis-

sis

ſis qualibet hebdomade commentariis aures vel animum commodabat. Imò, quod in epiſtolâ eius reperi, non modò iis ſæpè ſparſis temerè rumuſculis tempus non dedit; ſed quemadmodum non ſcribebat quidquam otiosè, ita nè quid otiosè diceret, omni ſtudio cauebat. Itaque mirum non fuerit, eum inter occupationes laborioſiſſimas, ſpatium habuiſſe tot ingentia Opera, partim quæ typis edita, partim quæ ſcripta ſuperſunt, parturiendi, abſque amanuenſibus, vel exceptoribus: vt neſcias, vtrùm de ipſo mireris magis in purpurâ, quòd laborum exceſſerit modum, an quòd commoditatum omnium abſtinuerit.



VITÆ ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI E SOCIETATE IESV LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

De Virginitatis eius & Cælestis puritatis dono.



QVI cum Cardinali Bellarmino diu verſati fuêre, ij tum in puero, tum in omni vitâ, ſemper radium neſcio quem ſuſpexerunt, cuiuſdam cæleſtis veriùs quàm humanæ puritatis; & fuit de illo conſtans opinio, eum ab infantiâ, vſque ad ſenium, caſtimoniâ virginali, cum quâ natus atque educatus erat, ſemper floruiſſe. Inducti verò ſunt in eam perſuaſionem primò, quia norant, iam à puero perfuſum animum reli-

religione ac pietate ipſum habuiſſe; ex quo & abhorruit à conſuetudine parium, non dixerim praua ſequentium, ſed etiam inutilia & leuiuſcula, vt alibi narrauimus. Eadem opinio dein ſtabiliri cœpta eſt iis annis, quibus in Religione vixit; tum propter mille clypeos, qui pro hac virtute inueniuntur in eâ, tum propter ſanctimoniæ famam, quam apud omnes conſtanter meruit. Spectarunt in eo inſuper alij propenſionem ſanè miram erga Virginitatem; hoc eſt, virtutem ideò in terris raram, quia Cæleſtium eſt. Neque enim oblectari vllâ re aliâ magis, quàm familiaritate eorum videbatur, quos Virgines eſſe in Romano Collegio, cùm ibi eſſet ſpiritualis Pater, non ignorabat (inter quos erat B. Aloyſius Gonzaga) & id argumento erat; quorum conuenirent animi, horum pariter conuenire virtutes. Demum haud ita pauci, ad hoc veſtigandum vſi ſunt indiciis & coniecturis aliis. Vir nimirum erat ingenio tam acri, vt ferè nihil tam altè ſapientia collocauerit, quò mens eius non poſſet eniti: nihilominùs, dum aut ſtudiis animum, aut aures pœnitentibus daret; quoties legeret, vel audiret, quæ ad præceptum VI. Diuinæ Decadis, atque ad Sacramentum Matrimonij ſpectant; neceſſe habuit percunctari alios, vt exponerent, quid illæ voces (quæ adæquè ac res ipſæ ignotæ

erant cogitanti) significarent. Non hoc verò iunior, & religiosus dumtaxat, sed senex, & in purpurâ egit, cùm de re simili fortè consilium rogaretur: & sermones eiusmodi rubor verecundiæ affusus ori comitabatur; eique auctor erat hic honestatis color, ea vt colloquia quamprimùm absolueret. Verùm Diuina prouidentia, ne Dei famulus gloriâ illâ in terris priuaretur, quâ iam haud dubiè in cælo fruitur, effecit; vt virtutem hanc, quam de se solus ipse nôrat, certò de se etiam ipse narrando patefaceret. Neque hæc noua res est, vel inaudita: cùm sæpè viri sanctissimi virtutes suas, & præsertim donum virginitatis, ad Dei gloriam, candidè aliis enuntiauerint. Ita D. Gregorius Nazianzenus, intra publica volumina sua, hoc est, in maiori luce, quàm in familiari sermone, nempe in Opusculo, *De seipso* quod inscribit; *Corpore*, inquit, *virgo sum: an etiam animo, haud certò habeo.* Tria in rem præsentem adfero, & singula iuramento affirmantur ab iis, qui ex ore Cardinalis Bellarmini dici eadem audiuere. Demophoon Ferrinus, vir satis notus in Vrbe, & cui à publico munere, quo fungitur, potest fides adhiberi; dum aliquando cum Cardinali Bellarmino ageret, occasione priuignæ, cui nomen Veronica Vitalis, & quam Gaspari Bellarmino nuptum dedit; ait, Cardinalem

tum,

tum, quòd intelligeret puellam annorum esse non ampliùs tredecim, dixisse, *Vellem, ne tam properè vsurparent matrimonium, vt proles faustè succedant.* statim verò adiecisse: *Scio hæc solùm, quia in libris ea interdum legi: nam res mundi huius haud noui ego aliter, quàm apud Scriptores, in paginis; & Virginitatem ad Deum referam eo flore atque odore, quem cum animâ & cum vitâ suscepi.* Sed adhuc maius testimonium addo Viri Illustrissimi, nempe Cardinalis Crescentij; qui rogatus per Epistolam à P. Mutio Vitellesco Generali, vt quæ sciret de Cardinali Bellarmino, ea testari fide publicâ dignaretur, annuit humanissimè. Itaque coram Testibus, & Scribâ Vrbis, hæc de eo prolocutus est: *Ego Petrus Paulus Cardinalis Crescentius, vti semper sum veneratus Cardinalem Bellarminum, faustæ recordationis; tum ob præstantiam eius in doctrinâ & Ecclesiasticâ eruditione, quâ pro Ecclesiæ triumpho, hæreticos aut reduxit aut afflixit, tum ob virtutes eius & sanctimoniæ famam; testari possum sincerissimè, vsum me consuetudine illius maximè familiari, & semper animaduertisse in illo cælestem quamdam puritatem. Memini verò, cùm diceret aliquando, haud expertum se, quamdiu vixit, prauæ voluptatis delectabilem sensum vllum; ex quo conficere certò possum, ipsum virginem fuisse.* His verbis in-

dicari & illud videtur, ope videlicet & gratiâ singulari, placitam Deo animam eius, fuisse præmunitam; in præmium gloriosi conatus, quo sensum residem in iuuentute domuerat, & perpetuam de eo victoriam reportauerat.

Sed quia item casta generatio, tunc esse pulchra dicitur, quando est cum claritate; adiungam, quæ Ioannes Antonius Cangianus Sacerdos, & testis oculatus idem atque auritus, audiuit pariter de virginitate Cardinalis Bellarmini, & vidit quoad admirandos eius nitores; quod vtrumque interposito iureiurando affirmauit. Is moderator erat Seminarij Clericorum Capuæ; & intererat aliquando, dum Cardinalis Bellarminus in eâ vrbe, inter laudes S. Gregorij Magni, de quo instituerat sermonem, addidit post multa; se Sanctissimo huic Doctori posse similem videri: nam si fuerat ille Religiosus, & impenderat se scribendis pro Ecclesiæ defensione voluminibus, si fuerat Virgo & Cardinalis; ipse perinde Religiosus erat è Societate IESV, susceperat similes labores conscribendi libros pro tutelâ & patrocinio Religionis, denique Virgo & Cardinalis erat. Ea comparatio visa homini tum est, in ore Auctoris, haud ita concinere modulatè cum laude illâ, quam à silentio vel à præcone alio meruisset; statim

itaque

itaque erubescere, defixis humi oculis, pudibundus cœpit. At paulò pòst, respectans denuò, vidit Cardinalis Bellarmini vultum clarâ circumfundi luce, & Solis instar consulgere: cùm autem conniueret oculis, ita vt vix intueri posset, obtegens adpositâ manu, & pressans eos paululum, conatus est iterùm aspicere vultum Cardinalis; parique eum luce clarescere animaduertit: atque id perdurauit circiter, quamdiu sedatè quis legeret Symbolum Apostolorum. Extemplò pauor quidam venerans, & simul admiratio, eius animum cœpit: ita vt potuerit conijcere, linguam illam, quæ, præter solitum de se magnificè loqui audita fuerat, non plectrum vaniloquentiæ in eâ re, sed Spiritus sancti organum fuisse.

Imò, quia item Capuæ Philippus Carresius, Rector Ecclesiæ S. Marcelli, iuratus testis perhibuit; se, cùm auditor frequens concionum esset, quibus Cardinalis populo Epistolas Diui Pauli in summo Templo explicabat, vidisse non semel, splendido radiorum igne ei collucere vultus, non aliter ac pingi soleant Sanctorum imagines: posse mihi videor etiam de Bellarmino vsurpare illa, quæ Cardinalis Cæsar Baronius de simillimis nitoribus habet, quibus S. Ambrosij vultus radiarunt, dum Psalmum tertium & quadragesimum expla-

explanaret: ſplendorem enim illum, ait cæleſte ſymbolum fuiſſe, quo illius verba Diuinitas obſignauit. *Non ad oſtentationem*, inquit, *vt homines, Deus edit oſtenta; ſed vt quid magnum oſtendat: & quidem (quod ad hanc rem ſpectat) voluit huiuſmodi viſione, veluti ſigillo appoſito, conſignaſſe oſtendiſſeq́; tantum in Eccleſiâ Doctorem, non pro humani ſenſus arbitrio, ſed ore Domini locutũ, Diuino afflatum ſpiritu docuiſſe, diſſeruiſſe, ſcripſiſſe, atq; dictaſſe ea, quibus vel populum erudiuit, vel hæreticos confutauit: cum viuâ voce & ſcriptis Epiſcopale munus impleuit, & numeros Doctoris abſoluit*. Ceterùm Ioannes Antonius Cangianus, vbi à veneratione rei adeò miræ animum colligere potuit, Religioſo viro, ex Ordine Clericorum, quos Theatinos appellant, quidquid viderat, narrauit: & is, cùm eſſet ei à Cõfeſſionibus, monuit, rem ſilentio premeret; ne emanaret, dum Cardinalis Bellarminus ſuperſtes erat. Paruit verò ille, & tantùm ab obitu eius rem, non obliuioni datam, ſed ſuæ concreditam fidei ac taciturnitati, eiuſdem Cardinalis Bellarmini famæ conſecrauit. Poſſumus primos radios huius lucis, vel à concionibus ipſius in Belgio repetere. Nam tunc pariter flamma concionanti fuſa per caput, & per cæſariem, apparuit, & viſa ei facies eſt ſplendeſcere non aliter, ac de

S.Ste-

S. Stephano tefert Diuinus Auctor. Hoc autem Andreas VVise Eques, & Magnus Prior Britanniæ, interposito iureiurando, septuagenarius testis, vidisse se affirmat, cùm esset Louanij, annumque ageret ætatis vndevigesimum.

Sed vt reuertamur ad eius pudicitiæ thesaurum, non castiùs eum, quàm cautiùs custodiuit. Satis constat, confessionibus mulierum aures eum dedisse numquam; nec modò in iis cònfessionibus excipiendis (quæ est Sacramenti veneratio) verùm ad occasiones alias quascumque, interdixerat sibi ferè mulierum conspectum. Quòd si interdum necessaria colloquia cum eis haberet, tum maximè, si vmquam aliàs, modestiã muniri, & induere oris quamdam veluti austeritatem videbatur; ponereque humi vultus, ne quid de virginitatis integritate saltem oculi delibarent. Romæ Cardinalis, & Capuæ Antistes, hospitij causâ numquam eas admisit domi suæ: imò Seni cuidam graui, & Sacerdoti, primò veniam, postmodum consilium petenti, an propter familiæ vsum Ancillam, etiam ipsam satis magno natu, quippe sexagenariam, posset penes se in ædibus propriis attinere; Cardinalis respondit: cum eâ, in vnis ædibus, haud equidem habitarem. Quod consilium sequi alter maluit; ratus,

ratus, ſibi nullam fore ſecuritatem, quandoquidem Cardinalis ipſe illud conſortium defugeret, vir ætatis pariter ac ſanctimoniæ magnæ. Ad hæc ſermones eoſdem cum feminis ipſe non diu trahere; ſed, ſi poſſet, momento abſoluere ſolebat. In alloquiis autem Principum feminarum, vel cùm negotij conditio celerem exitum non pateretur, ſemper hoc egit, vt cùm ſermonis initia eis dediſſet, extrema ſibi reſeruaret; & tum ſemper pio aliquo documento perorabat.

His artibus adiecit aliam, quam ex vitâ S. Auguſtini, & ex Religionis item ſuæ præceptis hauſerat: videlicet ne feminis ſpatium ſermonis, niſi coram arbitris, daret; qui omnia ſpectarent, & verba non audirent tantùm. Celſus Amerigus Generalis Antiſtes Ordinis Cæleſtinorum refert: cùm aliquando ab audientiâ Cardinalis recederet alto iam meridie, deduceretúrque officij causâ media per conclauia, inuentam ibi feminam nobilem, & filias ipſius adoleſcentulas; peregrinas è Tranſalpinis oris. Æſtas erat, necdum famuli ad obſequia redierant; hos verò illæ opperiebantur, vt audientiam impetrarent. Cardinalis cùm eas vidit, primò erubuit, hæſítque aliquantulum anceps: poſtmodum ne expectare cuſtodes Aulæ diutiùs illæ deberent, Generalem, cui iam valedixerat, reuo-
cauit;

cauit; vt cum Sacerdote alio, qui tum fortè aduenerat, adesset: ac officiosas locutiones abrumpens, statim re intellectâ, pro quâ rogabatur, postulationi annuit; easque à se quantocyùs dimisit. Ægrè etiam, vt ad mulieres scriberet, adducebatur: ex quo, litteris à feminâ nobili Cæsenate acceptis, iniunxit ei qui sibi erat ab epistolis, vt Præfecto Vrbis Cæsenæ responderet potiùs; excusatâ consuetudine non scribendi ad feminas, nisi consanguineæ, vel matronæ essent primariæ; quibus iniuriosum fuisset, nihil rescribere. Romæ Cardinales in rhedis suis consistere solent, honoris causâ; quoties occurrunt in rhedis etiam Principes feminæ. Cardinalis Bellarminus tamen, quia erat Religiosus, rebatur immunem se esse ab eâ specie obsequij; & dumtaxat, ne qua oriretur offensio, mittebat ad eas, postquam prætererant, famulum vnum à pedibus, qui consuetudinem illam excusaret. Interim ipse fruebatur altâ animi pace; prorsus perinde, ac si corpus, quod corrumpitur, non habitaret.

Attamen, etsi hæc laus continentiæ tam eminens, dubio procul Cardinalem Bellarminum constituit in eo gradu hominum, quos suspiciet & demirabitur omnis ætas; haud ego æstimo tanti virtutem hanc excellentissimam, cuius est, quæ fœda corpori,

quæ

quæ fœda animæ, submouere; quanti donum aliud, generalis cuiusdam & excedentis longè humanas vires innocentiæ, quâ noxas etiam leues (quantum homini permittitur) euitauit. Siquidem prorsus rarum est, in tot humanis periculis, solâ innocentiâ viuere. Latent res animæ, nec intelligi queunt; nisi claras eas velit Spiritus ille idem, qui earũ secretus est auctor. Ideò, quæ sunt huiusmodi, de Sanctis viris aliter sciri nequiuere, nisi dum ipsimet promerent ea: fides verò eis habita est, quia vitæ cetera sanctitas, & grauitas morum in ipsis decus hoc, sine consentaneo obsignarunt. Id in Cardinali Bellarmino, præter constantem opinionem virtutis, quam apud omnes promeritus est, etiam illud peculiariter confirmat, quòd à mendaciis alienus habitus semper fuerit; nec in Religione tantùm, vel in Purpurâ; sed à pueris, & in domo paternâ. Etenim P. Mutio Vitellesco fassus est, se mendacium nullum, ne in infantiâ quidem, dixisse: quo tamen tempore, nobis hereditaria quædam veluti propensio est, vt excusatiunculis & mendaciolis prima illa malefacta protegamus. Hoc itaque candore, interdum de statu interioris animæ narrauit quædam, quæ suadebunt facilè (iudicium tamen integrum reiicitur semper in Deum, qui solus potest cordis arcana certiùs æstimare)

re) in Ecclesiâ Catholicâ, quantum è Scriptoribus colligitur, haud ita multis concessum fuisse, vt vitæ innocentiâ ipsum anteirent. Præter alios Cardinalis Verallus refert; dixisse eum sæpiùs, ad octauum quemque diem se confiteri solitum, vt Societatis legi obsequeretur; cetera experiri se difficultatem, vt absolutionis materiam inueniret. Et tamen in seipsum quotidie inquirebat accuratè, eratque conscientiâ timidiore, & sequebatur rigidas opiniones; ita vt sæpè culpam agnosceret, vbi culpa non erat. Is qui fuit ei à Confessionibus, quamdiu vixit Cardinalis, testatus est; necessariam ei fuisse exomologesim, vt præcepto Ecclesiæ obtemperaret, annuè tantùm semel: & potuisse eum alioqui annos plures Sacramento illo non vti; sed perlitare Deo nihilominùs quotidie, in innocentiâ cordis sui. Addidit verò; Cardinalem sæpè, conuentum à se constituto hebdomade die vt aures confitenti daret, respondisse ingenuè: Diu multumque cogitaui, nec noxas reperi, quarum me reum statuerem. Tam ipse feliciter occupationibus perpetuis id assequebatur, vt quouis momento Numini placeret.

P. Innico de Gueuara, qui ex Dynastâ Regni Neapolitani, Societati nostræ consecrauerat se, Cardinalis Bellarminus dixit qua-

dam die, dum ille Præſes in Domicilio Profeſſorum Romæ eſſet, & vnà ibi colloquerentur; deſtinatum habere ſe, eò regredi, vt Sacrum celebraret, poſterâ die: moneret proinde Confeſſarium, ad Ædes non veniret, ſed ibi ſe potiùs opperiretur. Poſteà cùm diu ſermones ducerent; *Sunt duo*, inquit, *in quibus ſoleo delinquere. Alterum eſt, ſi non perpetuâ cuſtodiâ cauerim ego mentis euagationes, quando penſum Officij Diuini perſoluo; neque id horis matutinis, dum ante primam lucem eas recito, ſed horis aliis interdiu, propter frequentiam adeuntium. Alterum eſt, ſi quid otiosè dixerim, vel ioco: ſed non deerunt culpæ aliæ, quas ignoro.* Sic ipſe.

P. Iulius Cæſar Recupitus, item è Societate, iureiurando aſſerit; cùm familiariùs à Cardinali Bellarmino quæſiuiſſet, an in his quæ ad animæ diſciplinam ſpectant, in Cardinalatú videretur ſibi remiſſiùs viuere; tum eum reſpondiſſe, videri auctum potiùs ſtudium illud interioris perfectionis, idque ex coniecturâ duplici: tum quia res Diuinas contemplanti ſibi, nullas inanes cogitationes euagationeſque honor ille ſubmitteret; tum verò, quia rei nullius appetens, præterquam vt in Cælum iret, à Pontificatu ambiendo erat alienus, ſicuti à re, in quâ periclitari Æternitas poterat.

Poſtremò

Poſtremò P. Thomas Fritzhebertus, Rector in Vrbe Româ Collegij iuuenum Anglorum, teſtatur, Cardinalem Bellarminum, dum ageret cum eo in Ædibus Vaticanis, paulò antè quàm languore vltimo tentaretur, (quia erat materia ſermonis Ioannes Berckmans, adoleſcens Belga, qui in Romano Collegio cum opinione virtutis magnæ tum obierat) quæſiuiſſe; quid maximè dignum memoratu de iuuene illo circumferretur. Cùm ipſe autem reſpondiſſet, magnum quid videri, quòd ille numquam vel noxam vnam minimam ſponte ac prudens admiſerat; Cardinalem ad hoc aliquantulùm hæſiſſe cogitabundum, & ſubdidiſſe poſt modum: *Mihi ſanè hæc res non adeò magna videtur; quis enim ſciens & prudens, vel leuiter peccaret?* Deinde meditatum circa id adhuc aliquamdiu, dixiſſe: *Haud memini, me ita vmquam deliquiſſe.* Iam ſi perpetua Innocentia admirationi eſt in iuuene, cui ætas erat annorum vnius & viginti: quantò maior veneratio tribui debeat viro, qui vſque ad annum propè octogeſimum conſenuit, numquam imminutâ probitate; & tametſi negotiis magnis atque honoribus tentatus, in iis tamen nihil niſi laudandum, aut cogitauit, aut fecit, aut dixit?

Vniuerſa hæc opinioni congruunt, quam

de ipſo habuit glorioſam Vrbis Romæ Aula; ceteroqui tam prona factis aliorum interpretandis: & conſentanea etiam ſunt iudicio eorum, qui cum ipſo diu verſati, perhibent velut vno omnes ore; Diuinas leges eum ita obſeruaſſe, vt quæ præcipiunt illæ vocibus, eadem perfectè redderet ipſe moribus ſuis. Quocircà non immeritò à Cardinali Vbaldino irreprehenſibilis, & idea perfectionis nominatur. Verè enim (quod de paucis in ſenio memoratur) defuit malitiæ deſtruendi eius locus; & ferè quam è luſtrali fonte innocentiam hauſerat, illibatam eam ad Superos pertulit. Ex hac eadem innocentiâ oriebatur ſubinde, vt doleret admodum, propter noxas aliorum: præſertim quoties intelligeret, aliquem obiiſſe abſque indiciis veræ pœnitentiæ. Reputans quippe animo, eos qui ita obeunt, damnari ad gehennæ loca, tormentis perpetuis excruciandos; tametſi voluiſſet ipſos culpæ magis, quàm ſupplicio eximi: nihilominùs pœnæ eorumdem iuſtiſſimæ, liberaliter pius, ſæpenumerò illacrymauit & ingemuit; patefaciens intereà non obſcurè perfectiſſimam innocentiam ſuam.

CA-

CAPVT II.

Eius erga B. Aloysium Gonzagam Virginem, & æquè innocentem studia; & quid prætereà egerit pro obtinendis ipsius B. Aloysij ac S. Ignatij Diuinis honoribus.

NVmquam fuit tam egregiè inter pares & similes amor, atque inter Bellarminum, & beatissimum iuuenem Aloysium Gonzagam: de cuius rebus gestis, non possum, quin delibem pauca ex his, quæ cum Bellarmini famâ & factis coniuncta sunt; nec pro hac narrationis parte, locum alium opportuniorem habui: nam lilium lilio intexere, pulchrum, opinor, videbitur. Is è Ferdinandi Gonzagæ Parentis & Principis Castilioni domo, optimâ spe, & summæ tum virtutis tum pietatis puer, aliquamdiu in Aulâ Regis Hispaniarum innutritus, inter illustres eius ephebos; atque adeò dignus, qui iura sui famulatus elocaret apud Regem cæli; Societatem Iesv, moribus suis honestissimis, ac Aris quoque & diuinis honoribus cumulauit. Huic incolumi Bellarminus, ad generalem totius vitæ expiationem, aures dedit: ægrotanti suppeditauit subsidia omnia, agen-

tique animam aſſedit; cùm anteà, eo ſpatio temporis, quo vnà vixerant, conſueuiſſet magnos ei ſpiritus communicare, & ab ipſo eos viciſſim ſumere: quod poſtremum, beneficij ſolùm accepti memor, ſæpiùs deprædicauit. De illius virginitate innocentiâque hæc in Epiſtolâ ex Ædibus Vaticanis datâ Kal. Nouemb. M. DC. I. ad P. Virgilium Ceparium, habet: *Diu confeßiones accepi dulcißimi & ſanctißimi Fratris noſtri Aloyſij Gonzagæ; vnam etiam, quæ vniuerſam eius vitam complectebatur. Ex quibus colligere potui, ipſum numquam letalem noxam vllam admiſiſſe: quod ab anno ſeptimo, & deinceps per ætatem reliquam, certum habeo; de primo ſeptennio facilè coniecturâ aſſequor: neque enim induci poſſum, vt credam, puerum eius ætatis, & qui ad innocentiam adeò magnam deſtinabatur, ſeſe tum, exitiali aliquâ labe, inquinare potuiſſe.* Ad hæc in Templo Beatæ Virginis Annuntiatæ, Collegij Romani, cùm eſſet in Purpurâ, & de B. Aloyſij laudibus diceret, tria in eo virtutum capita propoſuit, ad quæ nos ægrè poſſimus aſpirare. *Primum eſt*, inquit, *quòd fuerit vocatus à Deo, ante primam horam; cùm iuxta Vineæ parabolam ceteri vocentur, vel horâ primâ, vel tertiâ, vel ſextâ, vel nonâ, vel vndecimâ: nempe in pueritiâ, vel adoleſcentiâ, vel iuuentute, vel maturitate, vel ſenectute.*

Sed

Sed Beatus Aloysius vocatus est in ipsâ penè infantiâ; siquidem septennus dum erat, qui terminus est infantiæ, vocatus ad notitiam Dei, ad mundi neglectum, & ad vitam perfectam fuit. Mihi enim affirmauit aliquoties, illum annum fuisse initium suæ reuersionis ad Deum; quippe qui cœpisset, ante id tempus, cogitare nescio quid de gloriâ militari: si tamen culpæ adscribi debeant, quæ tum pueri cogitant, ante annos illustratæ mentis; Deus aut paucos, aut nullos innocentes habebit. Alterum est, quòd ita gratiâ castitatis fuerit à Deo præmunitus, vt euaserit immunis ab omni carnis, imò & spiritus inquinamento. Et verò in Ecclesiâ Dei, tametsi Virgines multi sint, & casti, saltem ad longum tempus, multi; carnis tamen titillationum expertem neminem, præter hunc Beatum Iuuenem, noui: fortasse haud desint alij, sed mihi noti non sunt. Quæ prærogatiua tam insignis longè pluris æstimanda est, quàm donum resistendi tentationibus: vt vel ex eo sit manifestum, quòd Christus Dominus, quando cum hoste, Imperator simul & Miles, manus conseruit, non permisit, vt se ille iis motibus adoriretur. Multò minùs permisit interiùs sibi, è prauæ libidinis tetro igni, faces intus admoueri; aut eas etiam inter Matris suæ Sanctissimæ niues, vel ad leuem vsque cogitationem suscitari. At enim, stimulis qui carent, coronâ carent victoriæ. Ita

ſanè: ſed ſi aliunde augetur gratia & charitas, feliciter iactura illa compenſatur. Ita, qui numquam peccarunt, Chriſtus Dominus, & Beatiſſima Virgo, caruerint dono & merito pœnitentiæ; ſed huius meriti & doni fuit iactura felix; quia ſtetit innocentiæ pretio, ſtetit maioris gratiæ compenſatione. Tertium eſt, eum tranquilliſſimâ mente, procul ab omni euagatione, inter meditandum fuiſſe. Quemadmodum enim in terris genua, ita cor in Deo, cùm oraret, figebat. Tametſi verò aduenirent frequentes, qui cognoſcere, ſancto ne operi quiſquam deſit, in Societate ſolent, & iidem ſæpè fores cubiculi cum ſtrepitu reſerarent, clauderéntque; ipſe nihilominùs, numquam eos aduéniſſe obſeruauerat: adeò ſopiti ſenſus eius erant, dum cor interim cum Deo vigilaret. Poſtquam hæc tria de Aloyſio, velut inimitabilia, recenſuerat; tum ad imitandum quædam alia propoſuit, verbis vſus, quæ patefaciunt maximam ipſius animi demiſſionem. *Veniamus*, inquit, *ad virtutes alias, vt diſcamus exemplo perfectiſſimi Iuuenis, nos imperfecti Senes, quæ ſit via ad vitam: neque enim turpe nobis videri debet, à iuniore diſcere, qui ſuper ſenes intellexit.* Sic ipſe. Prætereà, cùm cœptum eſt agi de Aloyſio inter Cælites conſcribendo; Cardinalis Bellarminus, in Sacro Senatu diſſerüit primus, & complexus multa, tandem Sanctos om-

omnes, dixit eâ insignitos appellatione fuisse, vel propter summam innocentiam, vel propter summam vitæ austeritatem : at verò eam Aloysio deberi propter vtramque laudem ; sicut debita fuit olim S. Ioanni Baptistæ. Cui sententiæ subscripsêre Cardinales, consensu miro. Sed nô dictis modò B. Aloysium adeò impensè coluit : verùm facta etiam adiecit, solitus quotannis, in anniuersario die obitus eius, sacras ipsius Reliquias inuisere; & à Romani Collegij Templo, ire etiam in cubiculum illud, vbi ægro assidere, fouere deficientem, satiari vultu & complexu meruerat. Nec ferre diu potuit, cubiculum illud, pro ægris passim, quasi careret Religione, vsurpari ; siquidem ad sancti Iuuenis gloriam, & ad loci venerationem, Sacellum in eo dedicauit : quia par ei visum est, vt ibi ara, vbi cecidit tam innocens victima, poneretur. Pro eo ornando suppeditauit expensas; erantque laquearia auro lita, cum lychnis præpendentibus ante beati Iuuenis effigiem : parietes non è marmore elaborato, aut distincti gemmis erant ; sed apparatu nobiliore, expressas imagines virtutum eius, intranti offerebant. Parte in vnâ videtur Aloysius adhuc puerulus, qui nixus genibus ante Crucem, nudatos humeros flagris cruentat ; & nullius culpæ reus, flagellat innocentiam.

Adſtant foribus interim famuli; & perſpe-ctant rimulis paruum Dominum, piè aduer-ſum ſe ita ſæuientem: quæ res denuntiata Ferdinando parenti, aditum ei in Societa-tem impetrauit. Ipſe deinde mutatâ veſte in-ter Præſules, & alios è ſacris Paginis ſalutaria monita diſtribuit; Mundoq́ue & pompis eius valedicit. Ad hæc inter Vincentium Man-tuæ Ducem, & Ferdinandum fratrem, inter quos graui ortâ controuerſiâ non ſatis con-ueniebat, litem omnem diremit. Supra veſti-bulum intus (quia anno Domini M. D. XCI. ſæuiit Romæ lues) adeſt in publico Xeno-dochio, agitq́ue inter plures è Societate: at-que ibi tametſi pollui cuncta ſanie, odore, contactu cerneret; ea pro inuitamento ha-bens, quæ terrori aliis fuiſſent, dum ceteri ſcopis pauimentum purgare, cubilia ſternere, manantia tabe ſtragula verſare, recreandæ refectioni cibos adferre pro ſe nituntur, ad-ſpicitur ipſe ad pedes vnius, ſuccinctus lin-teo, ſordes eius eluere, minimè faſtidioſus aut nauſeabundus: ſed nullâ imò re lætior, quàm ſi in morbum incideret; tolerantiæ co-mes futurus, quibus erat ſolatio. Pars altera parietis, eum item in genua prouolutum, an-te Crucem oſtendit; dum ſimul percepta di-uinitus lumina, quæ de Angelis didicerat in-ter meditandum, perfuſus animæ liquidis

vo-

voluptatibus in pugillares refert, par Mentibus illis puriſſimis Scriptor, & Commentator. Ac prætereà eſt lectulus eius verè floridus, ex quo ipſe, illo quem prænuntiauerat die, flos caſtitatis innocentiæque, reſolutus non tam in ſua initia, quàm in odorem ſuauitatis, ad Cælum migrauit.

Ceterùm de Aloyſio Cardinalis Bellarminus, aucturum eum Cæleſtium numerum, eique aras dedicandas, prædixit, vel à momento illo temporis, quo nobis ereptus eſt. Epiſtola eius, de quâ paulò antè memini, hæc habet: *Exiſtimo equidem*, inquit, *rectà eum ad gloriam Beatorum migraſſe: ſemperq́, mihi Religio fuit, pro illius animâ preces ad Deum fundere; cùm vererer, ne Diuinæ gratiæ, quam aduerti in ipſo eſſe cumulatiſſimam, fortaſſe iniuriam irrogarem. At contrà ſecurus animi ego me eius precibus commendaui; atque in his credidi plurimum ſubſidij eſſe rebus meis.* Id etiam cauſæ fuit, cur demortui corpus in proprio ſarcophago condi & ſeruari voluerit, quoniam ipſum è communi vmbrâ ſepulchrorum, luci & Aris repromiſit; præſagiens futurum, vt ſanctitate ac miraculis clarus adoraretur. Ipſe tamen ſtudia hæc ſua tum maximè declarauit, cùm optauit moriturus (ſicut in tabulis teſtamenti habet) ad pedes B. Aloyſij, filij ſui ſpiritualis, ſepeliri: hoc

pacto

pacto enim, quos simillimi mores in vitâ coniunxerant, horum exuuias in sepulchro, fortis vt mors beneuolentia, miscuisset.

Vt S. Ignatio etiam cælestes honores atque aræ decernerentur, procurauit Cardinalis Bellarminus, studio & curâ præcipuâ; deditque insuper occasionem quamdam primæ eius venerationi. Etenim anno M. D. LXXXXIX. Cardinalis Bellarminus, vnà cum Illustrissimo Collegâ Cæsare Cardinali Baronio, venerat ad Templum Professorum Societatis, die anniuersariâ obitus Ignatij, habiturus ibi, clausis valuis, de laudibus eiusdem adhortationem ad Socios. Dixit verò de optimi Parentis sanctimoniâ tam aptè atque efficaciter ad persuadendum, vt traxerit in admirationem viri etiam Cardinalem Baronium. Qui propterea, dum Socij, concione dimissâ, ante Sepulchrum Ignatij, nixi genibus aliquantulùm orant; prostratus pariter in hæc obsequia, primò terram, vbi sacræ eius Reliquiæ seruabantur, exosculari, dein quodam instinctu diuinitus impelli, vt iuberet Ignatij imaginem, & scalas adferri, quibus eam publicè honorandam è loco superiori proponeret. Auctoritas viri nostrorum vicit modestiam, qui diu erga Ignatium signa ea cultus edere recusauerant; rati sufficere interim, si Parenti sanctissimo, in animis filiorum

rum

rum virtutes eius, veluti templa & effigies ponerentur, donec in luce publicâ Deus famuli sui gloriam collo caret. Quare iis, quæ postulauerat, allatis, acceptã tabulam ipse primus religiosè veneratus est; & mox eam scalis adscensis, supra sepulchrũ suspendit, adorauitq; rursus; nemine filiorum spectante isthæc insperata gaudia dulcissimi Parentis, cui nõ præ gaudio ex oculis vbertim lacrymæ prosilirẽt.

Ceterùm, quoad ritus, Cælestium albo inferendi eorum tum animas, tum nomina, qui castè sanctéque in Ecclesiâ vixerunt; nec illud omiserim, quod Cardinalis Bellarminus P. Virgilio Cepario aliquando dixit; dum is negotia id genus procurans, experiretur difficultates, quæ tum oriuntur, cùm commentarij rerum ab eis gestarum formantur, longo pòst tempore, quàm obiissent alij, qui de iisdem testificari poterant. Censuit enim, prorsus è re communi Ecclesiæ fore; si de iis, qui cum opinione sanctitatis diem obeunt, fierent statim auctoritate publicâ Commentarij. Veniret enim certior ad posteros veritas: ab iis nimirum expressa, qui mortuum nouerant; non autem à famâ tantùm, quæ incerta certis, & falsis vera sæpè confundit: quod vtique necessariò contingere debet, quando ea, post annos plures, serâ indagatione perquiruntur.

CA-

CAPVT III.

De Orationis pio exercitio, ac studio erga res animæ.

EXpertus feliciter est Cardinalis Bellarminus, quàm pronuntiauerit sapienter diuus Athanasius illud : *Sufficit animæ puritas, vt per se Deum speculetur.* Etenim eius purus ab omni labe animus, cœpit à teneris annis, & continuauit in omni vitâ, pium exercitium cælestia quotidie meditandi. Horis verò sancto huic otio sepositis, mirum est, quàm accuratè colligeret se; & quàm studiosè animum venienti Deo pararet. Prætereà, vt diximus, Diuinas Laudes, Matutinas præsertim, qualibet die, & non pridianâ anticipatione, semper legit; partesque singulas Officij Sacerdotalis, propriis & distinctis horis recitauit. In quâ sanè re, haud scio quemquam alium magis tenacem propositi fuisse, inter assiduas fereque omnium horarum occupationes; quas obire Cardinalis Romæ, & Archiepiscopus in Vrbe Capuâ debuit. Quádiu in Societate vixit, circumtulit notatum in tabellâ horologium Solare; atque eo quasi interprete & monitore, pro tempore earumdem horarum vtebatur. Cardinalis deinde, vsus est Horologio rotato, ex iis quæ horas nar-

narrant, & inſuper quâ pridie quis diſpoſuerit horâ, tinniendo ſæpiùs à ſomno excitant, vt ad preces matutinas euigilaret.

Si, dum ſermonis copiam aliis daret, tempus minorum precum appeteret, ſecretum pro eis rogabat; & vbi perſoluerat, ad colloquium ſe referebat. Quàm piè in iis Deo ſupplicaret, ſatis exprimebat fuſa per vultum & per corpus totum veneratio. Nullo vſus adiutore ex his qui erant ei à ſacris: ſed ſemper ſolus in horariâ precatione fuit: quam nixus genibus, aut ſtans aperto capite (quemadmodum olim ſanctus Franciſcus) Deo immolabat; cùm interim ei oculi arderent, & ſuſpiria vocem interpellarent. Aliquando, dum ad S. Andreæ in Monte Quirinali piis meditationibus animum excoleret, ipſum adiit Religioſus quidam ex Societate: qui, vti modeſtiâ ſummâ inambulantem inuenerat; num exſolueret penſum Officij Diuini, perrogauit. Tum ipſe reſpondit, ſe tam parum obſequiosè tributum illud Deo reddere non conſueuiſſe; de quo præcepti obligatio ſuberat. Narrauit Cardinalis Petrus Aldobrandinus, à ſe quadam die Cardinalem Bellarminum repertum eſſe in horarias preces intentum adeò; vt tametſi ab Aulicis in conclaue ipſius introduceretur, ille nihilominùs immotus hæſerit perinde, ac ſi feriatus à ſen-

ſibus

ſibus cum Deo ageret. Dein obſequia omnia tanto hoſpiti exhibuit; qui æquiſſimè rem interpretatus, iudicauit, Deum non debuiſſe deſeri, vt ſermo cùm homine inſtitueretur.

Ad preces, quæ pro Sacerdotibus ſunt communis obligationis, addidit Officia duo, beatæ Virginis, ac Defunctorum. A meridie, poſt prandij refectionem, non colloqui animi causâ ſolebat; ſed ſecretò ſolus inambulare, & recitare aperto capite Virginis eiuſdem Roſarium, & coronam alteram Chriſti Seruatoris; vt cum Deo ac Superis non animo dumtaxat plurimùm ageret, ſed ore etiam aſſiduè loqueretur. Has verò aut ſimiles preces recitabat etiam, dum ad Conuentus habendos expectaret aduentantes alios Cardinales, vel dum interetat Sacris Pontificalibus. Atque in his numquam deſiderabatur; niſi fortè oblangueſceret: eratque omnibus exemplum modeſtiæ, & ſilentij perpetui; adeò vt nemo ipſum intueretur, qui ex vultu pietatem animi eius non introſpiceret.

Ante primam lucem, poſt horæ ſpatium, quod impendebat matutinis precibus, ad horam alteram nixus genibus meditabatur. Quem vſum meditandi Chriſtianis quibuſcumque rebatur tam neceſſarium eſſe, vt crederet, haud poſſe ab vllo rectè diſponi diem, niſi manè, ſaltem ad quartam horæ partem,

vt

vt Deum consuleret, meditaretur. At Prælatis debere esse id maximè proprium, in Præfatione Libelli De Ascensione mentis in Deum, ostendit exemplo Moysis: qui, sicuti exponit sanctus Gregorius, Tabernaculum ingrediebatur, vt contemplaretur Arcam Dei; & egrediebatur, vt sustentaret, humero Principis, populorum imbecillitatem. Ex hac autem exercitatione cælesti, ipsum haurire solitum liquidas voluptates constat; cùm ad eam rediret semper fame integrâ, nec minùs auidè, quàm infantuli in genitricis vbera ferantur. Interdum visus est in eo suaui & dulci otio mergi, quasi sopor aliquis sensus eius extimos occuparet: à quo excitatus cum tremore, aliquamdiu ardebat oculis ac vultu toto; incensus videlicet ab eo igne, qui in meditatione exardescit; & constitutus in sobriâ illâ ebrietate, quæ vires animæ euertere non solet, sed sicut castrorum aciem ordinare.

Sic deinde plenus Deo ad Aram ibat, vt Missæ sacrificium celebraret: cui quotquot interfuere circa Auroram, testantur ad decorum componi eâ modestiâ solitum fuisse, vt ad pietatem inuitaret omnes. Seruabat perfectè ritus & cærimonias Ecclesiæ; & clarè pronuntians omnia, quando erat consecraturus, moram aliquam quiescebat, vt quod

facturus esset, interim consideraret. Peractâ re Diuinâ, pro gratiis referendis perseuerabat supplex in Sacello, vel in Conclaui, donec tempus negotiorum appeteret. Mane itaque horas fermè quatuor, postquam euigilauerat, istiusmodi occupationibus dabat: & nihilominùs ratus hoc minimum esse, ac reputans quantum pulueris & sordium colligi, campestri opere, & exercitatione humanæ vitæ, contingat; consueuit (quod indicauimus sæpè alibi) ad vnius mensis spatium, quotannis, in Domum Nouitiorum S. Andreæ secedere: & intrans ea loca pura atque innocentia, tum maximè, si vmquam aliàs, experiebatur, quàm suauiter in casta, & nullis contaminata vitiis pectora, influat Deus. Nata verò ex otio huius tranquilli secessus, pia Opuscula illa sunt, quæ in lucem edita, magnæ vtilitati non iis tantùm fuere, qui in Ecclesiâ Catholicâ pietatem colunt, sed plurimis hæreticorum etiam; quod summopere admirationem parit. Liber eius de Ascensione mentis in Deum, legitur passim à *Protestantibus*, quos vocant in Magnâ Britanniâ, redditus idiomate eius Regni, ab vno ex Ministris eorum. Libelli ceteri, quos eodem spiritu deinde scripsit, inter eorum manus assiduè inueniuntur. Imò ipse Iacobus Rex Magnæ Britanniæ (quod idonei Auctores referunt)

runt) penes se libellum habuit De Gemitu Columbæ.

Quin imò visus est in eo Cardinalem Bellarminum æmulari, quòd cùm is iam scripsisset florenti ætate Volumina Controuersiarum, composuerit in senio istiusmodi libellos pios. Sic ipse, post Libros operosiores, fassus est, à se Meditationes in Orationem Dominicam edi. In earum Præfatione, alloquens Ducem Bunckingamum (huius enim nomini Opusculum dedicauit) *Nec deest*, inquit, *Cardinalis Bellarmini exemplum; qui digladiationibus polemicis, & controuersiis, quibus priorem vitam in solidum mancipauerat, non ita pridem valedixit: contentus meditatiunculam aliquam quotannis edere, eamq; duobus aut tribus fabulosis ornatam miraculis; quâ in re me æmulum non inueniet.* Sic ille: quamquam hoc postremum addere Regius Auctor non debuisset.

Finis Cardinalis Bellarmini in his Opusculis, erat publica vtilitas; & vt scriptione saltem faces admoueret animis, in eisque amorem & timorem Domini excitaret. Fuit verò voti compos; quia translata exterarum gentium linguis, frequentem editionem, fructu animarum vbiq; magno, habuerunt. Hic idem eius familiarior accessus ad Deum, non solùm animæ gratum solatium, sed corpori

quoque ſalubre laxamentum erat. Geſtire enim vultu toto, & colore vti proſperrimo videbatur; prorſus vt poſſent ſolitudo ac vitæ aſperitas, ab eo inter amœna numerari.

Ex eo item vſu pia meditandi, tantam adeptus erat facultatem loquendi cum ſuperis ac Deo, vt videretur ſemper orare, & numquam deficere. Et ſæpè, dum externa & humana procuraret, quia eius interior conuerſatio in Cælo erat, oculos ſuauiter attollebat, cum leni motu labiorum; quibus ſonum occultare, cetera loqui iudicaretur. Quoties diuitias, pompas, & quæ prima Mundus habet, intuebatur; tum ad Deum conuerſus, aiebat: ſi tam multa bona, Domine, tribuiſti peregrinis, habitatoribus terræ huius, interdum hoſtibus tuis, & his qui maledictis proſcindunt nomen ſanctum tuum; amicis quid non dabis, & his qui aſſiduè perſonant laudes tuas? Hinc circa res aſpectabiles nulla ei erat delectatio; quin imò à ſtudiis ipſis Theologiæ Scholaſticæ, quoniam ſenſu carent liquidæ illius pietatis, quæ ex meditatione percipitur, alienus ferè in vltimâ ætate videbatur; & euoluendis Auctoribus eius dedere ſe, niſi admoneret neceſſitas, recuſabat. At libros alios pios auidiſſimè, (vt qui eos appellaret cibos delectabiles ori ſuo) præſertim in ſenio, legebat.

Hinc

Hinc etiam naſcebatur, erga res ſacras omnes, ſimplex quædam in eo & conſtans veneratio: habebatque cubicula domi diſpoſita ornatu ſanctiſſimarum picturarum, ne in quotidianâ vitâ traducendâ exemplaria illi deeſſent; & vocabat Sanctos, qui tabulis iis exprimebantur, cuſtodes ac defenſores domus ſuæ; eorumque conſpectu virtutem, ne deficeret, in ſe identidem excitabat. Capuæ dum erat, Theſaurum ſacrarum Reliquiarum viſitauit; curauitq; vt ſplendidè ac ſumptuosè haberentur. Exiſtimabat verò, eas in Templis attineri decentiùs multò, quàm in domibus priuatis: ideò eis perquirendis numquam inhians fuit; ſed recuſauit illas potiùs, quando ſponte offerebantur; contentus pauculis, incluſis in paruâ Cruce argenteolâ, quam ante pectus geſtabat, & in Cruce aliâ maiori, è ſimplici ligno; atque hanc in Muſeolo ſuo, piè magis quàm magnificè colebat: cùm in eâ ſacræ particulæ, paruis loculamentis diſcretæ, non gemmâ cryſtallinâ, ſed paupere, perſpicuo tamen, vitro tegerentur. Atque hanc ipſe Crucem, quippe gratiſſimi vſus, & quia erat quantum diuitiarum domi reperiebatur, teſtamento legauit Petro Cardinali Aldobrandino, his verbis dignis æternâ recordatione: *Relinquo autem Illuſtriſſimo Domino meo, id quo pretioſius nihil habeo; videlicet*

licet Crucem ligneam reliquiis pretiosissimis refertam. Quadam die, familiæ suæ frustulum ex veste S.Caroli, cum veneratione summâ, & nudato in obsequium capite, distribuit. Dixit sæpenumerò, admirari se, vti magnum Dei famulum, B.Thomam de Villanouâ, Valentiæ Archiepiscopum; & dolere etiam, quòd serò nimis vitam eius præ manibus habuerit, nam illum imitari Capuæ studuisset. Vitam certè ibi euoluens Ioannis Riberæ, item Archiepiscopi Valentiæ, & Patriarchæ Antiocheni, exarsit desiderio inueniendi, in scripturarum conditorio domi', epistolam ab eo ad se transmissam; vt inter Reliquias eam veneraretur.

P. Bernardinum Realinum, Religiosum nostræ Societatis, iudicabat esse virum eximiæ sanctitatis: & ideò olim, cùm esset Prouincialis, & circumspiceret domicilia Prouinciæ Neapolitanæ; vbi ad Aletinum Collegium venit, reperitque Patres omnes pro foribus, vt se aduentantem exciperent, statim prouoluit se in genua, vt Realinum amplexaretur. Et quia is vicissim in genua procubuerat; aliquamdiu hæsere ambo mutuis in amplexibus, inuicem deferendo. Postquam verò excessit è viuis Realinus, particulas aliquot tunicæ eius apud se, venerationis ergô, Cardinalis Bellarminus habuit. Ad hæc, vt consequere-

quereretur piaculares Summorum Pontificum Indulgentias, studiosè admodum dabat se operibus piis, cùm illas esse pretium Sanguinis Christi non ignoraret. Atque hæc dispositio interior in Cardinali Bellarmino fuit, quantum illa indicare visa sunt, quæ ab ipso exteriùs vel dicebantur cum laude, vel gerebantur. Quamquam occultare, aut obscurare saltem virtutes suas, ne ad famam eminerent, videbatur: fateri debemus tamen; ipsum virtutibus magnis, quà publicè, quà priuatim, vitam suam ita instituisse, vt cùm palàm eum laudares, secreta eius adhuc multò meliùs audirent.

CAPVT IV.

Perfecta eius humilitas.

ROBERTUS Bellarminus, apud nationes omnes tantum nomen, & qui ex Cardinalis dignitate potuit honoris multum accepisse, plus dedisse; tot prosperis seu famæ seu gloriæ circumfluentibus, haud properea superbiâ vllâ afflari visus est: cùm ipse imò perquireret occasiones demittendi se coram Deo, & coram hominibus. Nemo erat, qui dum adspiceret corpus eius (quippe figuram animi) adeò modestè situm; & dum audiret verba oris lenissima, agique ab eo ad virtu-

tem omnia deprehenderet; non ſimul iudicaret, imaginem ſe Chriſtianæ humilitatis abſolutiſſimam intueri, etiamſi tam cuperet ipſe occultus eſſe hominibus, quàm erat manifeſtus Superis ac Deo. Declinandi causâ faſtum omnem, conuertebat ſe identidem ad virtutes heroicas præcipuorum quorumdam Sanctorum; quò ita cognoſceret meliùs imperfectum ſuum: ſed & Solem ipſum Diuinarum perfectionum contemplabatur; vt eius comparatione, quidquid exſplenduerat in ſe doctrinæ atque virtutis, id appareret quaſi lumen deficiens. Atque ita foueret modeſtiæ & demiſſionis ſtudium, perinde ac ſi ſpecioſas de ſe opiniones ignoraret ipſe, & crederet ab aliis eas pariter ignorari.

Tametſi verò hiſtoria hæc ſit huius virtutis ſparſa præclaris monumentis: nihilominùs iſtiuſmodi exemplis eius vita abundauit adeò, vt iuſti capitis materiem poſſint ea quæ ſuperſunt, ſuppeditare. Ante omnia reſpuere ſignificationes excellentiæ omnes conabatur; etiamſi eſſent ex eo genere, quæ citra vitij notam à ſapientibus quoque admitti ſolent. In Voluminibus ſuis, numquam permiſit propriam imaginem figurari: & ideò, *Effigiem meam*, inquit in epiſtolâ quadam, *ante libros, quos impreſſi, ſemper equidem depingi vetui; tametſi rogauerint multi: cùm è viuis*

viuis discessero, posteri de me statuant, vt velint.

Lepidè alteri, picturam eius desideranti, haud aliter quàm olim S. Paulinus, respondit: *Scire velim, imaginem veteris hominis flagites, an noui.* posteaque subdidit: *Illam, quâ vetus homo pingitur, quia exoleuit nimiùm, redactaq́ est ad informem materiam, mitti non decet: sicut nec alteram, quæ est hominis noui, quia inchoata est, sed nondum absoluta.* Quibus verbis ostendit, vt vultus hominum, ita simulacra vultuum imbecilla & mortalia esse; formam verò mentis æternam. Atque vt hæc expressa moribus, non coloribus emineret, pulchrè efficiebat pictor egregius, dum has ei vmbras humilitatis circumiiceret. In iisdem etiam impressis à se Voluminibus haud passus est versus adscribi, qui continerent famam eius. Pro hac re, liceat mihi Testem venerari VRBANVM VIII. Pontificem Maximum. à quo, priusquam amplissimi Senatus suffragatione frequentissimâ Ecclesiæ gubernaculis præficeretur, Bellarminus verecundè Latinam Oden pulcherrimam recusauit, quam in librum eius De Ascensione mentis in Deum scripserat: & quæ extat inter lyrica Poëmata, scripta stylo pereleganti, & genio fecundissimo, ac typis edita; paulò antè quàm in Vaticano, non carminum iam, sed cæle-

ſtium Oraculorum Vates, & Antiſtes Maximus, coronaretur.

Sed cùm potuerit encomiis id genus fraudare Libros ſuos; non ideò amicorum iuxtà & aduerſariorum cohibere calamos, vel inhibere ſermones potuit, quin de ipſo præclarè ſentirent pariter, & loquerentur. Debuit enim ſæpenumero, vel inuitus, pati famam, iuſtiſſimaſque laudes ſuas. Quàm ægrè tamen iis intereſſet ſermonibus, adfuſus ori rubor, & eius modeſtæ querimoniæ patefaciebant. In Epiſtolâ ſcriptâ ad Palatinum Inovvladiſlauiæ, *Cum mœrore plurimo,* inquit, *in tuis litteris legi, me pluris æſtimari, quàm quanti ſim apud Deum. Profectò (ſicut S. Franciſcus dixit olim) tantæ magnitudinis eſt homo, quantam coram Deo, ne ſtatim effluat, retinere poteſt. Diuinam Maieſtatem ores, vt miſereatur mei, & vt miſericordiâ ſuâ, qui opifex eſt rerum admirabilium, ipſe talem efficiat me, qualem eſſe indicant probi viri multi. Libellus ille meus vltra meritum gratus omnibus filiis Eccleſiæ fuit: vtinam ſit eis æquè vtilis!*

Sed in Cardinali Bellarmino, virtus demiſſionis enituit etiam ex vno capite, ex quo in aliis vitij aduerſi ſæpè oritur ſuſpicio. Amicis quippe narrare de ſe quædam interdum audiebatur, ex quibus eius fama & opinio videbatur clarior illuſtriorque reddi. Aberat intereà

tereà faſtidium aurium; quia eodem animo, quo geſta erant, oratione ſimpliciſſimâ, procul à ſpecie omni iactantiæ, illa referebantur.

Cùm tamen ſciret, raró quemquam erga bona ſua ſatis cautum eſſe; ſi quid eiuſmodi de ſe narraret, vel inducebatur propterea quòd fieri ab aliis maiora exiſtimaret, vel quia comparatione ſuæ perfectionis interioris, putaret ea pretij eſſe quàm minimi. Ad finem certè Commentarioli de vitâ ſuâ, tametſi complexus ea fuerit, quæ continent virtutes magnas; addidit nihilominùs, ſe ab amico & fratre rogatum vt ea ſcriberet, de virtutibus propriis ideò tacuiſſe, quoniam ignoraret, num in ſe vllæ veri generis inuenirentur; ſed & vitia ſiluiſſe, quia hæc narrata poſteris, profutura non crediderat.

Hinc, ſicut velare adnitebatur ea, de quibus ſplendidè alij & magnificè iudicabant; & inſuper ſuaues interdum iocos miſcere, quò illa contemnerentur; ſi quæ agnoſceret in ſe vitia naturæ, non ea ſupprimebat, ſed celebrabat ſermonibus de induſtriâ, ne idoneus ad magna exiſtimaretur. Idcircò in vltimis comitiis Pontificum, nihil inter Cardinales frequentiùs, quàm ſurditatem ſuam, & ſiniſtras valetudines, quas adfert ſenectus, memorabat.

Quando erat Romani Collegij Præſes, librum

brum reperit, in quo omnes, quotquot è Societate ibi ſtuduerint, cum additâ cenſurâ ingenij atque præſtantiæ notantur. Legit verò, Robertum Bellarminum illâ ætate viſum eſſe ita excellere, vt ingenio P. Franciſcum Suarium anteiret. At faſſus eſt, hoc à ſe minimè verum cenſeri: qui mentis vim cum exceſſu perſpicacem non habuerat; ſed, vt aiebat, capax fuerat tantùm, ex æquo, diſciplinæ cuiuſcumque. Vſque adeò ſibimet aſſentari alienum atque indecorum rebatur. Contrà ſi fortè alij exprobrarent corporis vitia, leniter id ferebat. Et aliquando in Belgio, ex cuiuſdam irriſu, à quo auriculis eſſe grandiuſculis notabatur, minimè commotus eſt; ſed (vt olim S. Gregorius Turonenſis) vſurpauit verba illa: *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos*. Iterùm, cùm in libello quodam legeret, haud ſe futurum Pontificem, propterea quòd ſimplex nimiùm videretur; ad marginem libelli adſcripſit: *Felix ſimplicitas, quæ me à tanto onere liberauit*.

De impreſſis à ſe Voluminibus, numquam audiebatur exaggeratè loqui; inuituſque intererat, ſi coràm laudaretur; contentus ſolâ vtilitate, quam expetiuerat vnicè in eorumdem Voluminum editione. Rogatus de re aliquâ dubiâ, vel de interpretatione Scripturarum, ſummâ cum luce ac facilitate,

tantùm

tantùm ea quæ rem exponerent, afferebat; vt qui apud ſe paratam, nòn tamen nimiùm venalem ſapientiam habere conſueuerit. Si qui verò explanationi non acquieſcerent; tum ipſe confirmans, quæ ſemel dixerat, digrediebatur ad alia ;, atque addebat ſolùm: Quemadmodum vultis, ita demum ſit. Ceterùm paratiſſimus fuit, ab ſubeundam aliorum cenſuram, vt indicauimus alibi: ex quo Raphaël Epiſcopus Zacinthi, in Cardinali Bellarmino aiebat, omnes miratos eſſe; virum adeò excellentem, & qui eruditione cum ætatis ſuæ Scriptoribus quibuſcumque poterat comparari, Operum ſuorum nihilominùs cenſuram petere enixè, & libenter etiam audire ſolitum fuiſſe. Quaſi Auctor egregius, vel ignoraret præſtantiam ſuam, vel illius ſaltem obliuiſceretur. Vſus verò eſt hac demiſſione, non erga viros modò ſapientiæ eximiæ, ſed erga alios etiam. Et ideò extant ipſius litteræ ad Balthaſarum Moretum: cui cùm miſiſſet librum De felicitate Sanctorum, vltrò poteſtatem fecit, vt mutaret capita rerum neſcio quæ; ac librum ederet, ſi opus luce dignum ipſi videretur.

Ad occaſiones alias etiam oſtendit, ſe prorſus nihil ad ſummam demiſſionem ſibi reliquum feciſſe. Ita cùm in ſummo Templo Capuæ, feria v. Cœnæ Domini, pedes duodenis

denis pauperibus proluisset, perfunctus pio munere, cœpit eosdem instituere primis Christianæ doctrinæ rudimentis. Ægerrimè verò tulit, cùm deprehendit seniorem ex iis, qui ordine primus, ac S.Petrum referens, ab ætatis anno centesimo perparùm aberat, adhuc Apostolicum Symbolum ignorare. Et tum Parochis id munus erudiendi alios, proprio etiam exemplo, cœpit efficaciùs commendare: nam ex eo tempore ipsemet paruulos & rudes consueuit Capuæ instruere publicè, vt diximus; nullo ex minoribus Sacerdotibus detrectante munus, quod Antistes supremus occupauerat. Rogatus vt causæ alicui patrocinaretur, interdum etsi potuerat homines deuocare, aut per vnum è famulis renuntiare quid pro eis egisset, adibat eos tamen ipsemet: quo pacto ad vnum è Laicis Adiutoribus Societatis semel & sæpiùs venit; vt plura intelligeret de negotio, quod ille optauerat Pontifici à Cardinali Bellarmino exponeretur. Commeantes ad se externos excipiebat, deducebatque officiosissimè. Et tum videbatur ab ipso id fieri benigniùs, cùm virtuti honor exhibendus erat. Tametsi enim reueritus est omnes, habebat venerationi potissimùm eos, quos Deo cariores existimabat: dixitque sæpiùs, haud aspernari quempiam nos debere, etsi mendicus fuerit, dum

igno-

ignoramus, num ille gratior ſit oculis Dei, quam nos fortè ſimus. Hinc aduentantes pauperes ſic admiſit, vt eis interdum, quò vnà ſederent, propriis manibus ſellam aptauerit. Deprehenſus eſt quoque non ſemel, ſtans ipſe, illos ſedentes audire, & ita præcipere, propter eorum laſſitudinem, vel ſenium.

Par ei ratio erat, cùm iuſtis laudibus eos proſequebatur, quorum eminerent merita; fuitque in hoc genere tam eloquens, vt frequenter ex eis modeſtiæ colorem exprimeret. Nullis artibus Aſſeclas honorarios, ad ſe deducendum, quando ad Pontificias & ad publicas functiones ibat, allicere ſolitus fuit. Imò iuſſit ſæpè, Epiſcopos & Præſules (qui adueniebant causâ comitádi deducendique) ceſſare ab eâ officij ſignificatione, quâ vtique ipſe non indigeret.

Animi hæc moderatio ceterum cultum familiæ eius temperabat: non enim domi ſupellex erat elegans, non tabulæ pictæ ab auctoribus laudatiſſimis, non ſericæ aut pretioſæ veſtes; ſed tantùm in cubiculis periſtromata vulgari opere, quibus tegerentur illa veriùs, non ornarentur. Super menſam, tenax diſciplinæ ſuæ, parco parabilique defungebatur cibo; quem etiam ei patinæ fictiles miniſtrabant: nec famuli à pedibus incedebant

ſuccincti gladio; ſed cuncta modeſtum Heri animum referebant.

Super omnia propoſitum illud abdicandi ſe Purpurâ, vt ſuo poſſet Ordini reſtitui, interque Socios ſenectuti placidæ ſedem proſpicere, indicium fuit animi eius demiſſiſſimi. Quocircà annos, quos magis tranquillos vixerat, fuiſſe illos aiebat, quibus in Religione olim, & poſtmodum Capuæ vixit: vbi procul ab Aulæ ſtrepitu ſe in ſubſidium animarum impenderat. Mauritius à Sabaudiâ Cardinalis & Princeps, in quo par amplitudini familiæ magnanimitas & pietas ineſt, teſtatur ex ore ipſo Cardinalis Bellarmini audiuiſſe ſe, quo pacto ſæpiùs optauerit in re priuatâ viuere, ſuperſtes dignitati ſuæ; atque inter Socios obſcuro habitu, nullaque Aulæ ſpecie, occupare leti diem. Congruit iis pia ipſius cogitatio, quâ vnum illud vitæ genus expetendum eſſe ducebat, in quo poſſit quis de ſalute ſuâ viuere ſecurior. Ideò quamdiu in Societate aliis obtemperauit, anceps de ſalute numquam vixerat: at cùm in eâ præfuit, & multò magis cùm ad Purpuram atque ad Infulas euectus eſt, rationem de aliis Supremo Iudici redditurus, aiebat, ſibi non eamdem ſecuritatem ſuperfuiſſe; etiamſi ignoraret, cuius noxæ reus poſſet poſtulari. Quod, vt ego interpretor, ignorauerit perpetuò;

quia numquam ingenium idem ad res diuersissimas, parendum & imperandum, habilius fuit.

In hanc sententiam viro cuidam honesto sciscitanti, quodnam hominum genus crederet certiùs æternam salutem consequi; respondit statim: *Nisi me fallit animus, opifices ij sunt, & qui diutino labore vitam tolerant: nam iis totâ die nihil ad otium superest. Possident verò, vt se & familiam alant, tenuem illam siue copiam, siue inopiam, quam sudore vultus sui sibi pepererunt: qui titulus possessionis omnium est æquissimus, & optimus.* Addidit tamen hoc intelligi, dummodò ipsi iustâ mercede operis contenti viuant. Id exemplo Christi Domini confirmabat, qui vtique Sapientia æterna, cùm in terris statum eligeret, Parentem opificem elegit, exercuitque operam fabri, creditus propterea faber, & filius fabri. Deinde addidit, se, cùm per Vrbem iret in Purpurâ, adspiceretque eiusmodi opifices in officinis variis laborantes, inuidere solitum eorum felicitati; adeò vt optauerit sæpiùs, cum humili ipsorum inopiâ Purpuram eamdem commutare. Ad hęc in oculis suis vsque eò euiluit, vt interdum palàm, contemptui se esse, lætaretur: qui gradus modestiæ ac demissionis supremus meritò censetur. Denuntiata Pontifici fuerat opinio quædam ipsius,

iam typis edita, quaſi nouam doctrinam contineret; quæ tamen ab Auctoribus optimis in Theologiâ communiter aſſerebatur. Conſcius latentis accuſationis ab amico fit Bellarminus; moneturque, vt datâ occaſione vel quæſitâ etiam apud Pontificem cauſæ ſuæ, imò veritati patrocinetur. Sed hoc agere ipſe renuit, cùm diceret: *Si de hac re loqui cum Pontifice debeam, vt alter exiſtimatione ſuâ cadat; non poſſum quin abſtineam, cùm iubeamur bonum reddere pro malo. Sin vt tuear exiſtimationem meam, pariter non poſſum quin ſileam: quantum enim exiſtimationi meæ ſenſero adimi, certus ſum tantumdem addi merito & voto meo.* Nec aliter deinde fecit: & cùm Pontifex ſponte de ſententiâ illâ ſermonem inieciſſet; ipſe rem nihilominùs, plenus conſtantis ſilentij, diſſimulauit.

Intererat quadam die Theologicis diſputationibus, in Templo S. Mariæ Tranſpontinæ quam vocant; qui locus eſt Ordinis Carmelitarum. Dum verò inutiliter adſtreperet is qui arguebat, Cardinalis Bellarminus modeſtè inſinuauit, poſſe ipſum reſponſioni datæ acquieſcere, quam ſolis tum clamoribus oppugnabat. Ille indignatus, & muſſitans neſcio quæ, ore confuſo, tandem affirmauit, petiturum ſe precibus à Deo, vt numquam euaderet Pontifex. Inurbanitas ea, neminem è

Car-

Cardinalibus aliis qui aderant, minùs quàm ipsum Bellarminum tetigit; siquidem is erat, qui præoptabat immeritò, quàm iure contemni: & ideò nec vultu nec verbis hominem redarguit; adeò iram superauerat. Tum Cardinalis Millinus, Summi Pontificis Vicarius, auctoritate suâ seuerè eumdem increpuit,& silere iussit.

Quoties hortabantur, vt conquereretur de iis,quæ secum, non pro conditione gradus & meritorum eius,interdum agerent;recusabat, affirmans pluris fieri à se charitatis vnciolam vnam, quàm pondo existimationis propriæ; & se nolle, cum iacturâ gratiæ cælestis, bonam inter homines opinionem quærere. Neque fuit metuendum in ipso,ne proprius Amor (orator domi nostræ assiduus,& nostram superbiam sæpè ad alia vocabula transferens) suaderet, decedere honori Religionis ac Dei,quidquid detraheretur propriæ existimationi: quâ nimirum re,nihil solet esse in speciem fallacius.

In consessibus Cardinalium, quibus interueniebat Bellarminus, vnus inuentus est, qui æmulatione laudis eius, cùm sententiæ dicerentur, nihil sentire idem poterat; nec eius consilia, vmquam rata esse apud se, ostendebat. Eo certamine parùm decoro Cardinales alij velut offensi, Bellarminum contem-

 ni,

ni, nec inuicem contemnere timiditati adſcribebant; cùm ſcirent, quantum diſcrimen eſſet inter eius oracula, & alterius conſilia. Rogatus eſt propterea Cardinalis Bellarminus, modeſtiam in loco poneret; & verbo tantùm (potuiſſet enim) æmulum confunderet. At ſubridens ipſe, & digitum primò, deinde brachium oſtentans; *Mihi ſatius*, inquit, *& melius videtur tantillum charitatis, quàm menſura quantalibet propriæ exiſtimationis*. Et cùm ſubderetur, aduerſus charitatem nihil peti; ſed tantùm vt deſineret ille contra ipſum videri ſemper obliquus, & ſemper diſſentire manifeſtus: nihilominùs ratus arduum eſſe, æquo examine rem librare, à propoſito non receſſit. Solùm, quia rumorem expauit, quo ſpargeretur, inter Cardinales duos non ſatis conuenire; colendo eum vt parem, qui ſe non ferebat ſuperiorem, conatus eſt demereri animum eius: primuſque ad obſequium, illud addidit ceteræ comitati, vt dexteram illius prehenderet aliquoties; oraretque, mutuo erga ſe animo, & vnâ mente conſilioque eſſe vellet. Sic nullius inquinauit famam; & abſque famæ ſuæ damno, patrocinium illud propriæ gloriæ detrectauit.

Verùm hęc non ideò egit, propterea quòd ingenio ſpontè languido ac remiſſo eſſet; ſed quia naturam præferuidam mitigauerat in

eo

eo virtus: idque ſatis indicauit ad occaſiones illas, in quibus ipſum animo conſtanti eſſe interdum oportuit. Religioſo neſcio cui titulum Magiſterij à PAVLO V. Pontifice impetrauerat, in pręmium defenſæ ab eo Eccleſiaſticæ iuriſdictionis. Cardinalis alter, Ordinis Patronus, petiit à Pontifice gratiæ abolitionem. Sed enim odoratus id Cardinalis Bellarminus, ad ſolium Pontificis rediit, obtinuitque ſanctâ cum libertate, vt non aliter decerneretur. Magis hanc eius conſtantiam experti ſunt alij, qui non perinde ac decuit, dignitatem ipſius reuerebantur: nam, cùm in re aliâ omni, iniurias illatas, doloremque animi condonaret; nec iram denuò ſuſcitaret, poſtquam offenſio languerat; videbatur memoriâ valere tantùm erga iniurias illas, quas non tam ſibi, quàm dignitati ſuæ animaduerteret irrogari.

Et verò tum maximè apparuit eius lenitas coniuncta cum acri, ſed iuſtâ obiurgatione, quando Cœnobita neſcio quis, in libello edito, acerbè inuectus in pronuntiata quædam è Cardinalis Bellarmini voluminibus excerpta, etiàm ei opiniones alias, cenſuris obnoxias, falsò tribuerat. Quadam die ergo, cùm vnà ambo loquerentur, in Cardinalem Bellarminum, Religioſus eius libelli Auctor, eâ arrogantiâ inuehi cœpit; vt Aulici, qui inaudiue-

diuerant ſuperba eius dicta, animaduerſione eum graui crederent eſſe corripiendum. Ventum interim ad codicem eſt, in quo ſententia, vt imponebat alter, velut è Cardinalis Bellarmini libris accepta, refellebatur: confertur cum Auctoris doctrinâ, eique minimè congruit; imò aduerſatur iis quæ Bellarminus aſſerebat, in illâ ipsâ Voluminis parte, ad quam alter prouocabat. Tum Cardinalis, poſtquam animo ſpatium dediſſet, donec omnis ira reſederat, Crediderem, inquit, Theologiæ parum te didiciſſe; iam & Grammaticæ te adhuc minus ſcire, animaduerto. Ita qui diu moderans paruerat dicto Sapientis; *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis:* neceſſe habuit obiurgans parêre etiam dicenti; *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.*

CAPVT V.

Quàm fuerit alienus ab omni cupiditate, & affectu rerum terrenarum.

CEteræ magnitudini Cardinalis Bellarmini illud acceſſit, propè inſtar miraculi; vt cupiditate fuerit, non tam ſedatâ, quàm extinctâ penitùs, circa diuitias omnes: adeò vt congrueret illi perfectè vox ea S. Cypriani: *Nihil appetere, nihil deſiderare de ſæculo poteſt,*

qui

qui sæculo maior eſt. Et ideò meritò ſcribere Antonio Ceruino in hæc verba potuit: *Si annis quadraginta, quibus in Ordine Religioſo vixi, non didiciſſem regere inferioris animæ ſtudia, ac rebus mundi huius facere pretium; quò æſtimarem eas, non quanti veneunt, ſed quanti valent; Epiſcopus malus eſſem. Præſertim quia Epiſcopi eſt, in conatu perfectionis altiùs niti, quàm Religioſi profiteantur.* Hoc verò imperium in naturæ deprauatæ rebelles motus tam exercuit placidè, vt familiares eius fermè crederent, eum ſenſus, quos vinceret, non habuiſſe: & ad occaſiones tamen oſtendit ſæpiùs; domitis ſe, non autem per ingloriam innocentiam, ſopitis iis naturæ ſtimulis vſum eſſe. Erga affines & agnatos nemo affici temperantiùs potuiſſet, cùm audiuerit obitum illorum abſque lacrymis & comploratu; nec in eorumdem funere, lugubrem domum pullo amictu, in ſpeciem mœroris, vmquam habuerit: ex quo in Epiſtolâ eadem aiebat; ſi qui eorùm excederent è viuis, & ſperari crediq́ue poſſet, locum ab ipſis inter pios obtineri; tunc non mœrere, ſed inuidere potiùs, & ex eorum exitu lætari ſe debere; vtpote quorum iam æterna ſors in tuto eſſe exiſtimabatur.

Circumſpectus deinde, & parcus, ſubſidia eis ſuppeditauit, iuxta S. Auguſtini conſilium

illud, quo suadet, erogandum eis esse, non quò illi ditescant vel opimentur, sed quò illi minùs egeant. Eius germanus Frater proles satis multas, pro familiæ suæ gradu atque honore, ægrè aut vix alere poterat: nec deerant ex agnatis alij, quos inopia premebat: ipse nihilominùs eosdem non copiosiùs, quam ceteros pauperes, fouit. Munia publica nonnumquam eis impetrauit tamen, vt vitæ honestæ alimenta inde sumerent. Quos autem ordinata charitas primo loco, vti propinquiores, ei commendabat; hos proprio censu, sed parsimoniâ tantâ sustentauit, vt etiam duris iudicibus, ac pauidæ conscientiæ, nimiò parcior appareret. Ita, qui in egenos & alios pios vsus distribuit aureorum amplius quinquaginta millia; planè quasi publicus Parens, in locum affinium atque agnatorum adoptasse sibi pauperes videatur.

Rogarant enixè multi ore tenus, ac per epistolas etiam, vt liberalior erga eos foret; sed plenus constantiæ, nihil immutauit; & cùm inuitarent illi sæpiùs in patriam, quò ita perspiceret tenues eorum fortunas, numquam induci potuit, vt eò remigraret.

Capuæ, cùm ex aëris afficientis vitio tentaretur sinistrâ valetudine, quæ humorem exstillãtem è capite in tibias cum tumore deriuabat, Petro Guidotto Oeconomo eius visa

tum

tum opportunitas eſt hortandi Cardinalem Bellarminum, vt, non minuendo cenſum annuum, mutaret Archiepiſcopatum illũ cum Eccleſiâ Politianâ, & ad ſuos hoc pacto remearet. Sed Cardinalis ſatis intellexit vnde conſilium illud manaret, ac reſpondit ſuadenti: *O Petre, caro & ſanguis reuelauit tibi: hæc argumenta ſuggerunt affines mei: ſed nihil fiet: nam Eccleſias quaſi per mercaturam diſtrahere, non eſt via quâ itur ad cælum.* Religioſo cuidam id molienti, vt Cardinalis Angelum de Aciariâ, ſororis filium, aureis non ampliùs ducentis iuuaret; quò is potiretur Archiepiſcopatu Theatino (Archipræſul enim ipſum ſucceſſorem dicere ſtatuerat, modò redditus, quos illi cedebat, compenſarentur; ad quam compenſationem ea ſummula tantùm deerat) ſubſidium hoc tamen, etſi tenue, Bellarminus negauit, dicens nolle ſe de Eccleſiis ita tranſigi: tametſi merita viri alioqui non ignoraret, quem innutriuerat diſciplinâ & moribus ſuis; & qui Epiſcopus Theanenſis poſtmodum obiit.

Ceterùm, non ex naturæ arctæ contentæque vitio id oriebatur, vt oſtendunt ſumptus eius eximij, piæ largitiones, & prouentuum annuorum diminutio; quam paſſus eſt ſponte, nec deinde à Pontifice ſibi conditionem augeri flagitauit. Ex Procidæ Abbatiâ quot-

annis percipiebat circiter aureos ſeptingentos. Sed poſtquam iuriſdictionem illius ceſſerat Antiſtiti Neapolitano, atque eam inſulam redegerat in Eccleſiæ tribum, ne quid detrimenti ſalus incolarum pateretur; annuente Pontifice, aureos centum annuos decîdit ex eâ ſummâ, pro noui Præfecti animarum ſalario: tametſi offerrent ſe, qui onus illud ſuſciperent, contenti annonâ fortuitâ, & incertis emolumentis; quorum non tenuis modus indidem ſperabatur. Ad hæc, quia Dynaſtæ illius Inſulæ pro ſe Abbatiam enixè petebant, facilè inductus eſt Cardinalis Bellarminus, vt eis annueret; propter perſuaſionem quam habuit, oportere vt Antiſtes illic reſideat: idcircò Thomæ de Aualos illam permiſit: & cùm ab eo penſionibus annuis accepiſſet viciſſim aureos quingentos, ſtatim in familiam eos vniuerſos diſtribuit. Epiſcopus Pientiæ non copioſus, debebat ei annuis penſionibus item aureos quingentos: ſed euoluto triennio ſummam illam ab ipſo non ampliùs exegit, eò quòd ex inopiâ vix erat ſoluendo: eâ lege id tamen egit, vt is Epiſcopo montis Piloſi, item inopi, condonaret annuè penſionem aureorum ducentorum. Non diſtulit tamdiu abdicare ſe penſione alterâ, quâ ei aureos pariter ducentos Strongoli Epiſcopus debebat: ſiquidem commiſerans eius egeſta-

egestatem, ne admisit quidem primam solutionem.

Quando Capuæ Antistes erat, vacauit in eâ Diœcesi Abbatia S.Benedicti; cuius census annuus erat aureorum circiter mille; & possederat eam familia Neapolitana de Angelis, titulo iuris Patronatus quem appellant. Sed quia Clemens Pontifex intellexerat, ex priuilegio dumtaxat, non ex fundatione id fieri; ius aboleuit, & Cardinalem Bellarminum eius nouum Antistitem nominauit. Verùm ipse statim per litteras gratias egit, & ad Pontificis pedes beneficium remisit; tum quia plures beneficiorum titulos nolebat, tum quia sibi videbatur esse satis diues, & propter titulum illum iuris Patronatus, lites inde aliquas metuebat. Pontifex tamen respondit; titulos ipsius non tot numero esse, vt religio sit eos augeri: & nouos Ecclesiasticos redditus ipsi meritò ac iure conferri, quandoquidem pauperibus maiori ex parte eos erogabat. Postremò vindicandum esse ius, quod Ecclesia ibi amiserat; & id posse neminem consequi meliùs ipso, cui suberat in eâ Prouinciâ plurimum gratiæ atque auctoritatis. Tunc Cardinalis Bellarminus, Pontifici minimè ausus refragari, in hæc verba rescripsit:

Exosculor cum obsequio magno sanctissimos pedes

pedes Beatitudinis tuæ;& gratias habeo propter humanißimam epiſtolam, quam ad me dediſti. Quoniam ita iubes, BEATISSIME PATER, *vt defendam ius Abbatiæ S. Benedicti; obediam, non ex triſtitiâ aut neceßitate, ſed corde magno, & animo voluntario, vt Sacra Scriptura loquitur. Siquidem nihil magis in votis habeo, quàm vt voluntas mea tuæ obſequatur volũtati; quam reor eſſe voluntatem Dei. Interim me, & hanc Eccleſiam meam commendo beneuolentiæ ac patrocinio Sanctitatis Tuæ*, &c. Familia de Angelis prouocauit ſtatim ad Miniſtros Regios: irriti fuere tamen eius conatus; nam Cardinalis Bellarmini ſanctimonia & integritas poſtulatis illius præferebatur. Romam cùm rediit, PAVLO V. Pontifici ſupplicauit, vt annueret cupienti Abbatiâ eadem ſe abdicare, quò ex illius cenſu annuo Collegium Societatis IESV in vrbe Capuâ fundaretur. Quod cùm non impetrarit; ſaltem auctor fuit, vt Templum atque Ædes Abbatis ibi in eiuſdem Societatis vſus cederent: cuius Templi ſacra munia omnia, in principem eius vrbis Eccleſiam tranſlata fuerunt.

Nullius fuiſſe dignationis apud ipſum copioſos prouentus, indicauit lepidè; quando poſtquam priuauerat ſe Capuæ Sacerdotio, & ex duodenis aureorum millibus annuè, ad ſena tantùm millia redactus fuerat; cuidam

dam Cardinali primario, qui percenſuerat ſummam ſuorum redditũum annuorum, ad ſexaginta nimirum aureorum millia, dixit ioco: *Si ita eſt, hi magni redditus ex nihilo ſuperant meos.* Luſit enim in quartâ Vocalium; quæ inter notas numerorum, ſolitariè accepta, nihilum numeri eſt: adiecta verò ſenis millibus, quæ erant cenſus annuus Bellarmini, numerum auget vſque ad ſexaginta millia. Inter quæ ludicra (vti pulchrè intereà feritur verum) oſtendit, eas quæ affluunt opes à ſe nihili æſtimari.

Conſtans hæc & perpetua voluntas ſpoliandi ſe redditibus propriis, præſertim in Cardinali haud ita copioſo, fuit CLEMENTI VIII. primùm, dein PAVLO V. Pontificibus admirationi magnæ. Ille propterea gloriatus eſt aliquando, ſe Cardinalem vnum ex eorum numero feciſſe, quos Aula raros videt. Hic verò Bellarmino ipſemet dixit, longè aliter eum eſſe comparatum, ac ceteri ſint; qui (vt ingenia cuique ſunt ad ſuam exaggerandam inopiam facunda) flagitant, & cupiunt perpetuò ſibi opes augeri: cùm ipſe contrà id vnicè peteret, vt quas habebat, aliis communicaret. Sedenim reſpondit Bellarminus; ſe pauperem nobilem natum eſſe, vixiſſe pauperem Religioſum, & mori Cardinalem pauperem velle. Reputabat nimirum

ſecum,

ſecum, aurum & opes propitius an iratus Deus neget, vel conferat, plerumque ignorari; & pecuniam, vt bonis apta eſt, ita paratam eſſe peccantibus. Ideò conſcientiæ conſultius credebat, paruo viuere; & virtuti magnæ, quàm opibus magnis, in animâ locum aperire.

Poteſt etiam aliunde cognoſci, quàm fuerit alienus animus eius ab vtilitate propriâ. Decreuerat donaria Principum nulla, nullas eorum penſiones admittere; & in eo propoſito cōſtans perpetuò fuit. Cardinalis S. Cæciliæ Bellarmino, quando is vocatus ad Purpuram fuerat, obtulit aureorum aliquot millia; eaque ipſe ab illo perinde, ac ſæpè deinceps ab aliis, recuſauit. Duci Nicolao Chriſtophoro Radziuilio, qui pelles ei neſcio quas magni pretij tranſmiſerat, hæc reſcripſit: *Quamquam agnoſco in his muneribus beneuolam propenſionem animi tui erga me; & gratias, vti par eſt, ago: tamen iam pridem deliberatum habui, munera non ſuſcipere: & hactenus pretioſa dona Principum Virorum recuſaui, ac remiſi etiam. Sed hoc agere iam nolui; ne reuehi tam procul oporteat pretioſas pelles, quas ad me miſiſti. Rogo vt, ſi me amas, nihil muneris loco mittas deinceps; niſi velis, ea quæ mittis, diſtrahi ſtatim, & pauperibus pretia eorum diſtribui: quod de pellibus, quas iam accepi, pariter*

riter delibero. Ad hæc Maria Christierna & Leonora Austriacæ, feminæ Principes & Archiduces, quæ Halæ vitam castissimè sanctissimeque in claustris agebant; quoniam cum Cardinali Bellarmino per epistolas, de his quæ ad animam, sæpè conferendo, amabilem eum iuxtà venerabilemque compererant; miserant dono Crucem ex auro & gemmis, velut sui erga eum obsequij ac pietatis monumentum. Cardinalis, ne deteriùs factum suum interpretantibus durior fortè videretur, munus non repudiauit; sed gratias pro eo referens, Crucem vendidit, illiusque pretium erogauit pauperibus.

Religiosus quidam picturam ei obtulerat S. Francisci; pro quâ Cardinalis, cùm opus mirè placeret, soluere mercedem opifici statuerat. At cùm affirmaret ille, pictoris dono se eam accepisse; non priùs admisit, quàm à Pontifice veniam flagitaret, ne peccaret contra Diploma de muneribus. Transmiserat Religiosus alter arcam, vitris Murani perspicuis refertam: sed ipse, domum ne importari quidem passus est; & Vicario Generali Ordinis, vt de illâ pro arbitrio disponeret, integrum reliquit. Fuit verò propositi huius adeò tenax, vt à Religioso item alio cistellulam vimineam tuberibus semiplenam (genus hoc est rei cibariæ) accipere noluerit, nisi cùm

nomi-

nomine totius Cœnobij eam Generalis Præſes redonauit.

Sed,quod magis miremur, ne à laicis quidem ac liberis hominibus, vlla grati animi, etſi parua, indicia admittere,niſi ægrè, ſolitus erat. Bibliopolas Tranſalpinos (cùm hi ſæpè donarent Volumina varia, quæ imprimebant, & numerum etiam Opuſculorum ipſius offerrent) monuit, exemplar vnum aut alterum ad ſe,non autem plura mitterent, etiam quando munifici eſſe cuperent. Adhuc erat ei minùs gratum, ſi quæ ad agnatos munera mitterentur. Idcircò Epiſcopo cuidam, qui Fratrem ſuum germanum donariis ſæpè coluerat, ſcripſit; non id poſſe virtuti eius adſcribi, propterea quòd nec ſuberat ei copia, nec deerat neceſſitas aliorum pauperum in Diœceſi propriâ,erga quos benignitatem exerceret. Denique obuerſabatur animo eius aſſiduè illud Iſaiæ: Beatus, *qui excutit manus ſuas ab omni munere.*

Hæc vitæ ratio ab aliquibus ſimplicitas, aut prudentia deficiens iudicabatur;cùm ipſe meritò interim crederet,indignum eſſe Antiſtite ac Sacerdote Magno, quem ſolum deceret pio quæſtu animarum inuitari, ſi ſtudeat opes cumulare. Ideò, cum Præfecto Rationum accepti & dati ephemerides conſulebat dumtaxat, quia menſe & anno circumacto,

cumacto, cupiebat statim, quidquid supererat, in pauperes erogari. Quoties autem idem rationum Præses ei suasor erat vt pecuniæ partem aliquam seponeret, ob fortuitas, quæ solent sæpenumerò ingruere, necessitates; ipse respondebat: *Sunt cogitationes de crastino: omittas cetera, & eleëmosynas largè distribuas.* Non tamen rei suæ procurationem negligi, aut labi domum per incuriam patiebatur: siquidem Administris suis iniungebat seriò, vt industriâ magnâ coli arua tempestiuè curarent, eorumque custodes & agricolas tuerētur aduersus ministros Regiæ potestatis.

Tanta erat proinde opinio de ipsius integritate, vt Scriba publicus Sanctæ Inquisitionis, sententiæ capitali, quâ damnabatur ob admissum crimen in eo Tribunali, non priùs acquieuerit, quàm, sicuti optauerat, Cardinalem Bellarminum alloqueretur, & æquam Iudicum sententiam, seque esse capitis reum, ex ore eius intelligeret. Neque promanauit aliunde in eo libertas consiliorum: propter quam ipse virtutem (præsertim cùm optimi consilij auctor esset) à GREGORIO XV. inter initia Pontificatus, habitare in Vaticanâ Regiâ iussus est. Quod vt ei denuntiaretur, Cardinalis Ludouisius Clementem Merlinum, Sacræ Romanæ Rotæ Auditorem, ad eum misit; significauitque, cupere se gloriosum

reddere, ipſo aſſidente, Pontificatum Patrui ſui; atque inſuper meditationis ſuæ futurum, nouis redditibus eius breuem cenſum augere. Ex eo nuntio anceps aliquamdiu Cardinalis Bellarminus, reſpondit, ſibi benè eſſe domi ſuæ; ſed Summo Pontifici nihilominùs ſe obtemperaturum. Conceſſit itaque in Vaticanas Ædes eâ deliberatione, vt Pontifici ſeruiret dumtaxat in iis, quæ ſpectant ad Eccleſiæ commune bonum; & abſtineret à reliquis, quæ temporariæ ſunt procurationis. Et quia nouerat Cardinalem Ludouiſium procliui animo ferri, ad augendam, quibus poſſet modis, Sanctæ Sedis exiſtimationem & gloriam; currenti addere ſtimulos decorum eſſe interpretans, cœpit hortari, vt nouum Diploma de Pontificum electione condi & promulgari curaret: ſicut feliciter euenit deinde; atque hoc promouit tam efficaciter, vt idem Cardinalis Ludouiſius, ad Cardinalem Borromæum ſcribens, atque memorans ei cauſas propter quas hoc deliberauerat, his verbis fermè vtatur: *Peculiariter Cardinali Bellarmino, cui quies iam inter pios eſt, pollicitus ego fueram, atque iteratis verbis addixeram fidem meam; fore nimirum, vt potentiam omnem & induſtriam meam impenderem, quò eiuſmodi Diploma conderetur, dummodò Summus Pontifex, Deo propitio, eſſet compos vitæ diuturnioris.*

turnioris. Sic ipſe. Verùm Cardinalis Bellarminus, gratiâ Principatus aut ſobriè aut numquam vſus, meruit hac moderatione ſua, vt GREGORIVS XV. Nicolao Bellarmino, fratris eius filio, titulum Abbatiæ ſancti Benedicti, quam ipſe poſſederat, conferret. In his quæ erant reliqui, vt nihil magis optabat, quàm in tranquillo eſſe; breuî occaſionem habuit viuendi pænè in ſolitudine, & grato ſeceſſu. Poſtquam enim ad Ædes Quirinales cum Aulâ Pontifex migrauerat; quia ferè in Vaticano ſolus manſerat, non facile eſt referre, ex ſilentio illo quantũ hauriret commodi cor eius. Perpetuò ſiquidem agere cum Deo potuit: quod affirmauit ipſe familiaribus ſuis. Cardinalis Creſcentius etiam de eo: *Præter Horas*, inquit, *Officij Sacerdotalis (quas momentis ſuis legebat plerumque in genua prouolutus) & præter tempus, quod piæ commentationi rerum cæleſtium tribuebat, interualla negotiorum omnia aut ſtudio aut precationi dabat.* Et memini, cùm eum rogarem poſtremis menſibus in æſtate, vt quia ob aërem inſalubrem in Vaticano periculum non deeſt, ſecederet inde; reſpondiſſe eum illico, ſumere ſe à ſolitudine illâ voluptatem plurimam; proptereà quòd, cùm eò aduentarent pauci, animus eius poterat aſſiduè ibidem verſari cum Superis ac Deo.

CAPVT VI.

Quàm illuſtri cum opinione virtutis & ſanctitatis vixerit.

VItæ ratio, comes virtutis in Cardinali Bellarmino (ex quâ paulatim is laudes ſingulas promerendo, promeruit vniuerſas) tã illuſtrem de illo apud omnes excitauit opinionem, vt MAPHÆVS BARBERINVS (Cardinalis, in cuius animo atque ore tantum ſapientiæ inerat, quantum Auguſtis Patribus requiri viſum eſt, vt in Terris Vicarius Dei conſtitueretur) dixerit de Bellarmino, dum viueret ac ſpiraret adhuc, eum à ſe adæquè æſtimari ſanctum, atque alios, quos defunctos iam rebus humanis, cum adiunctâ etiam antiquitatis commendatione, veneramur. In carmine item à ſe edito, eum ſancto Carolo Borromæo virtute parem ac ſimilem facit. Siquidem vt is, cui ingenium ſuberat, *& mens ſublimior, atque os magna ſonaturum*, ex quo & ei meritò des Poëtæ nomen, ac *nominis huius honorem*, inter Lyrica Poëmata plura, titulum vni adſcripſit, *In Opus Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini de Aſcenſione mentis in Deum.* Et proſecutus de hoc argumento feliciſſimè multa, tandem de Cardinali Bellarmino hæc in fine habet:

Huc

Huc pura mentis lumina dirige;
Scalam recludit rebus in omnibus,
Pulsis Belarminus tenebris,
Quæ gradibus super astra tendit.
Dux ille per vestigia Caroli;
Cui vota fundit, quem decus Insubrum
Miratur Orbis, quem Senatus
Roma sacrum veneratur astrum.

Cardinalis à Monte supremus in ordine Purpuratorum, etiam ipse de Bellarmino palàm sermonem esse perinde, ac de viro sancto, affirmauit. Quod vocabulum à se vsurpari tam propriè dixit, quàm de vllo vmquam possit: Cardinalis Bandinus, similem Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, tum in doctrinâ, tum in moribus eum habuit: semper verò visum esse, ait, exemplar absolutissimum Præsulum Ecclesiæ, & lumen Sacri Collegij. Cardinalis Rochefocaut, cùm distingueret in ipso virtutes omnes, quas rebatur dignas eo amplitudinis gradu, in quo viuebat; tres peculiariter aduertit in ipso nitidiùs clarescere. Hæ fuerunt, summa humilitas cum doctrinâ item summâ, rara in semet seueritas coniuncta cum suauitate morum, & demum animus ad finem vsque Religiosæ perfectionis amantissimus. Consonat his Cardinalis Crescentij ea vox, quâ ipsum passim venerationi habitum, vti virum sanctum, asseruit;

adiecitque interfuisse subinde se, cùm viri magnæ conditionis ei vultum demitterent prætereunti; & dum ille non aduerteret, vestes quoque eius exoscularentur, tacitè venerabundi. Cardinalis Verallus, ipsum ait in Aulâ vixisse, vti propositum exemplar; vnde sumere virtutem possent Cardinales alij pariter, & Ecclesiastici omnes. Scipio Cardinalis sanctæ Susannæ ait, excedente e viuis Cardinali Bellarmino, iis qui in Purpurâ erant, coronam decidisse; eorumque Ordinem, nescio quomodo sublimiorem augustioremque sibi visum esse, dum lumen illud in eo consulgeret; quod effusum cuncti adeò indoluerunt. Cardinalis Valerius, cùm fateatur, se diuersis temporibus nouisse viros doctrinâ, probitate, & morum ceterâ laude primos, sublatos etiam è viuis, non absque opinione sanctitatis; addit, in iis omnibus, sub vnâ comprehensione acceptis, haud se repetisse tot virtutes, quot repererat, gradu quodam excellenti, in vno Cardinali Bellarmino. Cardinalis Cremonensis existimat, eum præstantiâ doctrinæ pariter ac vitæ integerrimæ, comparari posse cum laudatissimis quibuscumque, qui duplici eâ in laude anteactis sæculis excelluerunt. Alexander Cardinalis Vrsinus, in Bellarmino etiam iuuene, miratus est castitatem, perinde atque in Iosepho; paupertatem

tatem inter diuitias, ſicut in Dauide Rege; liberalitatem in egeſtate, quemadmodum in Tobiâ; ſolitudinem interiorem, inter obſtrepentes Aulæ occupâtiones, tamquam in Gregorio Magno; humilem opinionem de ſe ipſo, tametſi cumularetur virtutibus magnis, adæquè atque in Paulo; denique liberam vocem erga dominantes, ſicut in Ioanne Baptiſtâ. Mauritius Cardinalis à Sabaudiâ, Bellarminum ait in honore habitum à ſe fuiſſe, propter doctrinæ miraculum, quâ hæreticos Religionis hoſtes profligauit; & propter integritatis ſanctimoniæque laudem. Refert verò, Sabaudiæ Ducem, Parentem ſuum, crebris ſermonibus, quà priuatim, quà publicè, loqui ſolitum de illo, tamquam de viro ſancto; & qui de vniuerſali Eccleſiâ optimè meruerit. Subdit quoque, expetiuiſſe diu ſe, reliquiarum loco, particulam rerum, quas vſu ille ſuo (vt erat conſtans multorum opinio) reddiderat venerabiles; atque obtinuiſſe veſtem eius linteatam, quæ eſt Pontificum geſtamen, ſimulque epomidem illius ex purpurâ. Longum ſit ad Magnates alios digredi: à Duce Lotharingo in Galliis, in Germaniâ à Gulielmo Parente, & à Maximiliano filio, Bauaris Ducibus, ſignificatione ſummâ beneuolentiæ ac venerationis, per epiſtolas compellabatur. Atque vt de PHILIPPO III. Rege Hiſpa-

ſpaniarum ſileam, cuius erga ipſum ſtudia & obſeruantiam alibi memorauimus; SIGISMVNDVS Poloniæ Rex, in litteris plurimis, quæ extant adhuc, iudicium expreſſit honorificum de ſanctitate illius. HENRICVS IIII. Galliarum Rex, ſicut eum non à pietate minùs quàm à doctrinâ coluerat; ita Cardinalibus Regni ſui, cùm Romæ Comitia inſtarent, ob CLEMENTIS VIII. obitum, indicauit, futuram ſibi rem cumprimis gratam, ſi ſuffragiis ſuis in Bellarmini electionem conſpirarent. RVDÓLPHVS, MATTHIAS & FERDINANDVS, inuicti Cæſares, cum familiâ AVSTRIACA vniuersâ, venerati ſunt in eo ſemper virtutes illas magnas, propter quas adeò illuſtrem opinionem Sanctitatis apud omnes promeruerat. Et ſanè cuiuſuis conditionis homines è Septemtrionis oris, poſtquam Vrbem Romam intrauerant (quaſi Vrbs quod eis oſtenderet, maius non haberet) de Bellarmino ſtatim interrogabant: aderant, ſi quà ille tranſiret; & vultus eius ſpectaculum erat, quod ipſorum implebat aſpectum; vtpote viri, de cuius tum ſapientiâ, tum ſanctimoniâ, ſæpiùs in Prouinciis audiuerant. Fuere ex iis viri etiam primarij, qui formatum ſcribæ publici chirographo, & ſigno eius munitum referre teſtimonium ex Vrbe voluerunt; vt in Patriam reuerſi, hoc

pacto

pacto certiùs asseuerarent, visum ab se Bellarminum in vrbe Româ fuisse.

Vt redeam ad Præsules alios: Petrus Aloysius Carafa, Episcopus Tricaricensis, & ad tractum Rheni atque ad partes Inferioris Germaniæ Apostolicus Legatus, fatetur, se veneratione summâ ferri solitum erga Bellarminum; etiam antequam ille esset in Purpurâ. Adeò vt, quoties occurreret in habitu Religiosi, & absque rei alterius, præterquam sui ipsius ac virtutum suarum gloriâ, toties de viâ cedens gradum sisteret, & prima ei obsequia deferret. De eo in Cardinalium ordinem conscripto dixit sæpenumerò, esse cur successores Pontifices CLEMENTI VIII. hanc felicitatem inuideant; quòd Viros duos ita eximios, nempe Robertum Bellarminum, & Cæsarem Baronium, inuenire in Pontificatu suo meruerit, quos ad Purpuram promoueret: nouit enim, quanta laus Principum sit, optimos eligere. Demum ex opinione sanctitatis eius, vltrò & non rogatus dedit liberalissimè expensas omnes, vt hæc Latina Cardinalis Bellarmini Vita primùm ederetur, Franciscus Gonzaga, qui natus in familiâ Principe, præ honoribus & mundi fastu Crucis pium contemptum, & decoram Religionis paupertatem complexus in Ordine Minorum, quos vocant de Obseruantiâ san-

cti Francisci, Generalis Præses in illo primùm, & deinde ad Insulas euocatus, Ticini Episcopus aliquamdiu, demum Episcopus Mantuæ, atque Apostolicæ Sedis Legatus apud Galliarum Regem fuit, semper eximius ob prudentiæ, integritatis ac sanctimoniæ famam, & proximus Purpuræ; quam & Scipio Cardinalis Gonzaga, eius germanus frater, consecutus fuerat. Is, inquam, Præsul tantæ existimationis, & de cuius vitâ moribusque processus etiam formantur, tanto Cardinalem Bellarminum obsequio venerabatur, vt quoties ab eo litteras acciperet, toties honoris ergô aperiret caput; & epistolas eius solitariè in proprio quodam scrinio haberet, non autem in conditorio epistolarum aliarum, quas à Summis Pontificibus, Regibus, & Magnatibus plurimis accipiebat. Præterea cùm libros eius in mensâ prælegi vellet; famulo ita præcipiebat, vt promeret librum eius: *Affer Sanctum Iesuitarum.* atque eo Bellarminũ titulo constãter adeò dignatus est, vt qui Mantuæ in summâ Æde B. Aloysio Gonzagæ Gentili suo Aram ornatissimam posuerat, iussus sit, locum è regione illius, ex destinatione suâ, vacare Aræ alteri sancti Cardinalis Bellarmini. Idem solitus erat dicere, duos Sanctos viuos in Ecclesiâ Dei esse: nempe Robertum Cardinalem Bellarminum,

num, & Cæſarem Cardinalem Baronium. Quæ omnia, ex ore ipſius audita, refert, ac teſtatur Antonius Abundantius, qui annos ſeptem à ſecretis eiuſdem Epiſcopi Mantuæ fuit. Andreas Lipski Epiſcopus Luceorienſis, & Regni Poloniæ Cancellarius, in epiſtolâ quam ſcribit ad P.Georgium Tiskeuicium, Prouincialem Præpoſitum Societatis IESV: *Cardinalis Bellarmini ſanctimoniam*, inquit, *apparere poſt mortem lætor magis, quàm miror: de quo dum viueret, ſæpè tacitus mecum cogitaui, tanto aſſertori & vindici Orthodoxæ veritatis, tanto vitæ cæleſtis & perfectæ Magiſtro ac Duci, proculdubiò conſtitutam in Cælo fuiſſe clariſsimam mercedem atque palmam. Placuit Domino, vt quem hoſtes Fidei, quam ſummâ cum dignitate defendiſſet, famoſis criminationibus in vitam illius coniectis prædamnarant, eius integritas & innocentia aſtrueretur miraculorum teſtimoniis; ſcriptiſq; cenſuræ ſacratioris accederet auctoritas, quò magis ἀναπολόγητοι remanerent in diem magnum.* Epiſcopus Sanſedonius, vir ſingulariter pius, narrat, ſe quoties ad Cardinalem Bellarminum ibat, ſolitum fuiſſe in viâ adornare animam, præparare obſequia, geſtuſque & voces ad pietatem diſponere, vt qui erat cum viro ſancto locuturus. Addit etiã, Cardinalem Eſtenſem dixiſſe frequenter de Cardinali Bellarmino,

eum

eum à se vti verè sanctum adorari. Atque hoc ipse Cardinalis Estensis testificatur in hæc verba: *Cardinalem Bellarminum*, inquit, *existimaui semper ego exemplar rarum & eximium sæculi nostri: & quoties vultum eius intuebar, sentiebam toties vrgeri me à præsentiâ illius; non vt cum obsequio, sicut ad Cardinales reliquos, sed vt cum adoratione, tamquam ad virum sanctum accederem.* Idem Cardinalis, post obitum Bellarmini, dono accepit paruulam Crucem argenteolam, & villosam manicam, ex vtensilibus eius; eaque duo monumenta, veluti pias reliquias, veneratus est. Andreas VVise, Prior Magnæ Britanniæ, qui Louanij à pueris Cardinalem Bellarminum nouerat, refert, se ab eius consuetudine expertum esse, animum sibi ad pietatem omnem accendi; & post obitum, ex solâ eius recordatione se item experiri similem flammam: addidit verò, se nulli hominum generi magis inuidere consueuisse, quàm domesticis eius; & semper existimasse fortunatos illos, qui admitterentur in eam domum, viderent, colloquerentur, adessent perpetuò: inter quos maluisset coquus, quàm alibi purpuratus esse; cùm omnia in eo sanctimoniá afflarent. Sed ne inter testificationes tam honorificas soli sileant Socij eius; addam P. Mutij Vitelleschi iudicium, qui caput ceterorum est; vt

ex

ex vno eius ore propè omnes loqui videátur. Arbitratur is, Cardinalem Bellarminum intra limites æui ſui neminem habuiſſe maiorem, aut ſibi etiam parem. Quod credi poteſt, ſi capita laudum maximarum, & eximiæ dotes nobilitatis, doctrinæ, ſanctitatis, moderationiſque ſingularis, in Inſularum ac Purpuræ honoribus, ſimul æſtimentur. Certè rarò humana conditio, inter dignitatum amplitudines, viſa eſt tam innocenter permanſiſſe.

Congruit iis quæ hactenus memorauimus, opinio familiarium eius; qui ab eo admiranda fieri, ſæpenumerò viderunt. Ludouicus Aragatius cum iuramento affirmat, quando inter Cardinalis Bellarmini Aulicos erat, æſtiuo anni tempore correptum ſe calidâ febri, periculosâ & vehementi fuiſſe; & quia Medicus, vt è cubiculo aliquantulùm anguſto migraret in cubiculum aliud magis curationi & morbo eius idoneum, iuſſerat, ſe linqui animo tum cœpiſſe. Adfuit eo momento Cardinalis Bellarminus, inuiſitque, & frontem ei ſigno ſalutis muniens, vſurpauit verba illa: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*. Res mira: repentè ab ægritudine omni liberatur; & Medicus, qui mox tentauit venas, deprehendit febrim penitùs in eo extinctam eſſe.

P. Ste-

P.Stephanum de Bubalis è Societate nostrâ, grauis autumnus affecerat sinistrâ valetudine; & iam vltra diem vigesimum æger in lecto, ex febri sæuâ æstuabat: pronuntiaueratque Marsilius Cagnatus Medicus, magnis experimentis Romæ clarus, fore, vt non remitteret morbi vis ante diem quadragesimum. Cardinalis Bellarminus, eum vti amicum inuisit; & diu collocutus, comiter, dum abiret, digito in eius fronte Crucem figurauit. Postridie sanus à Medico inuentus est: & tametsi (quia decubitum vti segnitiem perosus, intra valetudinarij fines stationemque ægrorum ingredi, & spatiari statim cœperat) tenues reliquiæ morbi rursus eum tentauerint; hæ spatio breui, quasi virtutem eamdem reueritæ, penitùs recesserunt. Vt potuerit proinde meritò, curationem hanc suam, ex Cardinalis Bellarmini eo contactu repetere: sicuti scripto id postmodum eius memoriæ consecrauit. Capuæ decumbebat ex febri acutissimâ & letali, Maria Argentia nobilis femina; & iam erat à Medicis conclamata sanitas eius, cùm parens, animi anxius, adiuit fiduciâ magnâ charitatem Pastoris sui, quem vti Sanctum omnes venerabantur. Ab eâ Vrbe Cardinalis intereà temporis fortè aberat, & fœda in Cælo tempestas, cum nimbis ac tonitruis, videbatur imminere: sed vt tempo-

re

re tam alieno Cardinalem accerſiret, vrgens neceſſitas & amor (qui leges omnes vrbanitatis ſæpè vel negligit vel diſſimulat) perſuaſerunt. Rogauit proinde ſupplex, vt filiæ iam depoſitæ fauſta coràm precaretur. Omen dederunt extemplò diſſipatæ in Cælo nubes; & Sol, qui ſtatim reluxit. Itaque, cùm vndique conſerenaſſet, Cardinalis ægram inuiſit, & ſalutaribus monitis eam inſtruxit; ſolatuſque eſt humaniſſimè. Diſceſſurus deinde, prouoluit ſe prope lectulum in genua, orauitque pro eâ incolumi; & digito Crucem etiam ducens in fronte eius, promiſit futurum, vt conualeſceret: qui fuit hac vice pariter digitus Dei: nam deſiit confeſtim languor; & quæ ægrotauerat, mox valuit proſperrimè.

Ceterùm ipſe tam ſæpè, ex animi fiduciâ, & ſpe erga Deum, eiuſmodi ægros curauit, vt aliquando Religioſo cuidam interroganti, ecquis foret ſenſus verborum illorum; *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis*; cùm poſtulemus à Deo multa, nec impetremus ea tamen; reſponderit, ſe difficultatem in eâ re nullam experiri: imò verò experiri potiùs ſecuritatem illam animi, quam infundit Deus, quando vult, ea quæ petimus, largiri. P. Andreæ Eudæmon Ioanni perinde dixit aliquando: *Tam certus animi ſum, fore vt quæ petiero, impetrem, pro-*

pter

pter crebra experimenta gratiarum quibus me Deus cumulauit, vt dubitare iam de euentu nequeam. Id verò causæ fuit, vt admodum circumspectè à Deo pro se, vel pro aliis, quidpiam flagitaret. Nam affirmat idem P. Andreas, ægros qualescumque, pro quibus Cardinalis Bellarminus semel Deo perlitauerat, conualuisse; & rem infausti ominis haberi solitam, quoties ille rogatus, recusaret pro alicuius valetudine Aris operari.

Neque vt aliis prodesset modò, sed vt morbos etiam à se depelleret, Deum sæpè orauit. Sic tabe liberatus est Florentiæ: Patauij autem, cùm videret dentium dolore affli-ctari quosdam, & similem ægritudinem experiri cuperet, ad patientiæ videlicet meritum; à Deo eam precatus est, ac statim vehementissimus eum dolor inuasit: cui diu ferendo se imparem ratus, nouis precibus acerbitatem illius confestim in se detersit. At non illud silentio præterierim; Cardinalem Bellarminum, quò vsu aurium integro poti-retur (cùm nimiùm obsurdesceret, & ad publica negotia, in senio præsertim, ægrè sufficeret) precibus à Deo petiisse, vt ab imperfectione illâ liberaretur: sed & sanctos Patronos ac Tutelares suos, virosque item pios adhibuisse, vt ij eamdem ægritudinem in se deprecarentur. Attamen exauditus non fuit, vt habe-

haberet perpetuò, vnde agnoſceret imperfe-
ctum ſuum; & vt elapſæ in prauum aures, et-
iam tum admonerent ipſum humanæ con-
ditionis, quando proprias laudes, & merita
ſua, percenſeri ab aliis magnificè audiebat.
Hoc pacto S. Paulus, pòſtquam ter Deum
orauerat, vt liberaretur à ſtimulo carnis, ora-
culum illud accepit: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

Duo adhuc admiranda ſubiiciam. Anno
Domini M.DC.XIII. quo tempore Cardina-
lis Bellarminus Romæ agebat adhuc, iureiu-
rando interpoſito Franciſcus Antonius Tho-
maſius narrat, ſe Barij (vbi Vicarius Genera-
lis in Baſilicâ S. Nicolai erat) in conclaui ſuo,
tempore Quadrageſimæ, horâ poſt occaſum
Solis circiter quartâ, exſomnem, & lecto ex
parte ſublato incumbentem, dum longè alia
verſaret animo, ante oculos habuiſſe Cardi-
nalem Bellarminum; quem Antiſtitem no-
uerat Capuæ, in Patriâ ſuâ, & à quo ibidem
ſummi Templi Canonicus creatus fuerat.
Poſtquam igitur Cardinalis, aut nota imago
eius, ita clarè obtulit ſe, loqui ſic fermè cœ-
pit: *Ideò fuiſti à me inter Canonicos adlectus, vt quæ ad Dei obſequium ſpectant procurares ea ſtudio magno: quod vt perinde agas in Eccle-ſiaſticis aliis præfecturis, & muniis quæ obiturus es, deſidero.* Deinde peculiaria ſubdidit, mo-

 nuit-

nuitque, vt à Canonicis præsentiam in Choro exigeret seueriùs, ac ritè peragi ministeria templi procuraret. Cùm verò responderet Vicarius, ea quæ ibi fierent perperàm, non culpâ suâ euenire, sed alterius, qui loci Præfecturam gerebat; Cardinalis excepit: *Cur igitur vbertim adeò dispensatur manna S. Nicolai; quandoquidem Præfectus, ne id fieret, præcepit?* Tunc Vicarius, excusatis causis, propter quas inductum se ad id fatebatur, pollicitus est deinceps non ita futurum. quæ vbi absoluit Bellarminus, momento eodem, sub oculis mirantis euanuit. Alter reputans minimè naturalem esse eam speciem viri, qui Romæ degebat; perfusus pio quodam horrore, aliquamdiu hæsit; & compellans famulos, adfuisse tum sibi, & locutum vnà secum esse, eo temporis vestigio, in conclaui illo, Cardinalem Bellarminum, affirmauit. Manè rem totam exposuit P. Antonio Beatillo è Societate IESV, qui in eâ Basilicâ concionabatur; & qui facti huius hodieq; memor, id etiam iuramento testatus est. Neque incongruè accidit eiusmodi visio in loco, vbi corpus S. Nicolai colitur: qui pariter viuens, Constantino Principi, ex regione longinquâ monitor adfuit; & quæ parauerat locutus, sublimis abiit: vt ex facti similitudine deprehendi possit, inter vtrumq; similitudo virtutum & meritorum.

Præ-

Præterea, dum Capuæ ciuitatem esset egressus quadam die, vt gestaretur animi causâ, iuxta ripas fluminis; fortè ad locum peruênit, quem aliqui conduxerant, vt in eo, prohibitis aliis, piscarentur. Eos hortatus est comiter, vt retia educerent: illi non ita pridem id actum fuisse, sed conatu inani, responderunt: tres enim minutulos pisces solùm interceperant. Quam rem sibi vtique in damnum euadere aiebant, cùm nec tempus, nec bonæ auræ fauerent. Cardinalis moratus ibi ad quartam horæ partem, cœpit pisces repentè monstrare digitis, illosque inuitare etiam; non aliter, ac si videret in retia confertim eos ingruere: atque ingeminans, Adeste, adeste; mandauit piscatoribus, vt retia extraherent. Quæ cùm educerentur, piscium adeò ingens modus emersit; vt vno eo ductu cóprehenderint pondo ducéta & quinquaginta; cunctis admiratione defixis, sicut ad mare Tiberiadis Apostoli olim, in capturâ piscium. Interim potuit Cardinalis Bellarminus, Capuæ piscator hominum factus, ex eâ re suam prædam ominari. Hæc verò primarius è conductoribus loci, & socius eius, iurâti affirmarunt; ac fassi sunt, piscium multitudinem illam, pro amnis conditione, atque aurâ tam alienâ, prorsus insolitam fuisse.

Ex iis quæ narraui hactenus, confirmatur id quod Cardinalis à Monte de Bellarmino prædicauit: Deum videlicet commodare vsibus Ecclesiæ exemplar hoc perfectissimum voluisse; vt sacer Senatus, & sæculum nostrum, à Cardinali Bellarmino non minùs, quàm sæculum superius à S. Carolo Borromæo, illustraretur.

CAPVT VII.

Aliqua partim abdita, & longè à conspectu remota, aperit; partim mox, aut multò pòst futura prædicit.

ETiam ex eo capite Cardinalis Bellarminus erit apud posteros admirabilis, quòd multa sine errore, quæ aut clàm aut procul agebantur, scire ac prædicere potuerit. Franciscus Antonius Thomasius, Barij Vicarius Generalis (de quo meminimus non ita pridem) per Michaëlem Gruneuengh Belgam, eius Vrbis Canonicum, ampullulas aliquot mannâ S. Nicolai plenas miserat ad Cardinalem Bellarminum. Cùm verò ex eis ampullulis, Præsul nescio quis, Romæ binas postulasset, Michaël amiciùs aliquantò quàm æquiùs manna concessit; & vacuas ampullulas sacro latice, quem ex plenis aliis deprompsit, ex parte replens, quod deerat, suppleuit in

in eis ex aquâ vulgari; quò ita numerus vasculorum saltem in munere retineretur. Cardinalis donum accipiens, primò de admirandi liquoris virtute disserere multa; dein sciscitari, omnisne liquor ille manna esset. Alter vti statuerat rem occultare; dixit, in singulis manna esse: sed Cardinalis; Non omnis hic liquor, inquit, manna est. & tum admiratio hominem & persuasio incessit, factum suum diuinitùs emanasse. Quare vbi Barium reuertit, quidquid sibi euenerat, narrauit; & Cardinalem Bellarminum celebrauit vbique, tamquam virum sanctum.

Neapoli Angelus de Aciariâ, Episcopus Theanensis, morbo graui in Domo Professorum Societatis IESV implicitus, curabatur: & scripsere Patres ad Cardinalem Bellarminum, ex cuius sorore ille natus erat; vt bono esset animo, quoniam morbus ægri præ se ferret signa rediturae valetudinis. Cardinalis tamen, spem esse nullam de Episcopi vitâ rescripsit; iussitque moneri, vt pararet se ad postremum actum, in quo vertitur æternitas: pauloque pòst ille Neapoli decessit. Dum Lutetiæ Parisiorum, in comitatu Cardinalis Caietani Legati, ageret; sub initium Septembris, Tabellarius peculiaris ex Vrbe Româ properè, in equis prædispositis, aduenerat, cum fasciculo grandiusculo litterarum. Cu-

piebant summoperè gnari esse Aulici omnes, Roma quid pareret noui: & epistolæ necdum erant resolutæ; ad Legatum enim scribebantur. Bellarminus fortè intererat, & cum fasciculum inter manus accipiens, certò dixit, SIXTI V. Pontificis mortem in eis litteris adferri. Attamen incredibile hoc omnibus visum est, cùm de Pontificis ægritudine nihil audiuissent. Mox verò apertis litteris, non absque admiratione, intellexerunt, verè Pontificem obiisse. Romæ in Ædibus ipsius Cardinalis Bellarmini, morbo graui decumbebant Matthæus Tortus Ticinensis & Theologiæ Doctor (cuius nomine Cardinalis Bellarminus Apologiam primam inscripsit aduersus Magnæ Britanniæ Regem) & iuuenis alter cubiculi eius administer, cui nomen Octauius Clarellius. De illo iudicia Medicorum erant improspera, & spes vitæ admodum angustæ; cùm huic contrà benè ominarentur omnes. Cardinalis tamen dixit sæpiùs: Actum de Matthæo cuncti pronuntiant, de Octauio fausta sperant; sed ille conualescet, hic morietur. & prædictionem, nec illius vita, nec huius mors fefellit. Petrus Guidottus, eius Oeconomus, vsquè ad sexagesimum diem ipse etiam æger fuerat; & nemo Medicorum erat, qui non ei sinistra metueret. Cardinalis quoties eum inuiseret, hor-

tabatur,

tabatur, vt expectaret meliora; & addebat futurum, vt ex ægritudine illâ non obiret: planeque valuit. P. Celsus Amerigus, Ordinis Cælestinorum Generalis Antistes, in Cœnobio S. Eusebij iacebat ita depositus, vt paratum haberetur in eius Conclaui Sanctum Oleum, quo ritè inungi posset. Adfuit ægro Cardinalis Bellarminus, reperitque adeò absumptas vires eius omnes esse propter acre malum, vt loqui ægrè sufficeret: neque recreandæ defectioni cibum alium, nisi iusculorum sorbilium aliquid, aut accipiebat datum, aut acceptum concoquebat. Cardinalis, in aditu ipso cubiculi, exorsus à verbis illis, *Pax huic Domui*; Crucis signum salutare super ægri frontem impressit, quædam secum interim, etsi non adeò clarè, pronuntians. Post hæc; Tranquillo sis animo, inquit, ex hac ægritudine superstes omnino eris. Eoque contactu æger ad vitam rediit: nam vestigio illo temporis meliùs habuit, & breuî morbum omnem excussit. Idem P. Celsus Amerigus testatur, à Cardinali Bellarmino audiuisse se multa prædici, quæ postmodum euenerunt. Significauerat distinctè omnia, quæ vltimis Ordinis Generalibus Comitiis peracta fuerunt; & peculiariter, quòd in eo Antistite retinendo esset futura eadem voluntas, quæ fuerat in ipso eligendo. Prænun-

tiauerat quoque exitum negotiorum eius in Galliis: nec illud siluerat, Patronum Ordinis Cælestinorum, ab obitu suo, futurum non Cardinalem aliquem minorem, & sibi similem, vt aiebat; sed Cardinalem vtique magnum: & is fuit Mauritius Cardinalis à Sabaudiâ: vsque adeò singula cum eius prædictionibus congruerunt. Dum morbo langueret Cardinalis Henricus Caietanus, Cardinalis Bellarminus (qui eius Theologus Lutetiæ Parisiorum fuerat) pro viri valetudine perlitauit: & tum intus quasi vocem hanc audiuit; Pro Cardinali Caietano noli vota iterare, nec enim ille diutiùs viuet. Sed ipse huic auditioni fidem non statim dedit; precesque ingeminans, semper nihilominùs audiuit, à se vota ludi; & frustrà pro Cardinali Caietano Deum fatigari, qui iam in mortuis numerabatur. Ea ipsum species anxium animi angebat; cùm nesciret, vnde lapsa vox illa fuisset, & an deberet in præsagium verti. Inquisiuit statim de Cardinalis Caietani valetudine; audiuitque, pridie sub vesperam, domo incolumem egressum, & ad sanctæ Pudentianæ templum iuisse: gauisus verò animo propterea, Ludouicum Aragazium participem fecit eius quod senserat inter perlitandum: sed biduum non intercessit, cùm ille morbi subito impetu sublatus est: quæ res immissam

immiſſam diuinitùs eam vocem declarauit.

Petrus Georgij pluribus narrauit, ſe multò antè quàm inter Cantores Pontificios adſcriberetur, quadam die Cardinalem Bellarminum adiuiſſe; & poſt negotia, interroganti, quodnam Romæ exercitium haberet, Muſicum ſe eſſe, reſpondiſſe: Cardinalem autem affirmaſſe, inter Cantores Pontificis ipſum aliquando numerandum quidem eſſe, ſed ſuſcepturum priùs iter longinquum. Atque ex his duabus prædictionibus alteram mox, alteram deinceps excepit euentus: ſiquidem non ita multò pòſt in Poloniam iuit, accitus inter Muſicos Regios; & inde reuerſus, eſt iam inter Muſicos Pontificios.

Andreæ VViſe, Priori Magnæ Britanniæ, dixit ſæpenumerò, Petrum Cardinalem Aldobrandinum ſubitâ morte interiturum. Idque etiam euentus confirmauit; quia ille, ſtatim à reditu ex Comitiis, in quibus GREGORIVS XV. creatus eſt, obitu inopinato extinctus fuit.

In Aulâ Romani Collegij, Sacræ Theologiæ laureâ inauguratus Sebaſtianus de Paulis, & Cardinali Bellarmino, qui interfuerat, gratias referens, hanc ex eius ore gratulationem audiuit: *Vt Doctor, & Epiſcopus.* Nec errauit vaticinatio, quia Nepij, in Patriâ ſuâ, Epiſcopus iam eſt.

Siluio Cardinali Antoniano, dum Præfectus cubiculi CLEMENTIS VIII. erat, initio Pontificatus, eumdem Pontificem superstitem futurum tres & decem annos, asseuerauit. De PAVLO V. quando electus fuit, rumor erat, concessurum eum è viuis non ita multò pòst: at Cardinalis Bellarminus Ludouico Aragazio id referenti; Ne has inanes, inquit, vulgi persuasiones tuâ credulitate foueas: Pontifex enim diu viuet. Et cùm is, an per decennium, rogasset, subdidit: Longè diutiùs. nec aliter fuit: sedit enim annos sexdecim. Post excessum huius, dum ingressurus Comitia in Vaticanum iret, dixit Asseclis honorariis, qui in rhedâ sibi assidebant: Nouus Pontifex, quem Patres eligent, Gregorius appellabitur. & hoc nomine Alexander Ludouisius tenuit Ecclesiæ gubernaculum.

Pari certitudine Cardinali à Monte dixit fore, vt numquam CLEMENS VIII. sicut deliberauerat, pronuntiaret definiendo circa controuersiam de Auxiliis gratiæ Dei, obortam inter Auctores Religionis S. Dominici, & Scriptores nostræ Societatis. Imò & præcisè addidit, futurum priùs vitæ Pontificis, quàm quæstionis illius, finem. Testificationem hanc, interpositâ sacramenti fide, idem Cardinalis à Monte, Decanus Sacri Collegij, obsignauit ferè in hæc verba:

Cùm

Cùm aliquando, in Aede S. Marcelli, Cardinalis à Monte solemnibus sacrorum interesset, CLEMENTE VIII. *Pontifice adhuc superstite; Cardinali Bellarmino, qui item aderat, significauit, Pontificis consilium esse, pronuntiare definiendo circa opiniones de Auxiliis gratiæ Dei, de quibus tum inter Patres Dominicanos, & Auctores Societatis* IESV, *disceptabatur. Cardinalis Bellarminus verò; Pontifex, inquit, numquam hoc definiet. Posse, & velle Pontificem, excepit alter. Bellarminus rursus: Pontificem posse, & velle, non inficior; aio tamen, numquam futurum, vt hoc definiat: imò id moliri si voluerit, vita priùs eum deficiet. Atque hæc dixit adeò constanter, vt obstupesceret Cardinalis à Monte; præsertim quoniam hæc ferebantur, dum de obitu Pontificis nulla esse poterat suspicio: nam valetudine prosperrimâ vtebatur. Atque hoc necessariò contigit triennio ante* CLEMENTIS *obitum; siquidem Cardinalis Bellarminus, tres annos postremos Pontificatus ipsius, in Vrbe Capuâ moratus est.*

Ita est pro veritate;
FRANCISCVS MARIA
Cardinalis à Monte.

Obitum huius Pontificis sæpè Aulicis suis, & potissimùm Capuæ, circa finem triennij (vt aliàs memorauimus) prænuntiauerat. Id egit

egit etiam, dum iter illàc haberet, occaſione connubij cum Bouini Duce, Soror Ducis Sorani; cui comites erant Ducis huius Mater, Soror Cardinalis Sfortiæ, & Clarix de Nobilibus, nuptui olim data in vrbe Politianâ. Hæ Matronæ Illuſtres, hoſpitij causâ, ad amicum Sponſi, Capuæ diuerterant; eaſque Cardinalis Bellarminus, iuſſit pro ſe ſtatim, à Ioſepho Vignaneſio, Præfecto Cubiculi ſui, eo in hoſpitio ſalutari. Sed ille officij modos tranſgreſſus à ſimplici ſalutatione & gaudio, quo fungi debuerat, propter fauſtum earum aduentum; oratoremque veriùs, quàm internuntium agens, ad obſequium id etiam addidit, vt diceret, eas, Cardinalis domo cùm vti potuiſſent in aduētu, debere ſaltem in reditu ad ipſum diuertere. Deinde ad Cardinalem ſe referens, narrauit, neceſſitate illâ obſequij inductum ſe vt eas inuitaret; & idcircò neceſſarium jam hoſpitium earum eſſe. Quàm inuitus animi hæc audierit Cardinalis Bellarminus, ſatis indicauit; cùm, Ignoſcat tibi Deus, inquit, cur adigis me, vt feminas domi habeam? erraſti penitùs, qui vtique noueras ingenium meum: (etenim cum S. Auguſtino propoſuerat, domi mulieres non admittere.) poſt eas querimonias, oppoſitâ ad frontem & ad oculos manu, aliquantulùm hæſit cogitabundus; ac mox interrogauit, quando nam

illæ essent reuersuræ. Respondit, post menses duos: & tum ipse, quasi quodam instinctu vaticinans, non contracto aut confuso vultu, sicuti priùs, sed explicato atque hilari; Benè, inquit, est, nos Capuæ non erimus: veniant licet, nihil nobis adferent molestiæ. Prænuntiationem omni ex parte exitus probauit: nam intra dies non amplius viginti, Pontificem oblanguescere, & paulò pòst eum obiisse, tabellarij duo nuntiarunt. Ideoque Cardinali Bellarmino Romam ad Comitia eundum fuit, priusquam feminæ illæ primariæ Capuam redirent.

At non de aliis modò, verùm de se etiam sæpenumerò varia prædixit. Louanium ex Italiâ cùm venit, in Collegio exceptus per amoris indicia, & Sociorum visitatos complexus, dixit: A Præposito Generali ad biennium huc missus fui; sed tempus habitationis meæ in Belgio septem anni erunt. nec aliter euênit.

Capuæ ipso initio, dixit, Ecclesiæ illi se tantùm ad triennium præesse debere. Imò solertiâ singulari eruens è latebris antiquitatis nomina Episcoporum, qui se Capuæ antecesserant; & incipiens à B.Prisco, S.Petri discipulo, postquam in album omnes ordine suo retulerat, de Cæsare Costâ, qui proximus obierat, adscribens, *Sedit annos triginta*; subdi-

dit

dit hæc: *Robertus Cardinalis Bellarminus sedit annos tres.* Hoc notat ipsemet in Commentario de vitâ suâ: & Ludouicus Aragazius, vnus ex honestioribus eius Asseclis, testatur, se adfuisse, dum hoc ab eo scriberetur; factumque id ait, primis diebus, postquam Capuam aduenerat. Deinde cùm ea res fortè coram Prælatis aliquot narraretur; Cardinalis studio supprimendi famam sui, dixit, se vnum esse ex Prophetis veteris formæ atque obsoletæ, qui res non adeò meditatè præsagiunt; etsi eueniunt illæ tamen.

Peculiariter, quod spectat ad aliorum præsagitiones circa obitum ipsius; iam pridem Cardinalem Bellarminum desiderauissemus, si votis improborum vita bonis eriperetur: nam sæpè hæretici ante diem fata ei cecinerunt; & libellis criminosissimis, quasi tartareæ Præficæ, viuenti adhuc, parentarunt: imposueruntque etiam flagitia; vt diuo Athanasio, qui & ipse fuit acerrimus fidei Propugnator, tum vitijs aliorum, tum virtutibus propriis redderetur hoc pacto simillimus. Tametsi verò difficile foret, homines adeò emotæ mentis inueniri, qui ea penitus de Bellarmino crederent: nihilominùs, quia calumniarum semper aliquid adhæret, si non eas citò veritas deterserit; & quia Bellarminum viuere, oportebat improbis criminatoribus

ribus

ribus ad dolorem animi, ad ſolatium probis compertum eſſe; de eo adhuc ſuperſtite, teſtimonium ſæpè à Scribâ Publico fuit in codices relatum, vt in varias prouincias tranſmitteretur.

Ad hæc Mathematicorum diuinatio (genus peritiæ, quod dolendum eſt inter homines etiamnum ſemper damnari, & ſemper vſurpari) iure quidem infida res æſtimatur. Quia delectat tamen audire, ſi interdum euentis ea, ex vulgi opinionibus, celebretur; addam aliquid etiam ex hoc genere. Poſt Bellarmini obitum, mouit iſtorum Mathematicorum aliquis admirationem; qui conijciens venturi anni caſus & viciſſitudines, ex aſtrorum notatione pronuntiauerat, anno vertente M. DC. XXI. Antiſtitem magnum è viuis eſſe demigraturum: tenuit verò ea prædictio ſollicitos plurimos ex ijs, qui iſtiuſmodi diuinationes religioſiùs, quàm par eſt, reuerentur aut metuunt: donec animaduerterunt, Cardinalem Bellarminum, Sacerdotem magnum, in Septembri menſe eiuſdem anni, fine ſuæ mortalitatis defunctum eſſe. Sed vt credulis opiniones has vaniſſimas relinquam; illud non omiſerim, quòd videlicet multò antè diua Catharina, Virgo & Martyr, ac litteratorum Præſes, à Viro quodam Religioſiſſimo, viſa in lucis ſpecie; ac ſermone cæleſti

eum

eum allocuta; cùm de Bellarmino interrogaretur, vaticinata est, spatium vitæ eius fore diuturnum,& futuros cumprimis gratos Deo labores eius: Nam *diu viuet*, inquit, *& opera eius erunt placita Deo.*

Sed vt Bellarminum ipsum non ignorasse, aut dissimulauisse vltima vitæ suæ tempora, habeatur pro re compertâ; Abbas Franciscus Perettus hæc refert: *Alexander Cardinalis Montaltus, gloriosi nominis, Patruus meus, mihi & alijs narrauit; Cardinalem Bellarminum, dum fortè vnà loquerentur, & adesset etiam Benedictus Cardinalis Iustinianus, Sede vacante, post obitum* PAVLI V. *Pontificis, quo tempore Cælum ex acri hieme, præter solitum rigebat, dixisse: Sunt ineunda iam Comitia in summis frigoribus; proxima fient in summis caloribus: sed parùm refert, quia nemo nostrûm eis intererit.* Dicto non abfuit fides: etenim GREGORIVS XV. frigidissimo anni tempore, electus Pontifex; biennio pòst, Iulio mense ineunte, mortuus est: atque ideò alia Comitia, sub exortum Caniculæ inchoari debuerunt; nec potuerunt dimitti ante VIII. Id. Augusti: quo die VRBANVS VIII. Summus Pontifex creatus fuit. Multò antè, quàm appeterent ea Comitia, Cardinalis Iustinianus primùm, & deinde Cardinalis Bellarminus, obierant: at Cardinalis Montaltus, tametsi

etsi ætate non longæuâ, & viribus prosperis foret, Pontificis obitum solùm ad menses duos antecessit.

Sed Cardinalis Bellarminus, non generatim dumtaxat mortem suam prænuntiauit; mensem enim etiam, & diem designauit, in quo erat obiturus. Inter ceteros, Ouidius de Amicis vrbis Capuæ Canonicus narrat; Cardinalem Bellarminum, dum anno M. DC. XXI. in sermone mutuo essent, dixisse; proximo Septembri mense obiturum se, ipso die sancti Francisci vulneribus sacro. Aliàs magis adhuc distinctè, se in autumno eius anni, VI. feriâ, concessurum è viuis asserüit, in ipsâ celebritate Stigmatum S. Francisci. Quod sperare se ideò ait, quia in ordinando eiusdem celebritatis Officio piè laborauerat. Ex hac verò notitiâ factum existimo, vt impetrato secessu ex Aulâ, Conuictoribus Aulicisque suis denuntiauerit, deliberatum sibi esse deinceps, in re priuatâ vitam absoluere; monueritque propterea, Herum sibi alium quærerent; sed vsque ad exactum Septembrem apud se tamen agerent; qui terminus postremus vitæ ipsius fuit.

VITÆ ROBERTI CARDINALIS BELLARMINI E SOCIETATE IESV

LIBER SEPTIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Apparatus eius ad mortem, & studium absolutissimæ perfectionis.



NIMVS Cardinalis Bellarmini, culmine sublimior humanarum vicissitudinum, contempsit adeò lubricam Mundi huius felicitatem, vt numerans vitam ipsam inter odiosas res, nihil adæquè ac mortem optauerit; quò ita ad Deum suum properè migraret. Hinc ea, quæ vltimis annis diceret, scriberétve, séper cum prooemio aut peroratione erant, in quâ mortem sibi iam esse optabilem, affirmaret. Inter alios Raphaël

Raphaël Episcopus Zacynthi hoc de eo testatur: Quoties eum interuiserem, spatio vndecim annorum, de re aliâ nullâ audiebatur miscere sermones, quàm de futurâ hominum cum Deo inter Cælites vitâ, vel de Sanctorum virorum famâ, & factis admirandis. Quamuis autem paratum se ostenderet, vti erat seruus fidelis ac prudens, expectans Dominum suum, vt aperiat, & cum accensâ face præluceat aduenienti: nihilominùs reputans, quanti intersit momentum illud, in quo æterna vertitur salus, sæpè viatorium animæ ornatum, ad eiusmodi expeditionem, studio magno sibi comparauit.

Id egit præcipuè, cùm appeteret annus vitæ eius tertius & sexagesimus; quod spatium viuendi maximè, inter reliquos annos climactericos, obseruatum est, in multâ hominum memoriâ, plerisque aut cum obitu, aut cum periculo adesse. Hac occasione testamentum Capuæ obsignauit, in eoque Sponsam dilectam suam, vt loquebatur, heredem instituit, CathedralemEcclesiam nimirum, ac Sanctos Stephanum & Agatham, eius Tutelares. Deliberauerat initio testamentum non facere; tum quia erat Religiosus Professus, etiamsi Cardinalis; tum verò quia obuersabatur animo, de S. Augustino illud scribi: *Christi pauper testamentum non fecit; quia quod relinqueret,*

ret, non habebat. Sed mutato ſapienter conſilio, petiit à CLEMENTE VIII. Pontifice gratiá teſtamenti, dumtaxat ad pias cauſas; quò eſſet certior (ſicut deinde in tabulis eius publicis affirmauit) etiam ea quæ tum ſupereſſent, & quæ ſuſtentationi neceſſaria diſpenſare viuens non potuerat, ad pauperes & ad Eccleſias reditura demum eſſe. Facultatem eam tamen Pontifex amplam, nec iis circumſcriptam legibus, dedit.

Interim ſoſpes annum climactericum vixerat Cardinalis Bellarminus; cùm oblata eſt cordi eius noua occaſio ſarcinas ſuas conuaſandi, vt Cælum verſus profectionem denuò adornaret. Poſt exceſſum enim Cardinalis Baronij amici & Collegæ dulciſſimi, adfuit ei quadam die ſimplex quidam vir, ore atque habitu paganus, ac denuntiauit fore, vt intra annum etiam ipſe in Cælum iret. Non id verò, propter auctoris humilitatem, ſpreuit; ſed credidit imò, referens factum Ludouici Imperatoris, qui, cùm viſus eſſet in Cælo Cometes (de quo eſt vulgi opinio, tamquam ſidus ſit prælucens funeri Regum atque Magnatum) ominatus mortem ſuam, diſponere ad eam ſe ſtatim cœpit; ac non ita multò pòſt obiit. Quare Imperatoris huius conſilium ſequi maluit; ac ſupereſſe ſibi breue ſpatium ratus, negotia tantùm ea non ſepoſuit,

poſuit, quæ coniuncta cum Cardinalium ſtatu ac muniis neceſſariò viderentur. Demum biennio antequam obiret, cùm incidiſſet in ægritudinem grauem; ſtatim conceptâ migrandi ſpe, adeò in eâ cogitatione defixus animo fuit, vt eidem adhæſerit perpetuò: ex quo ſubinde vſurpauit illud S. Pauli: *quod ſeneſcit, prope interitum eſt.* Hoc ſtudium ipſius, tum ex partu nouiſſimo ingenij eius coniici poteſt, qui inſcribitur, Ars benè moriendi; tum ex innocentiâ, cum quâ vixit in longâ ſenectute, vt ad Deum ſuum, labe præpeditus nullâ, feliciſſimè niteretur. Huius verò pretioſæ hereditatis, in duabus poſtremis tabulis teſtamenti, quæ ſolæ venêre in manus meas, reliquit præclarum monumentum, dum in eis; *Primò*, inquit, *animam meam fideli Creatori commendo, quem amaui, & cui ſeruire ab ineunte pueritiâ meâ cupiui.*

Et fuit ſanè mirum, hominem perfectionis tantæ, qui optabat ſupra omnia, citò exuuias ponere ſuæ mortalitatis, nihilominùs vixiſſe pauidum adeò, vt numquam ſatis certum aut ſecurum oſtenderit ſe, circa ſalutem conſequendam. Sæpiùs amicis, qui ominabantur ei facilem ad Cælum viam, reſpondit: *Haud erit parum, ſi Dei miſericordia mihi Purgatorium ad tempus conceſſerit.* Attamen erat manifeſtum, hæc non ideò dici, quòd

conſcientia criminis aliqua eum perpauefaceret; ſed quia illud, ex S. Pauli inſtitutione, didicerat: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt. Quid ſi*, aiebat, *noxæ alicuius latentis ego ſim reus? quid ſi occaſione præfecturæ variæ, quam geſſi tum in Religione, tum in Purpurâ, culpæ alienæ quæſtio mihi ſubeunda fuerit? quid ſi non ſatisfecerim muneri meo? Res eſt nimis formidabilis, ſiſti coram eo, qui ſcrutatur Ieruſalem in lucernis. Auget timorem etiam vitæ meæ perpetua felicitas; cùm ſciam, ita comparatos homines eſſe, vt quos in hac vitâ proſperitas colit, eos infelicitas plerumque in alterâ maneat. Vereor, ne Purpuræ dignitas, veluti compenſatio alicuius fortè boni fuerit, quod viuens fecerim, vt puniri poſtmodum debeam. Ex alio tamen capite, quia certus ſum, quidquid à felicitate habui, hoc non cupienti nec roganti datum eſſe; ſed imperio adigi me debuiſſe, vt ita felix eſſem; & quia obedientiam ſequi ducem, ne errarem, ſemel & ſemper ſtudui: propterea recipiam me in fidem ac tutelam Dei Creatoris mei; qui non vult mortem ſuorum, ſed vt viuant, & ſalui ſint, potiùs deſiderat.* Hoc pacto fiduciam omnem ſuam à Diuinâ benignitate atque à ſecreto conſcientiæ deriuans, ac fidens innocentiæ ſuæ, miſericordiam & iudicium cantabat Domino; nihil

hil autem recolens à se improbè factum, solùm videbatur secunda metuere cor eius.

Est verò in comperto, timorem Domini castum ac sanctum excitari solitum in eo fuisse, ne securus nimiùm torperet in viâ Dei; vt qui sciret neminem certiùs opprimi, quàm eum qui temerè sperat; & frequentissimum initium ruinæ esse, animæ securitatem. Sedenim, vt ad occasiones alias fuit manifestum, perfecta charitas in ipso dispulerat timorem omnem: adeò vt non de salute consequendâ tantùm, sed de Purgatorio etiam igne non adeundo, certus videretur. Cardinalis Crescentius, *Tametsi conscientiæ ipsius*, inquit, *prorsus nihil occurreret; de quo postulandum se atque ætatem suam putaret; haberet verò cumulum meritorum ingentium, propter heroicas virtutes, quas in vitâ semper coluerat; nihilominùs ita mortem expauit, vt meminerim dixisse: Cuperem hoc beneficium à Deo, vt ad Purgatorium migrare possem. Sed deinde æger, & morti propior, inuentus est à me, corde tam hilari & securo, vt facilè apparuerit, quanta inesset ei spes ad Cælites migrandi.* Iulius Sansedonius Episcopus testificatur id clariùs, *Fiducia*, inquit, *& securitas eius tam erat constans, vt sæpenumerò iteraret illud, Proficisci cupio in domum meam, in Cælum videlicet.* Cùm verò subderem ego, me Purgatorium optare; mo-

dicæ ſpei ac fiduciæ erga Diuinam miſericordiam, id argumentum eſſe, reſpondit. Aliàs etiam, pari conſtantiâ; In cælum, inquit, in cælum ibimus. adeò ei ex ore præſilire videbatur abundantia certitudinis, ex quâ intùs eius animus triumphabat. Præthereà *deſiderium habens*, vt loquitur Apoſtolus, *diſſolui, & eſſe cum Chriſto*, per gradus illos ad eum ferebatur, quibus procreatæ res in corde aſcẽſiones ponunt: vt verò cantaret *iuſtificationes* Domini *in loco peregrinationis* ſuæ, quaſi virtutum omnium harmoniam, ordinauerat in ſe charitatem. Et quia *charitas patiens eſt*, & *benigna*; *non æmulatur, non agit perperàm*; *omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*: has ipſe laudes complexus mirificè fuit.

Multa ſæpè inclementer facta vel dicta, conſtanter adeò tolerauit, vt nec vultum in eis mutauerit. Prolapſus in ægritudines graues, ex quibus debuit præ dolore nimio vehementer admodum diſcruciari; non ideò gemere, aut fundere querimonias audiebatur. Brachij ſpaſmo ſemel in Societate, iterùm in Purpurâ tentatus, (cùm ex caſu luxatus brachium eſt & proximum armum) magnum patientiæ exemplum omnibus præbuit. Nam doloris acerbitas coëgit quidem, vt oculi ſponte ſuâ lacrymis extillarent; ſed non

non effecit, vt vox ei vlla excideret dolori magis quàm virtuti consentanea. Imò primâ vice, cùm ei foret persuasio, sicut ipsemet narrauit, posse à Deo se impetrare precibus suis, vt acerbitas ea remitteret; non id rogauit tamen, quò perfectiùs se Diuinæ submitteret voluntati. Alterâ vice dexterum brachium consauciatus, eoque ad dies plures fasciis obuoluto, tantummodò Re sacrâ tam diu priuari se non ferens, à Pontifice flagitauit; vt perlitare Deo sibi liceret, ac sinistrâ manu Hostiam sacram alleuare: quod egit, donec reuersa manus est ad vsum pristinum, & cœperunt elapsi in prauum artus, vi medicamentorum, reparari. Ex hac virtute pariter nata est in ipso morum probitas, & lenitas illa, ex quâ numquam commotior, aut in re vllâ vehementior visus fuit. Imò ipsa obiurgatio, quæ ceteroqui amara est, efferebat ex ore eius nescio quid blandæ suauitatis; vt quæ non studio fieret vllius vtilitatis propriç, nec ab animo impotenti vel iracundo flueret, sed prodiret ex officinâ charitatis. Porrò lenitatis huius exemplum illustrius tunc edidit, cùm propriâ in existimatione læsus, timuit offensam eorum à quibus lædebatur; nec moliri pro suâ defensione quidquam voluit, priusquam ipsi videretur charitas in tuto esse.

Religiosus quidam in Vrbe atque Aulâ totâ dissipauerat, Cardinalem Bellarminum inductum potentiâ rationum eius, tandem iudicasse aliter ac pridem scripserat, circa opiniones De Auxiliis Gratiæ Dei. Hæc imposita ei leuitas & inconstantia; quæ alterum quemuis incensum reddere potuisset, vim non habuit æstu irarum vllo eum accendendi. Quin imò stimulatus ab amicis, vt hominem saltem obiurgatione aliquâ increpitum vellet; respondit primò: Decreui in hac re ego, ex consuetudine meâ, nihil agere. Pòst, cùm subiungeretur, posse id euadere in commune damnum, si per Ciuitates oræ Septemtrionariæ disseminaretur, mutatam ab eo sententiam esse; solùm adduci se passus est, vt Religioso illi coram Testibus, quæcumque in sermone mutuo dixerant, circa eam controuersiam, tranquillissimè repeteret. Ex quibus conijci debuit, Religiosum eumdem, ob argumẽta Cardinalis Bellarmini, à sententiâ suâ potiùs desciuisse. Ad hæc superbienti eum animo numquam fuisse, satis indicarunt, cùm vitæ ipsius moderatio (quandoquidem illi, non maiori gloriæ fuit benè tolerata in Religione paupertas, quàm fuerint in Purpurâ opes innocenter & modestè habitæ) tum verò humile iudicium, quo solitus erat deprimere semper ipsemet res suas.

Par

Par in eo fuit simplicitas, ex quâ perperàm de aliis iudicare non poterat. Si quæ insuper iactarentur, credebat ea ipse mirâ facilitate, modò falsum clarè non affirmaretur. Presbytero cuidam, moribus parum honestis, qui Capuæ ad genua eius prouolutus, cum iuramento se virginem esse asseuerauerat, fidem habuit; vt qui non poterat in animum suum inducere, ex ore Sacerdotis mendacia emanare posse. At si semel quis deprehenderetur falsi reus, is non potuisset facilè, compositis figmentis, denuò eum circumuenire.

Prætereà, quoniam amor, quæ vult, eadem & credit libenter; si spem facerent vitæ melioris ij qui aliter deliquerant, hos, excedente fidem clementiâ, omnino ipse à suppliciis liberabat. Dum Capuæ ageret, fortè Diœcesim intrauerat Sacerdos transfuga, indutus profano habitu, & secum eò pellicem suam duxerat; conditionem quoque in Vrbe illâ inuenerat, Præfectus organo summi Templi, vt qui peritè in eo genere luderet. Sed breuî fraus, & vitæ eius macula in comperto fuit. Defertur itaque nomen viri ad Tribunal Archiepiscopi: in quo etsi seueritatem supplicij debuerat inuenire, clementiam magnam tamen expertus est. Etenim Cardinalis Bellarminus studuit suauissimis monitis animam illius

illius restituere; & confestim induxit eum in insignem anteactæ vitæ detestationem. Omnium quæ is impiè ac nefariè patrauerat, vltrò gratiam fecit: habitu Cleri eum rursus ornauit, destinauit aliò ad honestum exercitium; & scortum, cuius amore deperierat, ab eo reuulsit, deditque huic mulierculæ pariter opportunitatem ineundi vitam honestam.

Non minor in eò fuit erga corporum necessitates commiseratio, vt alibi ostendimus frequentibus exemplis. Supersunt tamen aliqua, quæ silentio non debent præteriri. Adiuit eum pauperrimus quidam opifex, ciuis ipsius, venerans, vt apud Cardinalem alium esset pro se deprecator, cui debebat aureos aliquot, nec erat soluendo. Annuit Cardinalis Bellarminus; & facturum se id eodem die, promisit: nam Congregationis cuiusdam occasione, suberat ipsi copia Cardinalem eum alterum conueniendi. Sed domum vix pauper remeauerat, cùm reuocatus à Cardinali Bellarmino, statim pecuniæ summam illam ab eo accepit; cùm diceret sibi visum esse consultius, eam eleëmosynam largiri, dummodò Cardinali alteri pecuniam debitam repræsentaret. Aduena quidam egenus, ex orâ Septemtrionariâ, Capuæ à Cardinali Bellarmino stipem emendicauerat: præcepit

pit ipſe Oeconomo, vt numeraret ei aureos vigintiquinque: & quia ſubdidit alter, ne totidem quidem argenteos domi eſſe; dari pecuniæ loco iuſſit ex argento guttum eumdem, quo manus ſuas quotidie proluebat: factumque id fuiſſet, niſi Oeconomus pecuniam procuraſſet. Parens quidam admodum inops, filium in Seminario Cleri veſtire, pro aliorum honeſtate & conditione, non poterat. Cardinalis vbi hoc intellexit, tegi eum ære ſuo præcepit, erogauitque aureos decem & octo. Et quia Ioannem Antonium Cangianum, cui eam procurationem Cardinalis iniunxerat, parens eius adoleſcentis in proprias ædes introduxit; oſtenditque alios filios duos ſemi-amictos, ac ferè nudos, quibus veſtiendis non ſufficeret; affirmans vxorem perinde & proles alias intùs latere; & ne ad Sacrum quidem egredi poſſe, feſtis diebus, præ nuditatis verecundiâ; Cardinalis conſcius tantæ inopiæ, commiſeratione motus eſt, & pro iis quoque veſtiendis dedit aureos ſexaginta. Præftereà huic patrifamilias tam inopi, pro aliquâ ſuſtentatione, aureos ternos ſingulis menſibus deinceps largitus eſt.

Sæpenumerò inſuper è ſupellectili propriâ oppignorauit multa, & vendi non ſemel rhedam & equos, in ſubſidium pauperum,

rum, voluisset; quod & aliquando Oeconomo præcepit. Cymbalum non ita pridem Neapoli coëmptum, distraxit paulò pòst, vt ex eius pretio inopes iuuaret. Tum verò, si vmquam aliàs, apparuit ipsum inter Præsules ac Pastores animarum non fuisse sicuti *æs sonans, aut cymbalum tinniens*, hoc est, virum qui charitatem non habuerit. Notabile est, quod viri grauissimi referunt; nempe cùm pauper nescio quis aureos bissenos postulauisset, Cardinalem Bellarminum, cui tunc pecunia præsens non suberat, dedisse illi detractum ex digito annulum Episcopalem, cum syngraphâ, oppignorandum nomine suo. Futurum enim promisit, vt sortem & fœnus deinde pro eo redimendo redderet: quod etiam secretò egit. In quâ profectò re, visus est egregiè subditorum suorum paupertatem sibi desponsare. Demum quadam die proprium atramentarium argenteolum, vt ditaret inopes, inter pignora obligauit. Nec fuit ei minùs gloriosum, ex eo atramentario in hunc modum pauperibus opitulari, quàm fuisset anteà ex eodem immortalis famæ Volumina conscribere.

CAPVT II.

Receßus eius ab Aulâ, & vltima ægritudo.

INgrauescens annis ætas, & ægritudines assiduæ, Cardinalem Bellarminum satis admonebant; haud multùm abesse momentum, quo in sua resolueretur initia. Proinde deliberauit, si minùs Purpurâ, publicis certè occupationibus eius, se abdicare: & cùm in mense Martio, abundante pituitâ, in febrim incidisset; vbi primùm ex eâ valuit, Octauium Cardinalem Bandinum rogauit, vt flagitaret à Pontifice veniam pro se, non adeundi ampliùs Congregationes duas Cardinalium; Examinis nimirum, & Sanctæ Inquisitionis; quia præ senio, vt corpus minùs habile, sic animum minùs vtilem habere iam sibi videbatur: præsertim cùm tam ægrè audiret, vsúmque aurium quotidie magis vitiatus humor interciperet, obstrueretque. Sub finem verò syngraphæ; *Postulatio hæc*, inquit, *mihi adeò cordi est, vt exprimere id non satis queam. Etenim confundor planè, dum coram Christi Vicario, & tot Illustrißimis viris ostendere debeo hoc imperfectum meum. Si longâ meditatione possem id assequi, vt tibi, quem inter præcipuos veneror, persuaderem, susciperes in hac*

hac re mei patrocinium, facerem equidem: sed plus poterit sponte benignitas & facilitas tua. Deus benedictus te sospitet diu; meq́ erudiat, vt tibi optimè seruiam.

Hic fuit veluti gradus, deliberanti declinare oculos Aulæ, & publico carere; vt quod vitæ supererat, tranquillissimo traduceret senio, in domo aliquâ Societatis: vbi occupare leti diem, pulchrum rebatur vel ideò, quòd crederet decere, vt qui commodatus fuerat publicis vsibus, dum ætas ferret; demum consumptus æuo, redderetur stirpi suæ: poneretq́ue ibi finem virtutum suarum, vbi earumdem posuerat initia; atque in loco fortitudinis, in quo steterat, iaceret tandem; obtineretq́ue ordinem moriturus. Itaque ob eas causas, postremò etiam per interpositas preces P. Mutij Vitellesci, Generalis Præpositi Societatis, à GREGORIO XV. secessum ex Aulâ obtinuit; & XVII. Kal. Septembris anni M. DC. XXI. ex Vaticanâ Regiâ migrauit in Domum probationis, ad S. Andreæ, in Quirinali: neque postmodum vlli maiori negotio animum accommodauit; excepto quòd absoluere desiderauerit, in Congregatione Sacrorum Rituum, causam S. Philippi Nerij, de quâ referre in consessu illo debuerat. Biduo pòst, necesse habuit studio vehementi negotium aliud pertractare, in Congregatio-

ne

ne Indicis; ad quam se contulerat, vt simul Cardinalibus Collegis suis valediceret: domum verò fatigatus admodum remigrauit, & febri duplici tertianâ statim correptus est; quæ in augmento ei phrenesim afferebat. Vis ea delirij, quæ fatuos mores etiam sapientibus inducere, studiaque animi occulta palàm facere, vt plurimùm solet; virtuti eius occasionem dedit, vt se proderet euidentiùs. Etenim vti ab ingenio probus erat, etsi animi impos intereà foret; nihil, morbi vitio, aut fecit aut dixit, dignitate suâ aut superioribus virtutibus indignum. Quin potiùs ostendit, Deum in pectore suo veluti hospitem assiduum hærere: quia imaginum multitudo, quas in illo æstu sanguis miscet (ex quo deliramenta loquimur) Viri sanctimoniam dumtaxat, & diuinæ gloriæ desideriũ ostendebat.

Medici, vel à primâ inspectione, periculosam eam ægritudinem esse prænuntiarunt in viro, qui annis & laboribus perpetuis fractus iudicabatur. Ipsemet pariter, vt is qui nihil cuperet adeò impensè, quàm mori; sibi felicem hunc exitum ominatus est: & quasi cygnus, abundans cordis quadam dulcedine, cum D. Simeone, lassus in hoc itinere vitæ, otium petere, modularique illud cœpit: *Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace.*

Subinde tamen variante morbo, signa lætiora, cum aliquâ vitæ spe, affulgebant. Narrat porrò Celsus Amerigus Antistes Generalis Ordinis Cælestinorum; initio ægritudinis, Cardinalem Bellarminũ inuentum à se colore admodũ sano, ac pulsu venarum ita æquabili, vt periculi expers videretur. Tum verò æger; *Benè*, inquit, *habeo: comedi absque nauseâ; & à prandio etiam aliquantulũ quieui. Sed non propterea securus sum; vocem enim audio monentem, vt sim paratus ad migrãdum intra dies denos, aut quindenos.* & prorsus ita euenit.

Species ea mortis propinquæ, etsi plerumque magnos animos infringit; tam ei iucunda fuit, vt nullus æger ita vitam desideret, quemadmodum ipse intereà temporis mortem exoptauit. Medicos, & omnes qui curationi præerant, initio commonefecerat, vt non formidarent sibimet nuntium mortis optabilem indicare: ac frequentissimè iterabat, velle se ire in domum suam; in Cælum videlicet. Cunctis etiam, qui preces ei offerebant, respondebat gratas vtique sibi eas fore; dummodò vnum exciperet, ne vitam, quam recusabat, pro eo precarentur. Petebat itaque, orarent potiùs morituro sedem inter pios; atque impetrarent id quod erat difficilius: aiebat quippe, facilius esse obtinere homini vitam, quàm Cælum. Denique cùm

non

non haberet in terris manentem ciuitatem, ipſe ad æternam alteram anhelabat. Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus, quia mórbo eum vehementiùs affligi deprehenderat, rem ita interpretatus eſt, quaſi *ſpiritus quidē promptus, caro autem* eſſet *infirma*. Idcircò percontatus ab eo, quàm eſſet paratus ad migrandum in vitam aliam; vix interrogare deſierat, cùm æger pius, audito nomine vitæ felicioris, vultum ſtatim exhilarauit, oſtenditque illam ſe vnicè vitam expetere; atque alteram, in quâ langueret, animo faſtidiente reſpuere. Medicis per interualla iterabat: *Quandónam nuntio tamdiu deſiderato me recreabitis, quòd videlicet mori debeam? quandónam audiam, tempus eſſe, vt ex hac vitâ demum abeam? Ne, quæſo, ne ſtudeatis ſollicitè adeò corpori reſtituere incolumitatem: quod ergaſtulum eſt animæ cupientis ad Deum ſuum proficiſci. Quorſum ſolatium hoc differre, ſi me non eumdem iam, ſed vmbram nomenq́ue mei relictum videtis? Quorſum cibos & tot medicamenta præbere; quæ ob deficientis naturæ vitium nauſeam adferunt, & ſunt adhuc magis odioſæ res, quia morantur, ne properem ad finem meum?*

Vulgarant Medici quadam die, ire in melius ægritudinem; & ferè diſcuſſum, aut non ita certum eius periculum eſſe: ſed ea ſpes Medicorum, erat ægri mœſtitia; cui metus

maior vitæ, quàm mortis ſuberat. Ideò conqueri ſtatim cœpit; vt qui exiſtimauerat, ſe in portu eſſe, & nihilominùs agitari denuò intemperiis vitę huius,& aliquamdiu adhuc ſuperſtitem eſſe debere ſe, à Medicis intelligebat. Iterùm nullâ ſpe vitæ Medici fuerunt, propter notas letales, quas in eo emergere animaduerterunt; & tum hæc eorũ deſperatio, ipſius ægri propemodum triumphus erat. Deprehenſus verò eſt ſæpenumerò, dum lecti aulæâ eſſet obductus, accipere digitis pellem ipſemet ſuam, ac loqui in hæc verba: *Quid tu obſcura & ignobilis caro mihi adhæres adhuc? quid animam retines, nec ire illam pateris in domum ſuam? diuidere tandem, ac diſrumpere. O Domine, quàm inuitus hîc in terris moror! trahe me poſt te, tribue pennas columbarum; volabo, & requieſcam. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Denique modus eum exhilarandi erat,de diſſociatione ſpiritus corporiſque cum eo agere. Vt non immeritò plurimi ad hoc ſpectaculum inuitauerint ſe; ac viſi ſint cum diuo Bernardo dicere, vocatos eò ſe, vt hominem aſpicerent exultantem in morte,mortique inſultantem.

Inter hæc deſideria cœpere ſuas viciſſitudines, ſicuti de Sanctis Viris alijs legitur, ſpes & metus. Deum venerabatur, vt ab occultis mundaret ſe, & ab alienis parceret ſeruo ſuo.

Quam

Quam ob causam dixit non semel : *Optassem viuere annum adhuc integrum, in quo feriari ab occupationibus ceteris liceret; & hoc tantùm agere, vt magis repurgarem animæ labes, ac me totum innocentiæ immolarem; quò ita meditatus ad mortem accederem.* Parte ex aliâ, gnarus se non omnino imparatum ad mortem eamdem esse; nihil magis verebatur, quàm, ne rursùs valeret, ac ne viueret diutiùs: versabatque animo, repertos esse nonnullos, qui annos plurimos traduxerant cum opinione sanctitatis; & demum superstites nimis diu, incerta de se iudicia posteris reliquerant. Porrò admiratione digna res fuit, aspicere, quàm ipse cogitatè res gestas vitæ suæ, eo momento vltimo, discúteret; siquidem etiam virtutes magnæ videbantur ipsi tunc à verâ æstimatione deficere.

Ex hoc genere, solùm præ aliis religio erat, quòd se abdicasset Capuæ Archiepiscopatu: vbi rebatur potuisse maiori cum fructu suam industriam collocari, quàm Romæ licuerat; & tamen ibi procurationis duxerat suæ, omnia quæ ad Ecclesiæ commune bonum poterant conferre. Sedenim erat rursus in tranquillo animus eius, dum reputaret, eam abdicationem factam ideò fuisse, vt Summo Pontifici ita disponenti, Romæ obsequeretur. Conscientia eius tam innocens, multò

 magis

magis eminere visa est, quarto quàm ægrotauerat die: quando nimirum ante sanctissimam Eucharistiam, sacrâ exomologesi animum expiaturus (quod refert P. Iacobus Minutulus, qui tunc ei aures dedit) bis in seipsum inquirens, etsi nec animi impos, nec in febri vehementiori versaretur, ne labeculas quidem vllas minimas inuenit, in quas posset ritè pronuntiari Sacerdotalis absolutio. Quocircà necesse habuit, rarâ penuriâ culpæ, noxas aliquas generales repetere, quas Sacramento pridem aboleuerat, & sententiæ sacræ illas iterùm subiicere.

Verùm haud hoc mirum videbitur consideranti studium accuratum, quo in eo pio secessu ex Aulâ, se Deo penitus deuouerat. Manè siquidem, ita vt erat æger, non priùs expergiscebatur, cùm Breuiarium petebat, vt persolueret Sacerdotale pensum. Et quia id Medici vetuerant, ipse obtestari contrà, atque asseuerare cœpit, sibi adhuc superesse vires atque animum; & se fraudari non debere fine illo, propter quem venerat in Domum Religiosam Ordinis sui: nempe vt meditari, vt supplicare Deo; vt libros pios euoluere, spretis aliis occupationibus, liberiùs posset. Addidit quoque: *En ego in profanum aliquem virum mihi iam videor desinere: Horas enim Canonicas non recito, Missæ sacrificium omitto,*

omitto, Contemplationis vſu priuor, nihil boni ago; & corpori nutriendo ſeruandoq́ ſolùm deditus, animæ exercitia meliora, muniaq́ eius obire prohibeor. Poſt hæc, Roſarij ſaltem recitandi veniam rogauit: & hoc etiam voluiſſent Medici non permittere, ne capitis grauedo ei augeretur: ſed non auſi ſunt, eiuſmodi ſolatium negare; & conceſſere eâ lege, vt interuallis diſtinctis, & per decades oraret. Horis morbi leuioris, & iis diebus in quibus ſui potens erat, de rebus piis tantummodò loquebatur; vtque animus eius releuaretur, SS. Pontificum & Confeſſorum hiſtorias audiebat. Præcipuè dum Seraphici ſancti Franciſci vita ei legeretur, integrato ſæpiùs fletu, ob eximias laudes ac virtutes eius, lacrymatus eſt, anhelans ſuſpiriis crebris ad ſimilem perfectionem. Patientia eius in perferendis morbi & curationum moleſtiis inſignis planè fuit: ſed inſignior erat commiſeratio eius erga illos, qui ſibi ægrotanti famulabantur. Nam idemtidem aiebat: *Quis ego ſum, cuius causâ tot ſumptus fieri, tot etiam ærumnæ tolerari debeant? Meine causâ ſollicitos eſſe oportet, & noctes vigiles ducere tot ſeruos Dei?* Medicos item quatuor primarios, ægrè patiebatur ad ſe, in extremam Ciuitatis partem, viâ præſertim accliui, quotidie conuenire. Cubiculi adiutores, & eos pariter qui à

pedibus, non iam appellabat famulos, ſed fratres; iubebatque, vt in ſui cuſtodiâ mutarent vices, prouidus erga neceſſitates eorum, dum erat conſtitutus in vltimâ mortalium omnium neceſſitate. Erga ſe tamen non erat ita miſericors: nam aridis faucibus cùm eſſet, & ſiti moleſtiſſimâ diſcruciaretur, gelidâ os tamen proluere (quod prodeſſe, nedum intemperiem æſtumque minuere poſſe, pronuntiauerant Medici) recuſauit; partim ne iis, à quibus curabatur, aut tædio aut nimio labori foret; partim vt etiam ipſe, cum IESV Crucifixo, ſitim in ſuâ illâ ægritudinis cruce toleraret.

Paruit ſemper, ſiue P. Generalis, ſiue Medici aliquid præſcriberent; etiamſi nauſeam adferret, quod ab eis præcipiebatur: & ſitus in lectulo erat tam verecundè, vt ad venerationem ſui omnes inuitaret. Primis diebus, quotquot eum viſendi causâ veniebant, excuſato alieno tempore, dimittebantur. Sed vbi percrebuit, Cardinalem Bellarminum decumbere ex morbo letali; debuit aditus externis patere: & ſingulos cuiuſuis conditionis excipiebat ipſe aperto capite; nec primus ante eos vmquam tegebat. Plurimi tamen intrabant venerabundi, vt lectum eius tangerent oſcularenturque, & vt benedictionem ab eo flagitarent: quos ipſe honores patiebatur

tiebatur veriùs, quàm accipiebat; nec aliter eos permittebat, quàm si statua, sensus omnis expers, honoraretur. Coactus insuper aliis benè precari, manu oculisque in Cælum sublatis, Patrem misericordiarum pro eis priùs implorabat: & in hunc modum Præsulibus, Religiosis, & viris Nobilibus plurimis benedixit; sicut & generatim nostræ Societati vniuersæ, Ordini Cælestinorum, Cœnobio sanctæ Marthæ, & omnibus piis domiciliis, quorum viuens patrocinium habuerat. Benedictionem item cumulatissimam impertiuit, rogatus à variis, Sacro Romano Imperio, Catholicis Regibus & Regnis; ac supplicauit Deo quàm demississime, vt regiones hæresi affectas, tandem ab eo contagio liberaret. MAPHÆO CARDINALI BARBERINO, qui iam est SVMMVS PONTIFEX VRBANVS VIII. suadenti, vt è Cælo pergeret Ecclesiæ vniuersæ patrocinari votis, sicut in terris doctrinâ moribusque suis egregiis viuens egerat; respondit: *Quod ego hactenus fecit, tenue quid admodum fuit; & nihil est, quod in præsentiâ iam ago: propterea non videor id posse polliceri de me; præsertim cùm non sim ita paratus ad mortem, vt securus possim ad seuerum ac verendum tribunal Dei postulari.* Voluit deinde Cardinalis Barberinus, venerationis causâ, ipsi manum exosculari; sed in

hæc obſequia feſtinantem, Cardinalis Bellarminus, non ſine admiratione, tametſi ſummè debilitatus, præuênit, & primus ei oſculum dedit: vt dici potuerit, cùm ad cetera æger eſſet, officiis tamen valere. Quæ res, veluti præſagitio futuri Pontificis, deinde multis viris grauiſſimis viſa non immeritò fuit.

Inter primos, ad eum contulit ſe, omiſsâ negotiorũ mole, ipſemet GREGORIVS XV. Summus Pontifex; quod eſt Romæ rariſſimum. Eum verò Cardinalis Bellarminus reueritus, ſicut Chriſti Vicarium; quàm potuit obſequioſiſſimè, vſurpauit illas ſupplicis Centurionis voces: *Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Ecquis enim ego ſum, quem hoc honore dignetur Sanctitas Tua?* Sed Pontifex peramanter bis eum amplexus; Aduenißem, inquit, libentiùs, vt ſanum inuiſerem. Poſt hæc pollicitus Miſſæ ſacrificium pro eius valetudine, oſtendit ſperare ſe futurum etiam, vt conualeſceret. Tum dixit Cardinalis Bellarminus: *Ego ſi annos meos, & Dei beneficia diu computo, diu vixi: quippe, qui expleui ferè annum nonum & ſeptuageſimum. Neque vitam cupio diuturniorem; ſed tantùm vt Dei voluntas fiat. Orabo tamen, cùm ad Chriſtum Dominum, atque in Patriam venero, vt Tuæ Sanctitati Deus ætatem parem huic meæ tribuat, pro bono Eccleſiæ*

ſanctæ

sanctæ suæ. Pontifex contrà, pietate simul atque humanitate singulari; Mallem, inquit, Deus meritum tuum, quàm æuum mihi concederet. Bellarminus verò hæc admodum confusè audiens, vt qui auribus parum valebat; prosecutus est quod inceperat: & se vocans inutilem senem, qui corrumperetur situ, ita miserè cubando, addidit; nihil se magis optare, quàm vt tamquam onus terræ superfluum, aliò deportaretur. Quæ aliaque dum ex modestiâ sereret, Pontifex vltimos illi amplexus dedit; & perfusus lacrymis mutuis abiuit. Ex eâ die arceri Cardinales alij nequiuerunt: qui non per nuntios iam inuisere, sed ipsimet adesse cupiebant; vt in Cælum abeunti valedicerent, & vt eius se votis ac precibus commendarent. Venêre itaque admiraturi, in Collegâ egregio, laudatis Sanctorum mortibus exitum parem; & eâ frequentiâ quidem adfuere, vt vno die eum conuenerint Cardinales decem. Et sanè, ita circumfusus amplexibus Purpuratorum; videri poterat, veluti triumphans, ex hac vitâ migrare potiùs quàm mori. Quinque eorum, qui vnà fortè aderant, rogarunt in digressu benedictionem illius: sed recusauit Bellarminus; vt qui diceret, debere sibi eos æquiùs benedictionem impertiri. Tum illi, lecto ipsius aduolui, & dexteram certatim osculis fatigare

coepe-

cœperunt; cùm ex eorum oculis lacrymæ interim præsilirent: nec inferius Purpurâ ducerent, tantam iacturam Sacri Collegij fletu eo decoro testificari. Vnus ex eis etiam, cùm semel ac sæpiùs Cardinalem Bellarminum adiuisset; postremò discessurus, in genua procubuit, & manum eius, oculis & capiti suo, plenus venerationis, imposuit. Intereà his, qui circumstarent, adhuc maiori admirationi fuit; quòd Cardinalibus illis abeuntibus Bellarminus dixerit, nouam esse eam obsequij rationem, quâ Cardinales iidem benedictionem ab altero Cardinali petierant. Et cùm Aulici eius, qui aderant, responderent; fortassis eam ideò peti, quia erat Archiepiscopus, cui potestas benedicendi congruit: tum ipse maiori cum innocentiâ; Annuissem ego, inquit, faciliùs, si hoc nomine id à me ipsi postulassent. vsque adeò erat alienus à propriæ opinione virtutis. Hæc ampla Cardinalium & Vrbis totius erga ipsum studia, hortabantur adhuc magis eos, qui præerant ipsius curationi, vt quibus possent medicamentis conarentur vitam eius fugientem retinere: circumferebatur enim passim ea vox, eratque in ore omnium; si humano sanguine occurrere huic tanto damno liceret, neminem fore, qui libenter pro eo cruorem proprium non esset effusurus.

CAPVT III.

Mors eius.

CVm id Medici procurarent ſtudio atque induſtriâ omni, vt in Cardinalis Bellarmini corpore noxium æſtum reſtinguerent; Patres Societatis animæ procurationem, ex ipſius etiam ægri admonitu, non intermiſerunt. Ideò, quia veriti ſunt, ne ſi phreneſis creſceret, ægro facultas adimeretur ſumendi ſacram Synaxim, primùm de periculo eum certiorem reddiderunt, quatriduo quàm ægrotauerat; & dein obtulerunt Cæleſte Viaticum. Sed Cardinalis, tempus pro eo adhuc ſupereſſe reſpondit: maluitque pabulo illo vitæ refici, ex affectu priuato; cùm præſertim ea refectio ſupplere pro Viatico poſſet, ſi fortè improuisâ vi aliquâ morbi opprimeretur. In hac verò ægritudine eodem cæleſti cibo nutritus aliquoties fuit; ac ſemper, ob venerationem illius, lectulo egredi, atque humi procumbere in genua voluit. Vndecimâ morbi die, cùm noctem totam inquietus atque exſomnis tranſegiſſet, & à letalibus ſingultibus concuteretur; agnouit inſtare corporis ſui vltimam ruinam. Ingeminare itaque illud cœpit: *Cur mihi differtis nuntium diu optatum, nuntium delectabilem*; *quòd videlicet proficiſci*

debeam

debeam in domum meam? O quàm ego cuperem ad expeditionem hanc magis præparatus inueniri! & sic inchoatâ allocutione, cum ingenti suspirio, repentè congemuit; *O quàm miserè,* inquiens, *falluntur ij; qui cùm perditè viuant, credunt se posse laudabiliter mori! Benè viuere, ac benè mori vtique congruunt; at vitam probrosam rarò excipit honestus exitus.*

Intereà P. Mutius Vitellescus Generalis, conscius periculi eius, appetere horam illam, quam diu optauerat, ei nuntiauit: & tum ipse, vt sapiente dignum erat, lætus mortem admittens, ac superfundenti se lætitiæ vix temperans, ter illud congeminauit: *O lætum nuntium, ô nuntium optabilem! angi curis alijs non debeo: voluissem, fateor, annum integrum ad eiusmodi profectionem hîc, in loco sancto, me adornare: sed quia me Deus vocat; vocantem sequor, & obsequor iubenti.* Post hæc excusauit rei familiaris paupertatem; doluitque non plus peruenturum ad Domum Professorum Societatis IESV; quam instituerat heredem, vt ab ære alieno liberaretur. Sed P. Mutius, bono esset animo, hortatus est; aitque, Societatis homines, memoriam ipsius intuentes, ad cetera caligare: imaginem vitæ eius, & in eâ quidquid boni amauerant, quidquid mali etiam admirati fuerant, ipsis relinqui: id verò ab eis, quouis legato hereditario, iure ac meritò,

ritò, pluris fieri. Deinceps nihil aliud agere visus est, quàm preces varias atque Hymnos Dauidis recitare; vel audire pios obitus Sanctorum, ac præ alijs mortem S. Caroli Borromæi: ex quâ solatium etiam illud habuit, quòd S. Carolus perinde morbo simili, febris cum delirio, ex hac vitâ migrasset.

Quando sumere debuit Viaticum peregrinationis suæ; Patres Societatis, quia semel atque iterùm voluerat humi prosterni, & ita cibum eum cælestem venerari (cui conatui natura iam deficiens, par non erat) rogarunt, vt in lectulo contineret se: sed fuit potentior in eo pietas, & obseruantia erga communem Dominum, quàm periculum imminens ex illâ iactatione. Quippe vix in conspectu habuit Augustissimum Sacramentum; cùm, supplente vires animo, humi se in genua prouoluit celeritate mirabili: & postquam in situ illo generalem Confessionem dixerat, Seruatorem vitæ suæ in pectus atque in cor piè admodum transmisit. Mox lacrymis manantibus, & quasi linqueretur animo, in Socios, à quibus sustinebatur, recubuit; & in eâ defectione videbatur vsurpare verba illa: *Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?* Tollentes itaque eum, veluti sopitum dolore

dolore morbi, aut potiùs cælesti aliquâ suauitate à sensibus abalienatum, lectulo confestim reddiderunt: in quo adductis aulęis, moras aliquas piè meditans, quieuit.

Non ita multò pòst flagitauit extremum Sacramentorum; & dum eodem, ad animi robur, Christianus Athleta inungeretur, pronuntiauit distinctè omnia; veniam, ob ea quæ peccauerat, deprecans moriturus. Ab illo temporis momento, voluit ad imam partem lecti aptari amabilem iuxtà miserabilemque Domini sui in Cruce pendentis effigiem: vt vita, quæ paulatim collabebatur, ante Crucis aram caderet, inueniretur q; abscondita cum Christo in Deo. Et semper deinceps, aut visus est cum Superis & Deo agere dulcissimè, aut est auditus de morte suâ adproperante perinde atque de nuptijs loqui.

Interturbauit pacem hanc solùm paupertas, in quâ moriebatur; & metus, ne Societatem heredem, ob expensas funeris, potiùs deiuuaret. Tametsi enim in Testamento sumptus pro exequijs minui desiderauerat, Pontificem venerans ac rogans in tabulis illius, vt permitteret piaculare officium, cui à defunctis nomen, sibi absque pompâ, & absque consessu sacri Collegij, à solis Religiosis nostri Ordinis celebrari; atque insuper à Præposito Generali petierat, vt fineret, se in communi

muni sepulchro Sacerdotum nostrorum tumulari, quemadmodum de beato Laurentio Iustiniano in eius historiâ legerat: nihilominùs rebatur adhuc arduum fore, ex totâ hereditate promere aureos quingentos, quos pendere Cardinalium heredes debent, dum eorum annulum referunt; atque adeò summas minores alias persoluere, quæ solent in funere Cardinalium aliis repræsentari. Idcircò deliberauit, Cardinalis S. Susannæ amici sui operâ, pro earum expensarum gratiâ, apud Pontificem vti: cessitque res, vt optauerat; nam Pontifex annuit circa pensionem annuli: & ipse ab eâ molestiâ liber, cœpit multò magis in tranquillo esse.

Quædam alia disponere insuper eum oportuit; interque alia, legatum, quod destinauerat Ecclesiæ S. Mariæ in viâ Tituli olim sui, addixit titulo alteri S. Praxedis, cum quo moriebatur. Prætereà, quia Testamenti Curatorem aliàs Cardinalem Petrum Aldobrandinum nominauerat; huic, vtpote Auunculo iam defuncto, Hippolytum Cardinalem Aldobrandinum subrogauit. His peractis, à prouiso sibi Crucis simulacro vix deinceps amouere oculos visus est; nisi cùm vellet ad circumstantes animo redire, salutare aduentantes, valedicere omnibus, suffragia & pia-

 cula-

cularia ſacra petere à plurimis, amplexari aliquos charitate ſummâ, præcipuè verò conſolari dulciſſimos Socios; pollicitus, vbi in Cælum iret, ipſos tum in ſuâ mente & corde ſecum ituros, neç futurum vnquam, vt in Cælo eorum obliuiſceretur.

Intererat P. Andreas Eudæmon Ioannes, vir intimâ conſuetudine Cardinali Bellarmino apprimè carus. Amicum itaque amplexatus tenerrimè, vltimum hoc rogauit, vt ſtatim atq; librum aliquem imprimeret contra hçreticos, affirmaret de ſe, quo pacto è viuis migrabat cum eadem Fide cum quâ vixerat; & quæcumque pro Eccleſiæ defenſione ſcripſerat, edideratque, non modò eadem iterùm aſſerebat, ſed credebat ea etiam perfectè; vtpote concepta priùs animo, quàm calamo. Porrò vt ſupereſſet monumentũ conſtantiſſimæ ipſius vſq; ad vltimam ſenectam Fidei, P. Andreas verba eius in codicem referri voluit; & ſubſcribi ac iurari etiam, coram publico Scribâ, ab iis qui interfuerunt: & ferè huius monumenti ſyngrapha hæc habet:

Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus IV. *Idus Septembris anno* M. DC. XXI. *mihi Andreæ Eudæmon Ioanni è Societate* IESV *iniunxit, vt teſtificare r, quæ ipſe cuncta pridem ſcripſerat, edideratq́, pro Fidei & Religionis Catholicæ defen-*

ſenſione, ea rurſus affirmari à ſe, & cum eadem Fide,quam tutatus viuens fuerat, ſe pariter mori. Item quoad opiniones de Auxiliis Gratiæ Dei, quæ inter Scriptores Societatis IESV *& Catholicos Auctores alios hodieq́; agitantur, à ſe râta omnino haberi & credi, ſe dediſſe veritati, quæ in libris Controuerſiarum de iiſdem aſſeruit; neque ſententiam primam ſe vllatenus mutauiſſe. Huic verò eius. poſtulationi rogati à me ſunt, vt nomen adderent tres Cardinalis ipſius Agnati, Abbas Nicolaus Bellarminus, Marcellus Ceruinus, P. Fabius Bellarminus; duo inſuper cubiculi eius Adminiſtri, & quinque alij noſtri Ordinis Religioſi, qui Cardinali Bellarmino ea profitenti, mecum adfuerunt.*

Intereà cœptum eſt diſſipari Vrbe totâ, cùm omnem curam vinceret ægritudo, vitam Cardinalis Bellarmini ſenſim labi; omnibus admirantibus, ſic ea, quæ triſtes audirent, accelerari. Ideò non alia tum erat materia ſermonum inter Magnates,& inter priuatæ conditionis homines,quàm pietas,charitas, & ceteræ virtutes Cardinalis Bellarmini; qui paſſim, quoniam paupertati ſubleuandæ mirè obſequens fuerat, PATER PAVPERVM appellabatur. Venêre ad domicilium S. Andreæ, viri omnium Ordinum tam frequentes,vt ab eorum ingreſſu aditus cuſtodiri ampliùs nequiuerint. Hi verò certatim

oculis haurire gratum illud ſpectaculum, nec ſatiari tamen, videbantur; dum vel aſpicerent, palpebris clauſis cæleſtia eum contemplari, & tantùm voce tenui, quam proximi vix audiebant, cum Deo agere; vel clarè, his qui aderant, verba Vitæ Æternæ, velut hereditarij muneris loco, diſpenſare: vt propterea ægrè ſibi temperarent, quin meritis laudibus ita coràm onerarent modeſtiam illius. Ad hæc affirmabant aliqui, experiri ſe in cubiculo illo vim neſcio quam inſolitæ pietatis; ex vultu eius emicare ſanctitatem; atque adeò auram ipſam loci conſecrari verborum ſonitu pariter, atque halitu ſuſpiriorum eius. Pluribus intrare illuc, niſi caſtè ſanctéque, religio erat: nec fuere pauci, quibus pius hic animi ſenſus vbertim lacrymas eliciebat. Sed argumenta venerationis illuſtria in primis ea fuerint; quòd cùm vtenſilia eius ſecum, vti reliquias, referrent multi; & iam Roſaria, pileoli, atque huius generis alia, vel diſtributa eſſent omnia, vel deſtinata variis; demum nocturna capitis tegmina, linea ceruicalium puluillorum inuolucra, manicas ſubuculę, ac nodulos eius ſurripuere tam auidè, quàm non aurum aut gemmas poſſent. Cardinales ipſi, & Præſules Magni pro ſe talia flagitarunt; nec ij modò qui Romæ verſabantur, ſed qui aberant etiàm. Quo pacto,
Ca-

Caprarolæ agens ad amœnitatem Odoardus Cardinalis Farnesius (qui ex veneratione, quâ ferebatur erga Bellarmini sanctitatem, inauguratus non ita pridem ab eo fuerat Episcopus Sabinensis) à P. Iacobo Minutulo Rosarium, aut Breuiarium eius postulauit: & cùm is Epistolæ illius rescriberet Breuiarium pro ipso retineri; nouas ad eum litteras ferè in hæc verba dedit:

Mærere animi equidem debui, cùm ex litteris tuis cognoui de iacturâ, quam breuî patiemur, sublato è viuis optimo Cardinali Roberto Bellarmino; tametsi quotquot eum diligunt, solatij causas ex eo capite sumant, quòd terras propediem cum Cælo sit commutaturus. Mæror hic tamen haud minuit obligationem erga te & meam; tum quia mea illi obsequia & venerationem significaueris, tum verò, quia de ægritudinis conditione, ac de apparatu retuleris, quo disponit se tam egregiè, vt in Cælum eat. Oro quæsoq́, vt subinde, dum viuet, commemores ei singularem obseruantiam meam; sed & subsidium ab eo poscas, quod mihi ominor præsentissimum, ex precibus illius, postquam in nostram veram patriam migrauerit. Ex charactere sacro, quo per manus eius inscriptam animam gero, ipsius creatura sum; & ideò velim impetret mihi, vt in posterum vtar meliùs donis, quibus me Deus copiosè adeò cumulauit. Præ-

tereà post eius felicem exitum, cupio, vt in commentarios breues congeras, quæcumque dixerit aut fecerit, tum in omni ægritudine, tum in horâ vitæ postremâ: cum certò mihi persuadeam, argumentum non defuturum, tibi vnde scribas, & mihi vnde discam. Sic ego sensus illos faciliùs domitos habuero, quibus humana imbecillitas in eiusmodi virorum obitu vix, aut rarò caret. Interim tibi ex animo me offero. Caprarolæ I V. *Idus Septembr.* M. DC. XXI. Deinde adiecit manu suâ; *Doleo plurimùm ob iacturam tanti viri: sed ex famâ recreor, quæ iam vbique incepit de illius sanctimoniâ peruagari.*

Cardinalis Bellarminus, in quo laudes animi numquam ægrotauerant, obsequiosâ hæc aduersum se officia huius Cardinalis magni audiens, cœpit tum ipsius, tum Gentis Farnesiæ in Societatem IESV, in se, atque in maiores suos beneficia recensere; affirmauitque, dolere se, quòd gratiis referendis, quibus parem animum habuerit, voces & vires impares habuisset semper. Ex studio persimili gratitudinis, quia intellexerat, inter Patronos Collegij iuuenum Germanorum adlectum esse Franciscum Cardinalem Boncompagnium; gauisus est, Nobilissimæ Nationi, cui semper fauerat, id honoris accessisse, vt Patronum haberent eum, qui GRE-

GORII

GORII XIII. referens virtutem cum genere, poterat eis desiderium amissi olim Fundatoris & Parentis mitigare. Et tum pariter de huius optimi Pontificis erga Societatem vniuersam, & erga Nationes Mundi omnes summâ charitate beneficentiâque placidissimè disserüit.

Vt ad res, quas vtendas habuerat, redeam: quia Patribus integrum non erat cunctis eas tribuere, & ex alio capite deliberatum erat non paucis, pio aliquo eius pignore locupletari; miserunt varij pileolos nouos, Cruces argenteolas, Rosaria, vestes linteas, atque eâ quidem copiâ, vt sit constans opinio, solos pileolos, partim rubros byssinos, partim albos lineos, datos, vt ex eius contactu sanctitatem & meritum referrent, fuisse numero centum & quinquaginta. Ceterùm propriis indumentis sublatis, quibus amiciebatur interiùs dum viueret; necesse fuit mortuum thorace, femoralibus tibialibusque induere, depromptis ex vestiario communi Societatis. Quadratus pileus purpureus perinde, ab vno ex Cardinalibus, qui in vicinis ædibus habitabat, commodatò acceptus est; eâ lege tamen, vt procurato dein funere, velut ex vsu illo pretiosior, recuperaretur.

Auxit venerationem etiam, quòd triduo quàm obiret, Medici, vt ei grauedinem capi-

tis minuerent, admotis hirudinibus ad venas, ſub vtramque aurem, ſanguinem mitti voluerant: quod medicamentum aliorum pietati, quàm ipſius ſanitati veriùs parabatur. Æger enim, quamdiu lentitudo curationis illius durauit, immotus & defixis oculis in Cruce manſit: atque interim Medici, aliique albis ſudariolis certatim excipere ſanguinem conabantur; qui eo die ac nocte proximâ ſiſti numquam ita potuit, quin ſemper aliquantulùm flueret: attamen morbus ex eo remedio nihil remiſit. Ideoque à Pontifice perita eſt, ipſius nomine, Apoſtolica benedictio; cum indulgentiâ piaculari, quam aperto capite, ac præmiſsâ generali confeſſione, ſuſcepit. Aliquoties prædixerat, ſperare ſe, futurum vt obiret ſextâ Feriâ, eoque die qui ſancti Franciſci admirandis vulneribus eſt ſacer; fortaſſe vt non deeſſent morituro ad ſpectaculum, ex geminâ eius diei recordatione, vel amoris vulnera, vel doloris. Hoc ſi deſiderium fuit, annuit euentu ſecundiſſimo Deus; ſi oraculum, cum prædictione vota eius cõgruerunt. Etenim, dum intenderet ſe nox, poſt Feriam quintam quæ fuit XVI. Kalend. Octobris, hoc eſt, pridie eius celebritatis, horâ ab occaſu Solis circiter tertiâ, cœpit animam agere. Accurrerunt illicò Patres, quotquot in eo Probationis domicilio morabantur;

tur; vt horâ illâ decretoriâ æternitatis hoſpitem & ſocium egregium iuuarent, luctantiq́; animæ facilem ac pium exitum precarentur. Durante tractu & lentitudine mortis, tametſi iam algerent pedes manuſque, & ab extremis partibus corporis vita paulatim decederet; nihilominùs ferè ad finem vſque feruido & compote mentis pectore, os illud Sacerdotale ſacrificia laudis Deo ſuo immolauit. Verſiculos Pſalmorum tempori aptos, integrum Pſalmum quinquageſimum, Apoſtolorum Symbolum, Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam piè iterans; ſubinde interponebat ſuauiſſima IESV & MARIÆ nomina, ac etiam per interualla illud: *Sancta* MARIA *Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in horâ mortis noſtræ.* Sed enim ſpectaculum longè iucundiſſimum erat, intueri eum exoſculantem Chriſti Domini è Cruce pendentis effigiem. Quam ipſe Crucem arctiſſimè complectens, ſatis indicabat, diligi à ſe impensè admodum Seruatorem vitæ ſuæ. Hunc denique cùm vellet vltimis obſequiis venerari, arripiens ſimulacrum eius cum ſalutiferâ Cruce, reuelauit manu tremebundâ caput; & eo ſimulacro ſemel iterumq́; frontem conſignauit. Poſteà Crucem eamdem ſuperponens humeris, quaſi cum eâ facturus iter, tandem ſupra pectus eam, ſubter lintea

collocauit; cor euocaturus, vt per ea vulnera immoreretur Deo suo: & moribundas manus in his obsequiis reliquit. Cum indiciis tantæ pietatis vita Cardinalis Bellarmini peruenerat sub Auroram xv.Kal.Octobris, quæ ortus ei lucis lætissimæ fuit, cùm obscurari oculis cœpit, vt in Cælo videns redderetur: ac simul loqui desiit; nec, nisi ea quæ pronuntiabantur clariùs, intelligere videbatur. Tum, qui erant in genua prouoluti circa lectũ eius, potuere securiùs Rosariis, icunculis, piisque aliis symbolis eum onerare; vt hæc virtutem exeuntem cum animâ acciperent, & retinerent viri sanctitatem. Atque ita sine laterum vexatione, sine spiritus angore, ac pænè immotus, sed spirans tamen, à Generali Præposito inuentus est, & à plurimis, qui ex diuersis Domiciliis Societatis, die illucescente eo momento conuenerant, vt Amico in Cælum proficiscenti benè precarentur; pauloq; pòst, nullo signo pauefactus, ac sine deprauatione vultus, tranquillissimè defecit, vnâ horâ circiter post exoriẽtem Solem, anno M.DC.XXI. cùm ei deessent dies decem & septem, vt attingeret annum vitæ octogesimum, VI. Feriâ, in quam eo anno incidit anniuersaria celebritas Stigmatum sancti Francisci: per omnia sortitus exitum, qualem optauerat; & planè dignus, qui, etsi peruixit ad summam ętatem,

omnium

omnium Ordinum fletu, tamquam id fuisset breue spatium vsibus Ecclesiæ, ploraretur. Postquam expirauit, velut emerso ab admiratione animo, cùm plerique, qui aderant, stetissent silentio defixi, libero conquestu coortę voces, & lacrymæ manarunt; adeò vt intereà, dum pro eo vsitatæ preces recitarentur, neque singultibus neque osculis parceretur. Sic in sedes Piorum digressus est Cardinalis Bellarminus, vir qui vitâ & morte consentaneus, coniunxit raro miraculò doctrinam summam, & summam humilitatem; prudentiam maximarum rerum effectricem ad obsequium Dei, & pænè puerilem simplicitatem; singularem clementiam, & mentem retinentissimam æqui; secretum animi assiduum ob studia priuatæ pietatis, & negotia perpetua propter Ecclesiæ communem vtilitatem; denique consuetudinem agendi, expertem omnis Aulicæ simulationis, & plenam tamen apud Principes quoscumque existimationis venerandæ: cùm agnoscerent cuncti, laruâ ipsum idcircò non vti, quia faciem veram virtutis præ seferebat. Hinc meritò à plurimis, Norma Religiosorum, Antistitum exemplar, lumen Sacri Collegij, & magnus Ecclesiæ Magister salutabatur.

Vt pauca de corporis quoque lineamentis addam; staturâ fuit, quæ ad mediocrem accede-

cede-

cederet: frontem habuit latam, oculos viuaces & iucundos, nasum leniter incuruum, prægrandes aures, & os decens; capillos in capite densos albentesque in senio, in priore ætate nigros; barbam aliquantulò rariorem; carnem rubicundam & candicantem; humorum temperiem, aut cum excessu nullo, aut declinantem nonnihil ad iram, naturámque præferuidam. Valetudine ad hæc vsus est non improsperâ, & cerebri vi temperatâ, idoneâq; laboribus assiduis studiorũ negotiorumque perferendis. Ceteris verò membris æqualis & congruens, sic vultu & incessu toto ferebatur, vt non aliud ferè potuisset Modestia ipsa magis aptum sui delineare simulacrum. In Commentario publico, in quem referuntur Cardinalium singulorum obitus, his verbis describitur mors eius: *Die* XVII. *Septembris* M. DC. XXI. *Reuerendissimus* D. ROBERTVS BELLARMINVS *Presbyter Cardinalis de Monte Politiano, ex venerabili Societate* IESV *hac die, horâ duodecimâ, de Regione mortuorum transiuit ad Regionem viuorũ. Vir clarissimus, Theologus eminentissimus, ac Fidei Catholicæ propugnator acerrimus, hæreticorum malleus, æquè pius, prudens, humilis, ac summè eleëmosynarius. Sacrum Collegium Cardinalium, ac vniuersa Curia Romana, tanti viri amissionem, non sine lacrymis, maximè indoluere.*

CA-

CAPVT IV.

Honor & frequentia ad Exequias, & ad sepulturam eius.

VIx obierat Cardinalis Bellarminus, cùm declinandi causâ populi frequentiam, per secretum inferioris pomarij ostium, eius corpus ad Professorum domum Patres clàm deportauerunt; atque ibi obseratis foribus, intra conclaue latuit, dum gypso imaginem eius, solatio posteris futuram, exprimerent plastæ. Paulò pòst dum aditum alij atque alij impetrant, eosque, vti fit, consequuntur multi, paulatim liber accessus omnibus factus est; nec ante primam obscuræ iam noctis horam, visendi eum copia negari potuit. Aduenere porrò indiscriminatim summæ & mediæ conditionis homines; Præsules multi, & ex Cardinalibus item aliqui: nec ij eum modò venerabantur, sed & contingere victrices manus studebant. Ex quo Præsul aliquis primæ notæ, nixus genibus, dextræ eius pollicem atque indicem, quos, vt pro fide Catholicâ scriberent, Deus gladio armauerat Verbi sancti sui, ampliùs quinquagies exosculatus est: & Præsul alter dignitate nihilò inferior, mox digitos eosdem fermè osculis totidem decorauit. Deliberauerant Medici,

cadauer

cadauer demptis iliis & præcordiis (tametsi testamento id Cardinalis Bellarminus vetuerat) præparare; pro quâ re veniam Pontifex dederat: & ideò Bernardinus Castellanus, Medicus intimus eiusdem Pontificis, ipsemet vnà cum fratre, qui sector erat in Vrbe, voluerunt hoc defungi munere; præmunieruntque balsamo atque aromatibus corpus eius, ne putresceret ac deflueret. Sed non fuit necesse in promptu vasa cum linteis habere, vt sanguis manans ex thorace pectoris, aut stillans ex cerebro humiditas exciperetur. Multi enim, qui in conclaui erant, sudaria spongiasque cruore madefacere tantâ auiditate visi sunt, vt vel guttam in corpore non reliquerint. Medicus insuper secum, præmij loco, particulam cranij reportauit.

Post primam lucem, XIV. Kalend. Octobris, corpus eius habitu Presbyteri Cardinalis ornatum, Nobiles Sodales diuæ Virginis Assumptæ in Sodalitij locum intulerunt; vt ei, tamquam Sodali, iusta ibi persoluerent. Et tum fuit necesse, vt viri primarij quatuor loculum tegerent, ne impetu læderetur; dum hi manus, hi pedes osculari, & corpori Rosaria certatim admouere pro se nituntur. Ingressus illuc F. Bonauentura, Generalis Procurator Ordinis Minorum S. Francisci, quemadmodum ipse affirmauit, ad primum
eius

eius conſpectum ſacro quodam horrore perfuſus, vocem audire ſibi viſus eſt, quæ ſuauiter in animo ſucclamaret: *Ecce homo ſine querelâ, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni opere malo, & permanens in innocentiâ ſuâ.* Et ſenſit illicò ſe ad pietatem placidiſſime inuitari.

Quartâ circiter horâ poſt meridiem, quoniam precatio funebris de more fieri à Sacro Collegio Cardinalium in Templo noſtræ Societatis debuit; Pontifice non annuente vltimis eius deſideriis, quibus optauerat non ſepeliri pretioſiùs, quàm ſi obiiſſet vnus è numero Noſtrorum; ſub Templi tholo, & in præalto pegmate, corpus eius, ſupra lectum holoſerico villoſo nigro inſtratum, collocatum eſt. Habitu erat Sacerdotali, Mitram in capite gerens; ac iacebat ad pedes eius galerus è purpurâ, cum appenſis ſpiris cancellatim reticulatis. Templum vix reſeratum eſt; & momento Ciuitas intùs ſe plenis portis effudit. Quare cùm metueretur, ne inconſulta populi pietas, aut veſtes diſcinderet, aut corpus acciperet indigniùs; iudicarunt Antiſtites cærimoniarum, auxilio militari opus eſſe: & proinde eorum admonitu, neceſſe habuerunt Noſtri, Cuſtodes Pontificis Heluetios accerſere, qui vndam populi ſubmouerent. Hi ergo haſtati, lecto funebri circumſteterunt:

runt: ſed nequiuerunt impedire tamen, ne plurimi cuſtodias perrumperent. Dum enim hi arcerentur, aut illi; ſuggreſſi clàm alij (quod vnum licuit, quia pegma præaltum erat) ſitum ad pedes eius galerum è purpurâ ſurripuêre: & quamquam vi reuulſus eſt è manibus eorum; ſericæ eius appendiculæ ſaltem diſcerptæ, & reliquiarum loco à multis habitæ ſunt. Interim Noſtri, qui ád funus proſequendum pſallentes omnes, & aliqui etiam candidati proceſſerant, cœpêre vtrimque diſpoſiti, Pſalmos alternatim canere; cùm ipſe Præpoſitus Generalis preces regeret. Aderat in maioribus ſubſelliis Sacer Cardinalium Senatus, ſi tum vera memorarunt, numquam frequentior: ſiquidem eorum, qui in Vrbe reperiebantur, modò tres valetudinarios exciperes, vix vnus deſiderabatur. Supplicatio frequentiſſima fuit, & qualem ſenes non meminerant: nec oriebatur ex titulis humanæ magnitudinis illa veneratio, ſed ex opinione virtutis, cùm Sanctus omnium voce, iam tum, antequam terra eum tegeret, appellàretur. Et erat magnum eius morti decus, publica mœſtitia, quâ omnes lamentabantur, tantum præſidium ademptum vſibus humanis; ſed ante omnia inſigne fuit, quòd inopes eum vt parentem luxerunt. A militibus initiò ſatisfacere pio deſiderio,

accedere propiùs, rosariis tangere, omnes, vt dixi, prohibebantur. Paulatim tamen impetrari cœptum est, vt Pontificij Cursores bacillis argenteis, & Heluetij decuriones aliqui baculis suis, quibus turbam coërcent, ipsimet Rosaria confertim vicena & tricena Cardinalis corpori admouerent; donec hi toto eo tempore, hoc vnum agere coacti sunt: Rosaria verò ei admota, grauissimorum hominum æstimatione, circiter viginti millia numerantur: fuitque mira res, nullas, ex eo contactu, collisarum genarum sedisse in vultu notas. Has easdem significationes honoris non vsitati Cardinalis à Monte, in epistolâ, de quâ memini aliàs, censuit testes esse posse opinionis illius magnæ, quæ inhæserat animis omnium, de sanctitate ipsius: additque, meritò Cardinalem Montaltum, celebritatem huius diei, ex pietate hominum, atque existimatione veræ magnitudinis eius, duxisse longè potiorem, quàm si aut triumphum egisset, aut Pontifex fuisset electus: ceteris enim anteactæ vitæ, ei speciosior hic dies etiam mortuo illuxit. Tum quoque cœptus est circumferri de eo rumor perinde, ac si postridie Romæ agendum esset de ipso inter Cælites conscribendo. Quæ sententia eadem erat quoque Cardinalium aliquot: qui dum eam populi venerationem adspicerent; quia

mortui virtutem non ignorabant, pronuntiarunt, si vel duo eius imploratione contingerent diuinitus, ex iis quæ naturales causæ miraculo eximere non possunt, futurum, vt non persuasione vulgi modò, sed ore decernentium, ad aras ritu Sanctorum admoueretur. Funebres preces persolutæ iam erant; & recesserant Cardinales cum mœrore & comploratu; nec populus tamen à conspectu eius reuellebatur. Inuitabat quippe veluti superstes in manibus largitas, & relicta in vultu benignitas; atque ea etiam, quæ in ipsâ morte, Viri sanctimonia viuebat. Spatio demum temporis inducta est magna pars, vt excederet: sed multi mansere nihilominùs, qui manus pedesq; eius auebant priùs exosculari. Quod solatium flagitarunt etiam Principes feminæ aliquot: & ideò, Patribus lecto eius succollantibus, in sacellum beatæ Virginis corpus delatum est; milite pariter ad custodiam circumfuso. Cautum verò fuit, vt singuli qui ex vno Sacelli aditu admittebantur, perfuncti officio pio, exirent ex aditu altero; ne aduersi cum incommodo & morâ commearent: omnes autem, etsi recederent cum luctu, altiùs adhuc animis mœrebant. Posthæc in Sacrarium Templi relatum est corpus eius; atque ibi, obseratis foribus, in arcâ ligneâ compositum fuit, vt (quod enixè à

Præposito

Præposito Generali Cardinalis Bellarminus viuens rogauerat) in communi sepulturâ Patrum Societatis tumularetur. Factumque ita in eo Templo est, XIV. Kal. Octobris, cùm intereà Socij, quotquot ibi aderant, dicerent vnanimes: *Placidè quiescas anima pia, & nos, quibus obitus tuus extitit adeò luctuosus, ab infirmo dolore pertrahe ad contemplationem virtutum maximarum; quas non lugere decet, sed admirari, sed imitari.*

Die circiter decimâ quàm obierat, Societas IESV ei exequias, quanto tum potuit apparatu, fecit: maiori tamen pompâ, ob memoriam virtutum eius; quas laudauit Tarquinius Calluccius ex eadem Societate, oratione pereleganti; quæ typis edita, & Cardinali Odoardo Farnesio dedicata est.

Anno exacto, cùm Præposito Generali videretur, voto Cardinalis Bellarmini satisfactum esse; (quo videlicet locum inter Nostros sibi mortuo flagitauerat) obsequi postulationi multorum decreuit, qui non ferebant, mortem omnibus naturâ æqualem, in viro tam egregio, apud posteros tumuli gloriâ non distingui. Ergo P. Hieronymo Boschetto, qui Minister in Domo Professorum erat, iniunxit, vt transferret corpus eius. Eductum itaq; è communi sepulchro, XVII. Kal. Octobris, an. M. DC. XXII. & agnitum ab eodem

Præposito Generali, à PP. Assistentibus, atque ab eo qui à Secretis est Societati vniuersę, inuentum est pęctore & capite ex nullâ tabe vitiatis; erantque vultus non integri modò, sed recentissimâ specie. Quocircà cùm purè proluissent, indutum dalmaticâ, & Sacerdotali Casulâ carbasinâ, coloris violacei, incluserunt arcâ cypressinâ; quæ thecâ plumbeâ item obuoluebatur. Vacuum erat sepulchrum S. Parentis nostri Ignatij, prope aram Templi maximam, & ad dexterum eius latus. Nam is inter Cælites relatus, non ita pridem pro sepulchro aram obtinuerat. Generalis Præpositus, & alij Patres communiter in eo sepulchro condi corpus Cardinalis Bellarmini mandarunt; ita vt erat paratum, nec vllo emblemate, donec pro dignitate monumentum ei satis ornaretur. Nemo autem potuisset IGNATII sepulchrum occupare æquiùs: non modò quia in successore sanctitatis opinio par, & virtutes magnæ requirebantur; ne exprobrarent felices illi fereque triumphales lapides, intrare ignobiles exuuias in alienæ locum gloriæ; verùm etiam, quia, sicut narrauimus alibi, Cardinalis Bellarminus magna & prima occasio fuerat, vt IGNATIO ibi cælestes honores cœpti sint exhiberi. Qui propterea, migrans è sepulchro ad aram, videri potuit, in eius rei gratiam, tumu-

tumulum relinquere Viro de se adeò benè merenti; cui perinde tumulus ille, vt sperant multi, aliquando erit pariter ad aras via.

Interim, cùm potuerit sepulchrum corpus celare Cardinalis Bellarmini, haud sustulit cum eo memoriam eius, mansuram vtique æternitate temporum, famâ rerum. Multò minùs populi studia aut venerationem minuit. Siquidem pars alia vtensilium eius, quæ non prærepta fuerat, priusquam obiret, cùm miris flagitaretur modis; loco pij regijque muneris, distribui cœpta est in Dynastas, Cardinales, ac Præsules magnos. Quorum ne fiat census longior, illud verissimè affirmare sit, ferè Cardinales omnes, ac partem numerosiorem Principum tum Italiæ, tùm verò Transalpinarum Regionum, postulauisse res aliquas, quæ ab eius vsu, sicut interpretabantur ipsi, venerabiles redditæ essent; quò eas, vti pretiosas reliquias, seruarent. Fuit verò gloriosum, viros primarios, linguis & regionibus maximè disiunctos, hoc iudicium tam honorificum vnanimes de eo habuisse. Regina, Genitrix Christianissimi Regis Galliarum, cùm accepisset epomidem eius ex purpurâ, ac simul particulam cerebri, balsamo, ne difflueret, præparatam; Generali Præposito, à quo ea rogauerat, humanissimis litteris egit gratias: & eas Reliquias Re-

giæ Aulæ ſuæ oſtendit, ac propoſuit venerandas.

Gulielmus etiam Dux Bauariæ, cùm ab Vrbe Romà curarent ſeriùs, quàm optaret, ad ſe deferri picturam Bellarmini; per litteras illius, qui ipſi erat à Confeſſionibus, denuò petijt, vt citò, nec dubiâ viâ, mitteretur. Is verò in hunc modum P. Theodoro Buſæo Germaniæ Aſſiſtenti, ex Bauariâ ſcripſit:

Sereniſsimus Gulielmus amauit ſemper & coluit Cardinalem Bellarminum, propter eximiam vitæ eius ſanctitatem; quam de ipſo, quotquot Româ veniunt, honorificè deprædicant, præſertim PP. Capuccini, & PP. Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum. Imò etiam hoc narrauerant eius duo Sereniſsimi Filij, Philippus Cardinalis, felicis recordationis, & Ferdinandus Elector atque Archiepiſcopus Colonienſis, quando Româ huc remigrarunt: in quâ etiam Vrbe, Patri Bellarmino confiteri ambo conſueuerant. Neque dubitem, quin à Sereniſsimo Maximiliano, in veneratione pari habitus fuerit: nam frequens ibi conſuetudo ipſi cum Bellarmino interceſsit. Quoad reliquias eius; neque Sereniſsimus Gulielmus imaginem, neque Sereniſsimus Maximilianus epomidem ex purpurâ (quæ pia munera tamen auidè percupiunt) accepere. Rogant proinde R.V., vt à Domino Crinellio, iſtic eorum Agente, perquirat, num ea tandem miſerit? per quos?

quos? aut quâ demum viâ? quòd si verò habet adhuc ea penes se; per expeditum iuxtà & fidum hominem deferri eadem procuret, &c.

Andreas Lipski Episcopus Luceoriensis,& Regni Poloniæ Cancellarius, in epistolâ suâ, de quâ memini alibi; *Reliquias*, inquit, *Cardinalis Bellarmini, in hoc Poloniæ Regnum allatas esse, audio; & gratulor Societati, tam altæ frugi Alumnum; in quâ exactæ & pietatis & doctrinæ depositum reliquit.* Denique innumeri sunt, qui detractum frustulum togæ, aut aliarum vestium eius, idque summis precibus expressum, suspensum ante pectus, gerunt assiduè; nec tractant vmquam, nisi osculabundi.

Sed, vt redeam ad sepulturam eius; in eâ iam annum alterum iacuerat, absque vllis monumentis, quæ sculpta de ipso in lapide aut ære legerentur: & cùm multi eam, venerationis ergô, floribus ornarent, atque aliqui etiam, cereas accensas faces, ac votiua symbola, super eam humi relinquerent; PP. Societatis iussere semper eadem statim in Sacrarium deferri.

Interea, cùm ita sepulchrum eius frequentaretur; nec ignoraret iam Roma, ex Bellarmini imploratione varia cælitùs impetrari; facta potestas est à Sanctâ Sede, formandi Commentarios vitæ & miraculorum eius: ne

vtique Viri, de quo fatendum eſt, cùm plurimum doctrinæ habuerit, plus habuiſſe ſanctitatis, memoria periret ex obitu eorum, qui rerum ab eo geſtarum ſpectatores aut auditores fuerant; ſed ob finem laudabilem, in Codices publicos, quæcumque ij affirmaſſent, referrentur. His Commentarijs ritè conceptis Romæ, Parmæ; in Politiano, & in vrbe Capuâ; cenſuit Sacra Rituum Congregatio, vt Romanæ Rotæ Auditoribus ijdem diſcutiendi proponerentur: quod in præſentiâ iam agitur.

Ad hæc Odoardus Cardinalis, ex Gente Farneſiâ, cui noſtra Societas amorem & omnia ſumma debet, vt cohoneſtaret memoriam Cardinalis Bellarmini, vſus eſt eâ magnificentiâ & pietate, quam propriam & perennem habuit. Cùm enim ſciret, heredes à Bellarmino accepiſſe plus gloriæ, quàm ſupellectilis; vt qui pauperibus obſequens, non ſibimet dumtaxat, ſed etiam funeri ſuo paupertatis neglectum indixerat: honorificum ei ſepulchrum, & ornatius, quàm vllum aliud ſit in toto eo Templo, procurauit, ſectis lapidibus verſicoloribus, & ſignis diſpoſitis, opere Equitis Bernini Sculptoris non ſæculi ſui. Nullam verò, præter ipſum Bellarmini Nomen, incidi voluit elogij pompam; ratus meritorum huic Nomini tantam vim ineſſe,

quanta

quantā ſit ſatis, vt obliuio famam eius numquam extinguat. Inſcribitur verò in hunc modum:

ROBERTO
CARD. BELLARMINO
POLITIANO E SOC. IESV
MARCELLI II. P. M.
SORORIS FILIO
ODOARDVS
CARD. FARNESIVS
SVI ERGA VIRVM QVEM
PATRIS LOCO SEMPER COLVIT
AMORIS NVMQVAM MORITVRI
MONVMENTVM POS.
OBDORMIVIT IN DOMINO
ANNO SAL: M.DC.XXI.
ÆT. SVÆ LXXIX.

Atque hæc pars aliqua est rerum gestarum à Cardinali Bellarmino; hoc est Viro, qui numquam egit rectè vt agere videretur, sed quia aliter agere non didicerat; & qui spatium vitæ idem, quod & innocentiæ, vel inter summas dignitates habuit: quas recusauerit pulchriùs, an admiserit, an tenuerit, nemo facilè iudicauerit.

Vt sanè Vir aliquando Purpurâ, semper animo illustrissimus, consiliis mens ceterorum, opere & scriptione manus, & excedens adhuc virtutis miraculo, spem faciat fore, vt sicut imploratus non inutiliter à multis, confirmat in dies magis sanctitatem suam (quod fide tum priuatâ, tum publicâ testantur plurimi) sic eam, quam habet apud Cælites gloriam, sit aliquando etiam (vti ominantur omnes) in Terris consecuturus.

Postremò non hîc intexere volui catalogum Voluminum eius; tum quia non ita pridem, anno M. DC. XX. Coloniæ Agrippinæ, ipso superstite & approbante, omnia simul Opera eius, septem magnis Tomis comprehensa, expensis Bernardi Gualteri, edita fuerunt; tum verò quia de Cardinali Bellarmino possunt ea vsurpari perinde, quæ de sancto Cypriano sanctus Hieronymus dixit olim, nempe: *Huius ingenij superfluum est indicem*

dicem texere, cùm Sole clariora ſint Opera eius. Et quia his Operibus Eccleſiam illuſtrauit, eamque ſimul cumulauit virtutibus admirandis; idcircò cùm dixerit Chriſtus; *Qui fecerit & docuerit, hic Magnus vocabitur in Regno Cælorum*; hinc affirmare ſit, Cardinalem Bellarminum fraudari non debere, etiam in Terris, appellatione MAGNI.



TESTAMENTVM ILLVSTRISSIMI CARDINALIS BELLARMINI.

IN *nomine Domini nostri* IESV CHRISTI. *Ego Robertus Bellarminus tit. S. Mariæ in Viâ Presbyter Cardinalis ex Societate* IESV *assumptus, petij à Sanctæ memoriæ* CLEMENTE VIII. *facultatem condendi Testamentum ad pias causas tantùm, vt certus essem, ea quæ mihi decedenti bona temporalia superessent, quæq; dum viuerem, dispensari pauperibus & Ecclesiis non potuerunt, vtpote meæ sustentationi necessaria, ad pauperes & Ecclesias redire. Concessit Pontifex indultum testandi generaliùs, quàm voluissem; sed non acceptaui, nisi ad pias causas, vt petieram. Habetur hoc indultum, inter alias Bullas mihi concessas, in magnò folio pergameno cum plumbo, datum anno Domini* M. DC. III. VI. *Idus Aprilis, Pontificatus Sanctiss. Papæ* CLEMENTIS VIII. *anno duodecimo. Ergo hoc indulto præsupposito, testamentum condidi Capuæ, cùm essem Archiepiscopus eius Ciuitatis: deinde eo abrogato aliud condidi Romæ. Sed propter circumstantias mutatas, hoc secundo etiam abrogato, nunc iterùm testamentùm condere statui, cùm sim annorum sexaginta nouem, & proxi-*

mus

mus vltimæ diei, vt opinor; ſed mente & corpore per Dei gratiam benè valens. Primùm igitur ſpiritum meum in manus Dei commendatum toto corde exopto, cui ab adoleſcentiâ ſeruire deſideraui: & precor, vt me inter Sanctos & Electos ſuos non æſtimator meriti, ſed veniæ largitor admittat. Corpus meum non apertum, nocturno tempore, ſine vllâ pompâ ad Eccleſiam Societatis IESV, *vel Collegij Romani, vel Domus Profeſſæ, deferri volo: & exequiæ fiant per ſolos Patres & fratres Societatis, ſine interuentu Sacri Collegij, ſine lecto ſublimi, ſine inſigniis vel flabellis, eademq́ſimplicitate, quâ ceteris de Societate fieri ſolent. Et hac de re quàm maximè poſſum Sanctiſſimum Dominum noſtrum humiliter rogo, vt deſiderio meo ſatisfaciat. Quod attinet ad locum ſepulturæ, libenter iacere corpus meum voluiſſem ad pedes beati Aloyſii Gonzagæ, mei quondam ſpiritualis filij: ſed tamen Superiores Societatis, vbi voluerint, corpus meum ponant. De rebus temporalibus mihi à Sede Apoſtolicâ conceſſis, vel vndecumque acquiſitis, ita diſpono. Heredem vniuerſalem nomino & inſtituo Domum Profeſſam Romanam Societatis* IESV, *in quâ Religionem nomen dedi. Volo autem, vt primò ſoluantur debita, ſi quæ fuerint, & iura iis quibus debentur. Deinde dentur familiæ ad quadraginta dies, more ſolito, quæ ad victum pertinent, id*

eſt,

est, quod illis taxatum est in pecuniâ pro pane, vino, & companatico: neque aliud eis relinquere possum, cùm ad solas pias causas Testamentum faciendi facultatem petierim, & eâdem causâ singulis stipendium siue prouisionem aliquam dederim præter victum. Fratri meo secundùm carnem, vel eius heredibus, restituatur imago, seu quadrum CLEMENTIS VIII. *Pontificis maximi. Nepoti meo Angelo detur imago, seu quadrum Roberti Cardinalis de Nobilibus, & vnum ex duobus quadris sancti Caroli Borromæi, & vna ex paruis Crucibus, quas ad pectus gero, cum reliquiis inclusis. Collegio Romano restituantur Annalium Cardinalis Baronij Tomi sex, quos mihi accommodauit, & eidem dentur alij sex mei. nam cum hac conditione accepi à Collegio sex primos Tomos, qui meo nomine dati fuerunt Collegio eidem ab eodem Auctore, vt post obitum relinquerem integrum Opus. Eidem Collegio relinquo vnam ex tribus Planetis pretiosis, cum stolâ & manipulo, quam voluerit, & omnia scripta mea, & totam Bibliothecam; nisi Reuerendißimo Patri Generali videatur Bibliothecam alicui alteri Loco Societatis magis egenti applicare. Sanctæ Mariæ in Viâ, qui titulus meus est, relinquo vnam ex tribus Planetis pretiosis, quam heres meus dare voluerit. Aliud titulo meo non relinquo, quoniam satis multùm expendi in fabricâ Ecclesiæ,*

clesiæ, vt Fratres illi sciunt, qui hoc ipsum petierunt, loco paramentorum, quæ illis emere constitueram. Reliqua omnia bona, quæ quocumque modo ad me pertinent seu pertinebunt, siue immobilia, siue mobilia, siue se mouentia, siue iura, siue credita, siue sacra ad Cappellam, siue profana ad vestiarium vel cellas varias pertinentia, siue pecunias numeratas, siue quæcumque alia integra ad heredem, id est ad Domum Professam Romanam Societatis IESV, *vt dictum est, pertineant volo, & in illis omnibus & singulis ipsam heredem instituo, & nomino. Pro auxilio animæ meæ nihil relinquo, vel præscribo; tum quia parum admodum erit, quod ad heredem meum perueniet, vt existimo, cùm ego cumulandis pecuniis vel rebus pretiosis acquirendis numquam operam dederim, tum quia confido, imò certò scio, non defuturam huic officio piam charitatem Matris meæ, Religionis videlicet Societatis* IESV, *vt pro aliis filiis suis numquam deest: quemadmodum ego non defui toto vitæ meæ tempore pro defunctis Societatis sacrificia & orationes Deo offerre. Executorem huius meæ voluntatis nomino honoris causâ Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum meum Cardinalem Aldobrandinum: labor enim, vt existimo, nullus erit in executione Testamenti huius. Relinquo autem eidem Illustrissimo Domino meo id quo pretiosius nihil habeo;*

beo; videlicet Crucem ligneam reliquiis pretiosissimis refertam, quarum catalogus in scriniola cooperto rubro holoserico inuenitur.

Hoc Testamentum valere volo, prioribus abrogatis, quæ in omnibus & per omnia reuoco, casso, & annullo, etiam si hoc fortè non fuerit cum debitis solemnitatibus factum. id enim apertè concedit Bulla Summi Pontificis CLEMENTIS VIII. *in quâ mihi data est facultas testandi etiam per simplicem epistolam, vel schedulam manu meâ subscriptam.*

Ego Robertus Cardinalis Bellarminus, vt suprà, instituo, lego, & testor, non solùm præfato, sed etiam omni meliori modo, die XXIII. *Ianuarij* M. DC. XI.





IN-

INDEX RERVM.

C.

Cardinalis

Crucifixum

Ecclesiam

E.

Gulielmi

H.

Ignem

L.

M.

Meretrices

R.

S.

Scriptores

Vgonem





FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo Guilielmus de VVael Societatis IESV per Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, potestate mihi concessâ ab admodum Reuerendo P. N. Mutio Vitellesco Societatis IESV Præposito Generali, facultatem do Balthasari Moreto, typis mandandi Vitam Cardinalis Bellarmini, à P. Iacobo Fuligatto Societatis nostræ Sacerdote Italicè scriptam, Latinè redditam & secundis curis auctam à P. Siluestro Petrasanctâ eiusdem nostræ Societatis Sacerdote. In cuius rei fidem his propriâ manu subscripsi, & consueto officij mei sigillo communiui. Antuerpiæ, VI. Idus Aprilis, M. DC. XXXI.

Guilielmus de VVael.

APPROBATIO CENSORIS.

GRatulari Cardinali Bellarmino tam disertum tamque sapientem laudatorem liceret, nisi is vir fuisset, cuius nullâ cuiusquam eloquentiâ æquari præconium posset. Tamen quoniam, quà potuit, absolutissima virtutum eius species hîc est expressa, publico bono publicandam censemus; sperantes fore, vt quemadmodum ex scriptis eius nemo non doctior, ita ex Vitâ studiosè perfectâ nemo non sanctior euadat.

Gaspar Estrix Plebanus & Librorum Censor Antuerpiæ.

SVM.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum & Indiarum Regis Catholici ac Potentiſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt, nequis *Vitam Roberti Bellarmini Politiani è Societate* IESV *S.R.E. Presbyteri Cardinalis, Archiepiſcopi Capuæ, Fidei Propugnatoris, à Iacobo Fuligatto Soc.* IESV *Italicè primùm ſcriptam, à Silueſtro Petraſanctâ eiuſdem Soc.* IESV *Latinè redditam, & auctam, atque in hac ſecundâ editione à mendis primæ repurgatam*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XIII. Septembris M. DC. XXX.

Signat.

Steenhuyſe.




LABORE ET CONSTANTIA.

